



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 K
17



JOH. HENRICI URSINI

CONTINUATIO

HISTORIÆ PLANTARUM BIBLICÆ,

Sivè

1. De SACRA PHYTOLOGIA,
2. HERBARIUS SACER,
3. HORTUS AROMATICUS,

Cum

SYLVA THEOLOGIÆ SYMBOLICÆ, ET S. JEREMIÆ VIRGA VIGILANTE TERTIA VICE RECUSA.





NORIMBERGÆ,
Sumtibus JOHANNIS DANIELIS TAUBERI.
Typis Chriſtiani Sigismundi Frobergii.

ANNO M. DC. LXXXV.

VIRIS
Plurimum Reverendis, Clarissimis Doctissimis

Dn. SEBASTIANO Fran-
cken/ Verbi Divini in Ecclesiâ Suinfurtensi orthodoxâ, Ministro fidelissimo, Adfini charissimo.

Dn. JOH. SEBASTIANO
Mitternachten/ Illustris Ruthenei Rectori meritissimo.

Dn. CUNRADO TIBURTIO RANGONI, Gymnasii Berlinensis Rectori vigilantissimo.

Theologis, Philosophis, Philologis eximiis,

Fautoribus, Amicis, Fratribus conjunctissimis;

TRIGÆ charorum nominum,
TRIGAM meorum libellorum,
ex debito,
Par pari referens,
Inscribo, offero, addico,
simulque
Animum, Preces, Officia

AUCTOR

ΠΡΟΣΦΩ´ΝΗΣΙΣ.

AD plantas, Herbas, Flores, & Aromata, Fratres,
Vos invito, Sacer quæ Paradisus habet.
Namq; erit hæc spectare animis non nulla voluptas,
Quæque piis aliquâ se utilitate probet.
Hæc ego consevi, fessus; vos, namq; potestis,
Excolite, & studio culta rigate sacro:
Verùm etiam vestri memores, ut semper, amici,
Fundite, pro sensim deficiente, preces.
At, Tu Cœlestis Sophiæ studiosa juventus,
Crede mihi, in Sacris cuncta reposta libris;
Quidquid Aristoteles, quicquid novisse Galenus,
Jurisconsultus, Theologusve queat.

Argu-

I.

PHYTOLOGIÆ.

Præfatio : Libri Primi.

Libri Secundi,

HERBARII.

Libri Tertii,

HORTI AROMATICI.

ΣΥΝ

ΣΥΝ ΘΕΩ!

CONTINUATIO PHYTOLOGIÆ SACRÆ.

PRÆFATIO.

CElebres ſunt veterum ſententiæ illæ; πόνοι τοῦ ζῆν ἡδέως ἡγεμόνες, Xenophontis, *labores ad Vitam ſuavem & jucundam eſſe Duces*: Ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινές, *lætitiam verò citra laborem paucos eſſe conſecutos*; Pindari: Τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή, *nihil enim boni parit inane otium*, Sophoclis. Quamobrem — *vitanda eſt improba Siren Deſidia*, ut ait Horatius. Ut enim

Neglectis urenda filix innaſcitur agris;

gladius uſu ſplendeſcit, ſitu rubiginat, Apulej verbo; &

Quodcunq; mola intuleris, non respuit unquam:
Veltu triticum, vel lolium, aut indis avenam
Nihilominùs urgens ruit, & rotat, quod infers:
Sive infers nihil; illa ruens terit seipsam;
Scaliger.

Sic animus, ajunt, est hominum; inquies perpetuâ agitatione gaudens, cognatus Cœlestibus: Sed si nihil habet, quod agat boni statim malè agere incipit. Ita *homines nihi agendo malè agere condiscunt.* Adde, quod tædia obrepunt, languorque & curæ edaces, quodque Ægyptii Monachorum Patres vere dixerunt; *laborantem ab uno pulsari Dæmone, otiosum ab innumeris*, apud Cassianum l. 10 cap. 23. Sanè, ut pulcherrimi versus Enni habent,

Otio qui nescit uti, plus negotii habet,
Quàm cùm est negotium in negotio.
Nam cui quod agat institutum est, nullo negotio
Id agit, studet ibi, mentem atq; animum delectat suum;
Otioso in otio animus nescit, quid velit.
Hoc idem est; neq; domi nunc nos, nec militiæ sumus,

Imu

Imus huc; hinc illuc: cùm illuc ventum est, ire illinc lubet; (*vivitur.*
Incertò errat animus: præter propter vitam

Hæc quàm vera sint, credo mecum experiri, quotquot sine literarum studiis vitam si i non ducunt vitalem esse. Equidem, etsi perparum temporis munerum mihi meorum occupationes publicæ relinquunt; tamen hoc ipsum ita dispensare, occulto quodam animi sive morbo sive impulsu, cogor, ut nuspiam nisi in literis invenire possim jucundius laxamentum. Et si quid in his laboris est, tamen dulcissimum aliorum laborum condimentum est. Atq; hunc autumo esse literarum præcipuum fructum, quod *nutriculæ senectutis* sint ingruentis: quæ & ipsa *mala merx* est, & *res plurimas pessimas, cùm advenit, adfert.* Hæ animum à sollicitudinibus abducunt, mœrores adimunt, curas mordaces segniunt, vivendique pretia augent, ut quantillum superest lucro apponatur. Quamobrem novo me subinde quasi penso exerceo, ac laborem ex labore necto, maloq; aliquid semper agendo sensim confici, quàm animi mœstitudine, vitæque tædio, qui senibus extio certissimus proventus est, obrui. Hinc nuper exorsus eram *de Plantis Biblicis* aliquid

meditari accuratius. Sed mox ad elaborandum, quod cœperam, neq; virium mihi satis esse, neq; otii, intellexi. Quicquid tamen est, quod cogitanti in mentem venit, in medium affero. Fortè juventutis aut alius alterius excitavero studia, ut quæ ad ornandas illustrandasq; sacras Literas huc congessi meliùs disponant, quæ omisi suppleant, *Sacramq;* nobis aliquandò *Botanicen* pulcherrimam oppidò, ac voluptate juxta atq; utilitate eximiâ scientiam, omnibus suis numeris absolutam perficiant. Nunc ergò ad rem ipsam accedamus.

LIBER PRIMUS PHYTOLOGICUS.

CAP. I.

S. Phytologiæ Definitio & Partes.

Sacra Phytologia est descriptio historico-Theologica stirpium Biblicarum ad laudem Creatoris.

Autor inventorque saluberrimæ hujus Doctrinæ Deus est, naturæ Scripturæque Sanctæ conditor, qui hanc quoque operum suorum particulam adspici voluit, ac considerari, ut Matth, 6, 28.

Itaque in hoc studium ab ipso rerum primordio excitavit omnium ferè nationum *Sapientes:* San-

Sanctosque Viros, *Prophetas & Apostolos* inspiravit: ut cujus Spiritus hæc creâsset, ejusdem in Sacris paginis describeret, hominum informationi ad salutem.

Unde *finis* claret. Nam qui homini *Animali* ex stirpibus *escam* paravit & *medicinam*; idem eadem *Spirituali*, sed spiritualia, per Verbum suum subministrat, in laudem gratiæ suæ gloriosæ.

Objectum materiale, proprium stirpes sunt; *adæquatum*, Biblicæ: *formale*, quatenus non tàm à Naturali Historico, quàm à Theologo considerantur.

Norma igitur doctrinæ hujus propria, & quam normantem dicimus, S. Scriptura est; cui *ancillatur* historia Naturalis, ad ædificationem morum, & dogmatum illustrationem.

Ex quibus de ejus *antiquitate*, *dignitate, jucunditate*, *utilitate*, imò *necessitate*, ferri potest judicium.

Partes duæ sunt: *Generalis*, quæ Stirpium naturam in universum considerat: *Specialis*, quæ de singulis speciebus agit.

Observationes.

1. Quis Autor hujus doctrinæ? Ut Moses omnis Herbariæ rei autorem nobis retulit Deum, cui tota S. Scriptura suffragatur; sic eandem omnem Deorum beneficiis adscripsit pagana religio. Hinc duodecim illi apud Romanos *Dj Consentes Rustici*, quos in principio *de*

Re Rust. recenset *Varro*: Sunt illi, *Jupiter Pater*, *Tellus Mater*, *Sol & Luna*: *Ceres & Liber*: *Robigus & Flora*: *Minerva & Venus*: *Lympha ac Bonus Eventus.* Itaque à Poëtarum Principe 1. *Georgic.* invocantur 1. *Clarissima Mundi Lumina*, 2. *Liber & alma Ceres*, 3. *Fauni & Dryades*, 4. *Neptunus*, Lymphæ Pater, 5. *Aristæus*, qui & *Apollo* ἀγρεὺς καὶ νόμιος, *Rusticus & Pastoralis*, 6. *Pan*, Custos ovium; 7. *Minerva*, oleæ inventrix, &c. *Venus* verò præcipuè à Lucretio --- *cui suaves Dædala tellus submittat flores*, & quæ *rerum Naturam sola gubernet.* Cui tamen Ver proprium, ut Cereri æstas, & autumnus Libero.

It Ver & Venus, & Veneris prænuncius ante
Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter,
Flora quibus Mater præspargens ante, Viai
Cuncta coloribus egregiis & odoribus opplet,

Lib. 5. Idem.

Ubi etiam *Flora* officium, ex antiquo more ἀνθοβολίας sive *Florum sparsionis*, de quo suo fortè loco. Neque hæc Romanis peculiaris fuit superstitio; ex Oriente in Græciam traducta; inde propagata est in Italiam. Et ut antiquissima fuit ἀστρολατρεία, cultusque Solis, & Militiæ Cœlestis, & Reginæ Cœli, quæ dubio procul Venus, etiam ante Cataclismum viguisse videntur; sic omnes gentes nationesque persuaserunt, *vide Selden. de Djs Syris*, *& quæ in Exercitat. de Zoroastre dixi.* Hic obiter meminisse sufficit. Hinc apostatæ Israëlitæ, Diis Gentium, amasiis suis, *Panes & aquas*, *linum & lanam*, *oleum & potum* impu-

imputabant, de quo Sacrilegio, ingratissimorum hominum, vide querelam Dei, *Hose. cap. 2. v. 5. 8. 9. adde locum Jerem 44. v. 17.* Sic Plinius, homo minimè religiosus: *Summum munus homini datum arbores Silvæq; intelligebantur: hinc primum alimentum; harum fronde mollior specus, libro vestis. Etiamnum gentes sic degunt.* Inde superstitio: *Hæc*, inquit, *fuère Numinum templa, priscoq; ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atq; ebore simulacra, quàm lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera Numinibus suis dicata perpetuò servantur: ut, Jovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus*, lib. 12. princ. Qui & ipsam hanc, de herbarum stirpium naturâ & facultatibus, scientiam, negat *humani operis esse inventionem: Nam Deorum*, inquit, *fuisse eam apparet, aut certè divinam, etiam cùm homo inveniret, eandemq; omnium Parentem, & genuisse hæc, & ostendisse, nullo vita miraculo majore, si verum fateri volumus*, lib. 27. c. 1. Vidit ipsa naturalis ratio hanc noticiã Dei munus esse, sed quis ille esset dator muneris Deus: ignoravit. *De uno* tamen *Deo omnium pœnè una opinio est. Huc usq; humana scrutatio, etsi cum labore, deliberare potuit: at ubi ratiocinatio defecit, fides subvenit*, ut ait Paul. Orosius l. 6. adv. Pagan. c. 1. Ea nos docuit, quis ille Deus esset, cujus dono Salomon, inter cætera Sapientiæ suæ, *differentias plantarum radicumq; virtutes* cognoverit, ut de singulis scitissimè disserere, variasque similitudines & parabolas proferre posset, 1. Reg. 4. v. 29. 33. Sap. 7. v. 15. 20. Sir. 47. v. 18.

2. Qui hanc doctrinam primi excoluerint? Primum & Summum Botanicum fuiſſe *Adamum*, conſtat ex Geneſ. 1. v. 29. 30. & cap. 2. v. 15. 16. Quàm naturalis homini cibus fuit, tàm hæc noticia eſſe debuit, quâ ſalubria à noxiis discerneret. Ante lapſum tamen non puto vires facultatesque Medicas magis noviſſe, quàm morbos, quos experimento poſteà mortales ſenſim didicerunt. Neque enim talium noticia ad Imaginem Dei pertinebat; Sed illa, de quâ Apoſtolus Coloſſ. 3. 9. & ad vitam animalem ducendam ſatis erat Protoplaſtis, noſſe primas herbarum fructuumque qualitates, & uſum ad eſum. Hinc tamen poſteà provecti homines, duce ratione & magiſtrâ experientiâ, Medicinam condiderunt.

Sic primũ auſpicium Deus artibus altaq; circùm
Fundamenta dedit; tùm parteis quisq; ſecutus
Exegêre ſuas, tetigitq; induſtria finem.

ut Gratius de Venatione cecinit.

Quàm eximia fuerit Moſis, cæterorumque Prophetarum in hoc genere peritia, res docebit. Itaque *Moſen* Eupolemus de Regibus Judæorum, *Primum*, ait, *fuiſſe ſapientem, inventorem literarum & Grammaticæ. Ejus Philoſophiam quadripartitam facit* Clemens Alexandrinus 1. Stromat. ſub fin. ἱϛορικὴν καὶ νομοθετικὴν, *quæ ad Moralem partem ſpectant; tùm* ἱερουργικὴν, *quæ Phyſicæ contemplationis eſt; & demùm* θεολογικὴν, *quæ* ἐποπτείαν *continet, & ab Ariſtotele* μετὰ τὰ φυσικὰ *appellatur.* Sed & Megaſthenes in 3. Indicarum dixit: *Ea quæ de rerum Naturâ à Veteribus tra-*

dita

dita sunt, etiam afferi ab iis, qui extra Græciam philosophati sunt, partim apud Indos à Brachmanis, partim in Syria ab iis, qui Judæi appellantur. De Salomonis Sapientiâ jam prædixi. Fuit enim hoc quoque Regum studium. Hinc *herba Gentiana, Lysimachia, Mithridatia, quæ & Scordium, à potentissimis Regibus, Illyriorum Genthio, Macedonum Lysimacho, Ponti & Bithyniæ Mithridate appellata: ut Teucrium à Teucro, ab Achille Achilleia, à Chirone Centauro Centaurium; Artemisia, à Caria Regina Mausoli conjuge*, ut ait Fuchsius in Dedicat. de Histor. Stirp. qui & addit *Attalum Pergami, Evacem Arabum, Jubam Mauritaniæ Reges de Plantis scripsisse*, ut & Philosophos, *Pythagoram de bulbis, Chrysippum de Brassicâ, Zenonem de Cappari.* Varro recenset *ad quinquaginta*, qui Græcè *de Agricultura, curaq; hortensi*, scripserint: quos inter Reges *Hieron Siculus, & Attalus Philometor.* Magonis Carthaginensis, quem *rusticationis parentem* veneratur Columella, volumina duodetriginta, quæ de agrorum, hortorumque cultu Punicâ Linguâ conscripserat, Senatusconsulto in Latinum sermonem conversa sunt. Nam captâ Carthagine, cùm Bibliothecæ variis Africæ Regulis donarentur, jusserat Senatus hæc Magonis scripta accuratè servari, Romamque referri. Ita Hortos quoque post Salomonem Reges ac Principes coluisse leguntur, Cyrus apud Ciceronem de Senect. Tarquinius Superbus, & Diocletianus, postquàm Imperii fasces reliquisset, aliique multi, *vide Mizaldi Præfat. de Secretis Hortor.*

 &c.

&c. Salomonem de plantarum naturâ & facultatibus, quæ & quoto gradu essent calidæ, aut frigidæ, siccæ aut humidæ, libros scripsisse, ex quibus multa deinceps Medici decerpserint; quosq; Ezechias Rex pius tandem de medio sustulerit, quòd populus inde medelas morborum acciperet, nec à Deo opem peteret, ex Eusebio & Hippolito recitat Anastasius Nicænus, Quæst. 39. in S. Script. Sed verisimilius videtur, ideò abolitos hos libros, quod nefandas sufterstitiones continerent; sive à Magis conscripti fuerint, nomine Sapientissimi Regum abusis, qui & hodiè quosdam speciosò hoc titulo Salomonis venditant, *de quibus Delrio Disq. Mag. l. 2. Quæst.* 3. Sive Rex ipse, qui Apostata factus & Idololatra, ad Magiam infamem quoque deflexit, ut ad hanc à Naturali facilis est transitus (*quâ de re Pineda in Salomone Prævio lib. 3. cap.* 23. *& l. 7. cap.* 12.) talia ediderit. Quod tamen cur credendum sit, non intelligo. Magicas artes, cum Idololatriâ Gentium Sororio quodam vinculo conjunctas, jam olim Israëlitas coluisse & calluisse certum est; quarum infamiæ prætextus quæsitus à magnorum Autorum nominibus: accepisse ab Adamo, Setho, Abrahamo, Salomone se gloriabantur. Sic *Onirocritices* autor habitus *Josephus Patriarcha*, quem puto *Jotapen* dixit Plinius lib. 30. cap. 1. & *Capnomantiæ* illius, quam Delrio *Thurifumiam* dixit, lib. 4. cap. 2. Quæst 7. origo fuit à Vanâ Sacerdotum quorundam observatione, qui ex fumi adscensu, aut rotatione in Sacrificiis, divinabant, utrum accepta essent

Deo,

Deo, & litarent, an averso numine irrita? Sic apud Philostratum Apollonius, cùm Sacra facturus Thus in ignem conjecisset, consideravit, ὅπη διανίςαται, καὶ ὅπη θολῦται, καὶ ὁπόσαις κορυφαῖς ἄττει, καὶ ὅπῃ: *quo se pacto attolleret, & adscenderet, quasq; faceret vertigines & quousq; exsiliret ignis* cum fumo, lib. 1. cap. 20. *vide eundem lib. 5. cap. 9. Pythagoras itaq; ab Hebrais tùm illam* περὶ ὀνείρων γνῶσιν, *de Somniis noticiam accuratè didicisse, cùm illâ* διὰ λιβανῶ τῆ μαντείᾳ *primus usus fuisse perhibetur*, apud Malchum in vitâ. Fieri tamen potuit, ut fumi indicio, aut rectà ascendentis in cœlum, aut in obliquum & deorsum se inclinantis, Deus præter ordinem aliquando ostenderit, sacranè approbâsset, an respuisset? Ita Aloysius Navarinus in Mose expenso ad cap. 4. Genes. *Quærunt Interpretes, quali signo reprobatum Caini Sacrificium, quali approbatum Abelis? aliqui ex fumo in cœlum directo, ut accidit in Sacrificio Abel, & ex fumo in terram demisso, id conjecisse fratres arbitrantur*, &c. Sic pictores vulgò. Eò allusisse videtur David, cùm erat, *ut preces suæ dirigantur*, firmentur, & rectà adscendant, *sicut thymiama*, aut *Virgula fumi*, Psalm. 141. v. 2. Sed in viam redeundum est. Patet ex his jam

3. Quæ doctrinæ hujus sit dignitas, jucunditas, utilitas? Inter ea, *quæ benignâ tellure proveniunt, vel per se tantùm herbarum immensa contemplatio est, si quis æstimet varietatem, numerum, flores, odores coloresq;, & succos,*

ſuccos, ac vires earum, quas ſalutis aut voluptatis hominum gratiâ gignit, ut rectè Plinius l. 18. cap. 1. Neq; parum facit hæc ad gloriam Dei Creatoris,

præſentemq; refert qualibet herba Deum.

Inde fictitium Marcionis Deum meritò ridet Tertullianus, *quod ne unam quidem circerculam produxerit*, unde agnoſci potuerit: quaſi adDivinitatis argumentum vel unica ſuffeciſſet. Sanè, qui in medio lilii ſtantem crocum, qui unicum aliquod minutulum ſemen ineffabili arte tornatum, attentè ſpectat, æquè ac qui cœli ſidera, -- *non negat eſſe Deum. Natura nuſquam magis, quàm in minimis tota eſt*, Plinius l. 11. cap. 2.

Sic adamas, punctum lapidis, pretioſior auro eſt,
Parvula ſic totum pervadit pupula cælum,

ut canit Manilius. Sed de his ubi *de fine plantarum* mox. Quàm neceſſaria ſit hæc cognitio S. Literarum interpreti, docet Auguſtinus l. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 16. *Rerum ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cùm ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerunq; in Scripturis ſimilitudinis alicujus gratiâ ponuntur. Ita multi*, inquit, *propter ignorantiam hyſſopi, dùm neſciunt, quam vim habent, vel ad purgandum pulmonem, vel, ut dicitur, ad ſaxa radicibus penetranda, cùm ſit herba brevis atq; humilis, omninò invenire non poſſunt, quare dictum ſit; adſperges me hyſſopo & mundabor.*

4. An

4. An Doctrinæ hujus, quæ ratione & experientiâ constat, vera scientia ex S. Scripturâ peti possit? Scio Philosophos quosdam & olim & nunc censuisse, Mosen cæterosque Viros Dei, ubi de rerum naturâ quæritur, de ponte quasi suffragiorum esse dejiciendos: cum vulgo loqui solere, ajunt, nec ad hæc humilia animum applicuisse. Quantum hi absunt ab illâ in *Mosen* blasphemiâ; *multa eum dixisse, pauca probâsse*? Mihi semper placuit pulcherrimum Caroli Magni, in suo de Imaginibus libro, judicium: *Omnia in Scripturarum Sanctarum amplissimis pratis per partes invenire posse, quæ Artigraphi in suorum hortorum areolis posuêre.* Quare *si ratio contra divinarum Scripturarum autoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallitur verisimilitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestæ certæq; rationi, velut Sanctarum Scripturarum objicitur autoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non Scripturæ sensum, ad quem penetrare non potuit, sed potiùs objicit veritati: nec quod in ea, sed quod in seipso, velut pro ea, invenit, opponit*, ut ait Augustinus Epist. 7. ad Marcellin.

CAP. II.

Plantarum Definitio & Divisio.

P*Lanta*, ut ferè cum Mose describit Aristoteles, est corpus vivens, è terrâ natum, quod in terrâ vivit, crescit, seque propagat.

Genera summa duo ponit Moses, *Herbas & Arbo-*

& Arbores: vulgò ſunt Quatuor; *Herba, Arbor, Frutex, Suffrutex.*

Partes aliæ *perpetuæ & principales*; ut, *Radix*, è qua *ſurculi, ſtirpes*: in arboribus *Caudex*, cujus pars inferior *truncus*; ſuperiùs diffunditur *in ramos & frondes*: at in herbis, *caules, ſcapi, culmi*: veſtiuntur *corticibus & libris*; intus *venæ*, & q. *arteriæ*, & *cor*, quaſi matrix ac medulla.

Aliæ *acceſſoriæ, & ferè temporales*, eæque innatæ aut agnatæ: nam *in ipſis* naſcuntur *gemmæ, flores, folia, fructus, ſemina*, quibus alia & alia accidunt; ut, *floribus* umbellæ & corymbi, *foliis* crenæ & fibræ, *ſeminibus* ſiliquæ, valvulæ, loculamenta, pappi, lanugo: *foris* adnaſcuntur *Stolones, propagines, lacrymæ item, & reſinæ, fungi*, & id genus alia: vide cap. 1. in Arboreto meo.

Obſervationes.

1. *Herba* πόα, varia habet nomina. Genes. 1. v. 11. *Germinet*, inquit Deus, *terra Deſche* דשא; *Eſeb* עשב, & עץ *Ez*. Ubi duo ſumma plantarum genera. *Quid inter Deſche & Eſeb interſit?* quæritur. Reſpondent; prius ſignificare herbam tenellam, quæ recens orta, nondùm crevit in caulem: poſterius, grandiuſculam, quæ adolevit, & jam demeti poteſt, *Buxtorff. Avenarius, Vatabl.* Neque aliter videtur accepiſſe Vulgatus: *germinet terra herbam virentem*, herbam ſcil. *facientem ſemen*: aut D. Lutherus, qui prius vertit Graß/poſterius Kraut.

Deſche à radice *Daſcha* eſt, quod eſt βλαστάνειν germi-

germinare, quasi dicas βλάςημα, aut φυτὸν ein Gewächs/quod è terrâ nascitur, Joël. 2. vers. 22. Nomen esse generale videtur, quamlibet herbam significans: nam pabulum dicitur onagrorum, Job. 6. 5. Cervarum, Jerem. 14. 5. Vitularum, Jerem. 50. 11. ubi *Vitulæ graminis*, βοΐδια ἐν βοτάνῃ, D. Luthero genle Kälber/ab effectu. Solent enim lascivire pabuli copiâ: unde Proverbium: *fænum in cornu gerit*. Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, *satietas parit contumeliam*, ut habet Solonis sententia. Eodem sensu alii vertunt, *vitula triturantes*, quibus licebat mandere de subjectis frugibus, quantum vellent: à radice, *Dusch*, quod est ἀλοᾷν triturare, *vide Boetium S. Animadvers. l. 3. cap. 4 num. 4.* Strictè tamen & εἰδικῶς accipitur pro germine primùm è terrâ propullulante, Prov. 24. 27. quod propriè מיצא דשא *Motza Desche egressus germinis*, Job. 38. 27. Græci quoque aliàs χόρτον aut & χλόην interpretati sunt.

2. Huic apponitur ergò *Eseb*, non quasi Synonymnm, ut Deut. 32. 2. sed specificativè; quasi diceret Moses, terram non quamlibet aut quomodolibet germinâsse ac protulisse herbam, sed perfectam & jam seminificantem: aut simul utrumque genus, *herbam pabulo aptam*, cui *Desche* jungitur Job. 6 5. Prov. 27, 25. eique quasi fructus tribuitur *Jarak* olus, viride germen, quo feræ & aves pascuntur, Genes. 1. 30. Exod. 10. 15. 2. Reg. 19. 26. Psal. 37. 2. Es. 37. 27. & *herbam jam semen facientem*, ad generis sui propagationem. Nam *Eseb* sativam herbam pro-

priè

priè notat, autore Buxtorff. quæ ſemen producit, ad panem conficiendum in uſum hominis, ut jumentorum proprium eſt *Chazir*, Pſal. 104. 15. Græci verterunt χόρτον χλωρὸν Gen. 1. 29. παμβότανον, Job. 5. 25. & quod in montibus naſcitur χόρτον ὀρεινὸν, Proverb. 27. 25.

3. *Chazir* חציר gramen longiuſculum, quaſi à קצר *Kazar* demetendo; unde & *fœnum* verti ſolet: aut quale ſub dio creſcit in atriis ex pluviis: nam *Chazer* αὐλὴν, atrium, impluvium exponunt: & quale inter tegulas in tectis, Pſ. 129. 6. Eſ. 37. verſ. 27. Per antonomaſiam, cum *He Emphatico Porrum* ſic dicitur, Num. 11. 5. quod ſubinde in condimentum ciborum, & pro obſonio, demeti ſolet, unde à noſtris: Schnittlauch.

4. Hoc igitur *primum genus* eſt Plantarum; *alterum* dicitur *Ez*, lignum, quod nomen γενικῶς etiam *frutices* continet, & *ſuffrutices*. Hæc tamen ita ſolent diſtingui, ut *Arbor* ſit δένδρον μονοςέλεχες: *Frutex* θαμνὸς, arbore minor: *ſuffrutex* φρύγανον, à radicibus ſtatim πολυςέλεχες ᾗ πολύκλαδον. Videtur tamen Hebræis Frutex, aut potiùs Suffrutex, proprio nomine appellari שיח *Siach*, *Virgultum*, Geneſ. 2. 5. Job. 12. 8. cap. 30. 4. 7. ein Gebüſch/Geſtäude. Sic Hagar dicitur abjeciſſe Iſmaëlem *ſub unum Haſſichim*, ὑποκάτω μιᾶς ἐλάτης, unter einen Baum / Geneſ. 21. 15. Vel ut Pagninus; *ſub Virgultum quoddam*; aut ut Junius; *ſub unum fruticum*, cujus umbraculo ---- *tenero capiti defenderet æſtum*. Nomen habet à שוח *Suach*, meditando, muſſitando, querulando; quia iſta ventis agitata, *loquen-*

loquente sæpè sibilos edunt comâ, ut Catulli quondam Phaselus. Habet enim tenuiores caudices & ramos flexiliores, ut quâcunque aurulâ mota tremant ac strepant.

5. Quæ ab Herbis & Arboribus, γνικῶς dictis, *metaphora & similitudines* ducantur in S. Literis, commodiùs exponetur libris sequentibus. *De Partibus* hic agendum est distinctiùs. Sunt autem præcipuæ;

1. *Radix*, שׁרשׁ *Schoresch*; cujus *fundamentum*, aut *firmitudo*, der Stock/D. Luthero interprete, quo salvo regerminare potest planta; Dan. 4. v. 12. Dicitur עקר *Ikkar*, Chaldaicè.

2. *Propagines* שׁתילים, *Schetilim*, Psal. 128.3.

3. *Planta consita*, נטע *Nata* & מטע *Matta*, Psal. 144. 13. Novellæ plantationes, Esai. 5. 7. cap. 17. vers. 10. 11. cap. 60. 21. & 61. 3. Ezech. 17. 7. Mich. 1. 6.

4. *Surculus*, נצר *Nezer*, diligenter custodiendus, ein gepropfter Zweig/Esai. 60. 21.

5. *Stipes, Caudex, Truncus succisus*, גזע *Geza*, Esai. 11. 1. cap. 40. 24. Job. 14. 8. Sic gramen resectum fœnisecio גז *Gez*, dicitur à *Gazaz*, detondit, Psal. 72. 6. Amos 7. 1.

6. *Ramus* varia habet nomina: Metaphoricè dicitur בן *Ben* filius, Gen. 49. 22. Psalm. 80. 16. ut arbor mater & *parens*, apud Plin. l. 12. cap. 15.

Rami proceriores & oblongi instar *vectium*, בדים *Baddim*, Ezech. 17. 6. Joh. 18. 13. Similes caulibus lini arborescentis, Stangen.

Palmites & rami, vel etiam stolones, *propagines*,

nes, דליות *Dalioth* five propter tenuitatem, un de *Dal pauper*, attenuatus; five à *Dalah exhausi* & extulit, quod fuccum hauriant, & in altum tollant, Jerem. 11. 16. Ezech. 17. 6. cap. 19. 11 cap. 31. 7. &c.

Ramus incurvus, fructibus onuftus, *Kipp* כפה à *Caphaph* curvavit, Efai. 9. 14. Job. 15. 32 Lev. 23. 40.

Ramus frondofus, ענף *Anaph*, Levit. 23. 40 Pfalm. 80. 11. ubi LXX. habent ἀναδενδράδας, *vi tes arbuftivæ*.

Ramus fructibus ornatus; à פאר *Peer ornavit* aut פרה *Parah fructicavit*, in plurali פארות *Poroth*, fchöne fruchtbare Aeſte/ Efai. 10. 33. Ezech 17. 5. & cap. 31. 5. Græci habent modò ἀπόρυγας *propagines fub terrâ defoffas*, Einläger, vocant Vi nitores noftri; modò ἀποφυάδας *foboles adnatas* ftolones.

Sic *Rami prominentes*, in quibus aves nidifi cant, סעפות *Saphoth*, Ezech. 31. 6. Efai. 10. 33 cap. 27. 20 Græci vocant παραφυάδας. Sic Sco pulus prominens & cogitatio propendens He bræis סעיף *Seiph*.

7. *Frondes*, rami teneriores; עפאים *Aphaim* Pfalm. 104. 12. Dan. 4. v. 11. fortè ab אבה *Abba* denfus fuit: unde per μετάθεσιν βαΐον ramus pal mæ. Hinc componitur

Sarapha ex סור *Sir* Spina, & עפא *Apha* ramus Vulgatus vertit *Virgulta*, Tremellius, *ramufcu los*: propriè ramus virgultis denfus, dick von Reyſ fig/ Ezech. 31. 5. Ibidem legitur

Cho

Choresch, חרש, quo tota ramorum frondiumque densitas opaca significatur; quæ nemus & umbram facit, v. 3. ubi Græci πυκνὸς ἐν τῇ σκέπῃ, *densus umbraculo*: Vulgatus, *frondibus nemorosus*; Pagninus, *nemore umbram faciens*: D. Lutherus, dick von Laub. Hinc *Corescha*, nemus, locus surdus, & silens, ubi umbra multa, 2. Paralip. 27. 4. 1. Sam. 23. 16. 17. Esa. 17. 9.

Condensa frondium, inter se implicata, eodem loco Ezech. 31. v. 3. dicuntur עבתים *Abothim*, grosse dicke Zweige / ut Lev. 23. 20. Ezech. 6. 13. 20. 27. 28. ubi, Idololatria sub talibus exercita: Alibi *funes Abothim*, ἔργον πλοκῆς, Exod. 28. 14. &c.

8. *Palmes* qui amputatur קציר *Kazir*, Psalm. 80. 12. *Resecem* vocant Latini, *vide Atrium meum Latin. cap.* 41. *num.* 532. ein Schneidrebe/ κλῆμα. Sic Esa. 27. 11.

Palmes, ramulus, tener, *novellus*, quem Latini *talleolum* vocant, innatum prioris anni flagello, יונקת *Joneket*, q. d. *lactentem* sugentem adhuc, ein junger Sprosse / Job. 8. 16. Ose. 14. 7. Psalm. 80. 12. Ezech. 17. 4.

Palmites densi & implicati סנסנים *Sansinim*, instar ruborum, Cant. 7. 8. de Palmâ.

9. *Spinosi arbusti*, arborumque densarum, *ramus*, quo Sepimenta fiunt, שוכה *Soca*, à שוך *Such*, *sepivit*, Judic. 9. 48. 29. Græcè φορτίον, *fascis lignorum*, eine Welle oder Büschel Holtz / ein Fraget Reissig. Sic enim rustici sepire solent vineas & hortos.

10. *Cacumen* tenerum, *lanuginosum*, sur culus summus, qui ad insitionem solet resecar צמרת *Zamméreth*, vel à radice זמר amputavi vel à צמר *Zemer* lana, ein Wipffel / Pfropf Zweig. Ezech. 31. 3. LXX. vocant ἀρχὴν, & τ ἐπίλεκτα.

11. *Fastigium arboris*, quod perticis verbe rari solet, ut excutiantur fructus, אמיר *Ami* ein Wipffel/Trag-Zweig/ unde Latinum *Ramu* literis inversis, Esa. 17. v. 6. 9.

12. *Cortices*, פצלות *Pezaloth*, à *Pizzel* de corticavit, λέμματα, καὶ λεπίσματα, Rinden. Gen. 30. 37.

13. His adde, עלה *Aleh folium*, quod ad scendat, & vento facilè tollatur. *Flos erum pens* נץ *Nez*, נצה *Nizza*, Gen. 40. 10. Esa. 18. Job. 15. 33. Cant. 2. 12. Esa. 1. 31. *Semiaper tus* פרח *Perach*, Num. 17. 8. Es. 5. 24. Psalm 92. 14. Proverb. 14. 11, *apertus* ציץ *Ziz*, Es 40. 7. qui alas quasi suas expandit, & mox avo lat, Jerem. 48. 9. Esa. 27. 6, cap. 28. 36. hin *Zizith* fimbria.

Fructus ניב *Nibh*, unde *thnubha* proventus Sed & בול *Bul*, atque *Jebul* fructum notant, Se hæc sufficiant.

CAP. III.


Caussa efficiens prima.

1. DEUS est, qui plantas primò creavit, & conservat. Testatur S. Scriptura innu meri

neris locis: ut Genes. 1. v. 11. *Dixit Elohim: Germinet terra germen, herbam quæ faciat semen, & arborem,&c.* Gen. 27. 28. *Det tibi Deus de rore cœli, & pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & musti.* Levit. 26. 4. promittit Deus obedientibus *pluvias tempestivas* de cœlo, & de terrâ *uberem proventum.* Confer v. 19. 20. maledictionem rebellibus intentatam. Similis promissio est Deut. 11. v. 14. 15. ubi *duplex Pluvia,* altera *Jorè,* altere *Malkosch,* ut & Jerem. 5. 24. Joël. 2. 23. Jacob. 5. v. 7. inter *caussas secundas* referuntur cœli *ros,* terræ *abyssus, Sol & Luna,* Gen. 49. 25. Deut. 33. 13. 14. Celebrat hanc Providentiam Dei, David, Psalm. 65. v. 10. & seqq. & 104. 13. & 147. 8. Eodem spectant comminationes & promissiones Propheticæ, Isa. 17. 10. 11. cap. 41. 18. 19. cap. 42. 15. Jerem. 4. 23. 28. cap. 8. 13. & 12. 4. 13. & 14. 5. 6. 2. Hos. 2. 8. 9. 12 21. 22. Amos. 4. 9. & 9. 13. Jonæ cap. 4. 6. 7. Mich. 6. 14. 15. Hagg. 1. 6. 9. & 2. 16. 20. Zachar. 10. 1. Malach. 3. 10. adde Matth. 6. 30. Actor. 14. 17. & alia.

2. Ac si *primam* quidem plantarum *originem,* juxta Mosaicam Physiologiam, spectemus; singula verba accuratè expendenda sunt: *Elohim,* inquit, *produxit:* qui cœlum & terram & omnia. Unus essentiâ, & potentiâ creandi; in personis Trinus: quod nomine plurali indicari, Christiani ferè Interpp. consentiunt. Neque operâ ullâ opus fuit alicujus creaturæ. Æquè Deus est, qui *Ciceroulam unam,* ut dixit Tertullianus, creavit, ac qui immensam cœli molem:

B 3 qui



qui & in minimis maximus. Esse igitur DEUM ipsa quoque docet Terra, *vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur*, Cicer. 2. de Nat. Deor. Plantarum origines fabulosas narrant profanæ Gentes. Inde superstitio multiplex. Sic, exempli caussâ, vetitum erat in quibusdam sacris, ὀλβειζον σέλινον *inferre mensis, quod natum esset è sanguine Corybantico: & mulieres: quæ Thesmophoria agebant, cavebant edere mala Punica: nam τὺς κόκκυς, grana illa, ex Bacchi sanguine nata credebant*, apud Clem. Alex. in Protrept. Rosas unde fabulæ producant, notum est. Ausonius:

Sideris & Floris est Domina una Venus.

Turcæ *ex Sudore Muhamedis sui natas persuasi, folia humi jacere non patiuntur*, Busbecq. Epist. 1. Apud Christianos alia fortè ratio fuit, cur tot plantas Sanctorum nominibus decorârint? Sed neque superstitio abfuit. *Abrotanum mas Vulgus Picardorum & Francorum herbam & lignum S. Johannis vocant, eoq; in coronamentis, & lumborum superstitioso cinctu, ad Epilepsiam, morbum S. Johannis putatum, averruncandam expetunt.* Bauhinus de Plant. à SS. denomin. ubi plura. Verùm si loqui plantæ possent, clamarent singulæ; *Dei sum!* & indignarentur, in tanto numero unam herbam floremque unicum appellari; *SS. Trinitatis*, ut quondam Διὸς ἄνθος. Ipse Deus *sator seminatorq; plantarum, earumq; educator & altor*, quod de Mundo dixit Cicero l. cit. ideò *Elohim* dicitur, hoc est, *Deus Judex*; quia & judicio

sapienti

sapienti condidit, & severo injuriam sibi suisque creaturis factam vindicabit.

3. Produxit autem Deus plantas Verbo: *Et dixit!* Frustrà igitur quæritur; *An semen prius naturâ extiterit quàm planta?* ut, an ovum prius gallinâ: de quo Plutarch. 2. Sympos. 3. & Macrob. 7. c. 16. Mosis sententia est, c. 2. Gen. v. 4. 6. *Fecit Dominus Deus* Jehova, autor omnis vitæ & essentiæ, quod nomen perfecto denique opere creationis hîc primùm legitur; *Cælum & terram, & omne virgultum agri*, stirpes & frutices in agris & silvis, ubi nunc sponte suâ provenire videntur; *antequam futurum esset quicquam tale*, lege & ordine naturæ: *omnemq; herbam agri*, nullâ hominum curâ culturâque satam aut natam, *antequam esset oritura*, aut oriri posset. Nam Verba יהיה *Jihie*, & יצמח *Jizmach*, futuri temporis sunt. Scilicet in creatione, miro divinæ Sapientiæ ordine, effectus caussis suis priores fuerunt. Nam necdum *Sol* erat; nec *semen* ullum quod animaret, nec *pluvia* quæ educaret, nec *homo* qui coleret. *Ipse Vapor ille*, exhalatio humida, ipse ille fons aquarum cœlestium, & *Oceanus aëreus*, de quo Aristot. 1. Meteor. cap. 1. *Posteà adscendit de terrâ*: in Hebr. futurum est. Theodoretus; *Terra nullo eam colente, neq; ullis nubibus pluviam effundentibus, germinavit, pro Creatoris nutu & voluntate: irrigita ab humore & vapore, qui superat a separatione aquarum*, &c. quo tamen non egebat terra, cùm solo nutu Dei produceret plantas; sed posteà, ut aleret productas. Alii de h. l. aliter.

4. Dixit igitur Deus: *Germinet terra germen!* *& protulit terra germen.* Ita illicò respondit imperiali Creatoris Verbo. Mira plantatio! Terra erat *Tohu vabohu*, ἄμορφος καὶ ἀκατασκεύαστος,

--- rudis indigestaq́ moles:

ad unicum Dei Verbum momento vestitur herbis, floribus, arboribus. Quæri solet hîc, 1, *An Deus, hac tertiâ Mundi die, plantas actu produxerit*; an tantùm in caussis suis, datâ terræ, suo tempore, producendi virtute? posterius *Augustino* visum: prius affirmat Moses, vide Thomam p. 1. Quæst. 69. art. 2. Voët. Tom. 1. Disp. Select. de Creatione pag. 662.

Quæst. 2. *An ergò omnes ubiq; plantæ, toto orbe, actu tùm productæ*? Rectè negat Torniellus, num. 8. Credibile tamen, ita productas, ut cujusque climatis naturalis dispositio, ratione temporis, poscebat: ut alibi vernæ primùm propullularent; alibi æstivæ & autumnales, vel florerent, vel semina fructusq́; ederent; alibi hibernæ viverent vel in radice, vel in semine &c.

Quæst. 3. *An terra activè protulerit?* Resp. non tantùm *materialiter*, verùm etiam *efficienter* concurrit, ut fœcunda mater, Dei benedictione imprægnata, quæ fœcunditatem, Verbo Dei, *Germinet*, inditam, jam tùm exseruit, suprâ tamen naturam, in momento operante Deo. Quare frustrà negat Bonfrerius, *terram activè & efficienter concurrisse, eò quod vi suâ naturali nequiverit producere plantas, herbas &, arbores, in instanti, & quidem in statu perfecto.* Nam con-

concesso hoc antecedenti, negatur Consequentia. Moses sanè & Verbum imperiale, *Germinet*; quo Deus benedictionem impertiit; Confestim ait, *Terram protulisse*. Sic Salianus, Cornel. à Lap. &c. vide Voetium l. cit. p. 643.

Ut pluma, atq; pili primùm, setaq; creantur
Quadrupedum in membris, & corpore pennipotentum;
Sic nova tùm tellus herbas, virgultaq; primùm
Sustulit, Lucretius l. 5.

Quæst. 4. *An ergò ex istâ divinâ benedictione spontanea quarundam plantarum progenies?* Sanè in Cretâ quocunque quis loco terram moverit, nisi quid aliud seratur, gigni Cupressus fertur. Terra virgo, ad quam nulla semina pervenisse suspiceris, commodo loco reposita suas dabit stirpes. Porta, cùm è profundissimis ædium fundamentis egestam humum convalâsset, atq; sub dio exposuisset, paucis post diebus, è variis terræ qualitatibus, varia herbarum prodire genera, Neapolitano cœlo soloque familiaria, conspexit: aliasque argilla, alias pulvis Puteolanus, alias contriti lapilli, vel tophi produxêre, ut bene Virgilius:

Namq; alia, nullis hominum cogentibus, ipsa
Sponte suâ veniunt, camposq; & flumina late
Curva tenent. Hæc Jonstonus in Præfat. Dendrographiæ: quæ ante annum prodiit, & si priùs venisset in manus, Arboreto excolendo meo non parum attulisset adjumenti. Tractavit hanc Quæstionem doctè & fusè, contra eos, *qui omnem Generationem æquivocam negant*, Lauremberg-

gius Horticult. l. 1. cap. 13. & 14. Thesis est: *inesse Telluri genitalem vim producendi plantas peculiares, etiam absq; seminis foris subministrati adminiculo.* Quibus argumentis hanc confirmet, vide ibid. Videturque & S. Literarum sententiæ, & divinæ admirandæ providentiæ, & ipsi naturali experientiæ consona. *Terra*, inquit, *è profundissimo puteo extracta, tenuissimè cribrata, in turris altissima fastigio asservata, ad quam neq; venti, neq; aquæ vis semina advehere valet, nihilominus plantas è penu suo producit.* Sanè S. Scriptura divinæ benedictioni adscribit, ut sterilis fiat fœcunda; & maledictioni, ut fœcunda sterilescat. - -- *Has leges æternaq; fœdera certis imposuit Natura locis*, Virgil. 1. Georgic. Prima illa vox Dei, *Germinet terra ex sese! Naturæ lex est, quæ terris in ævum remansit*, Ambros. 4. Hexaëm. &c. Recurret deinceps hoc Problema.

Quæst. 5. *An ergò herbæ omnes cum semine, & arbores cum fructibus creatæ?* Certum quod aliquæ, jam tum & cibum necessariæ, Genes. 1. v. 29. & 2. v. 9. 17. Non omnes simul: Quia Deus omnia facit in tempore suo, Eccl. 3. 11. Neque enim, sive vere conditus est Mundus, sive autumno, sine multiplici miraculo omnia extra tempus suum vel semen vel fructus edere, & ultra tempus suum habere potuerunt. Deus Creator ut absoluta potentiâ suâ rerum Naturam instituit; sic Sapientiâ suâ ordinem legemque perpetuam constituit, juxta quam suis quæque locis & temporibus nasci deberent & denasci, Genes. 8. v. 22.

Quæst.

Quæſt. 6. *An quædam plantæ ſteriles?* Neg. omnes vel ſemen, vel fructum cum ſemine, vel aliquid ἀνάλογον proferunt.

Quæſt. 7. *An & fungi, boleti, muſcus, viſcum & id genus creata?* Dubium expediendum eſt alio: an talia plantæ ſint, licet imperfectæ? an potiùs plantarum vitia, & excrementa, in cauſſis ſuis producta? Sunt in his tot & tanta Divinæ Sapientiæ miracula, ut nihil invideant quibusdam perfectis plantis, nec minori terræ matri ornamento ſint, aut homini Protoplaſto Spectaculo eſſe potuerint. Eò pertinet 8. *An etiam venenatæ plantæ & ſpinæ, ut in roſſis, productæ?* Negabant aliqui veterum, ut Baſilius, Auguſtinus: Sed affirmatur tutiùs, vide Voët. p. 663. & citatos. Denique 9. *de Plantis aquaticis* ſupervacuum eſt quærere: nam etſi aquis innatent & nutriantur, terra tamen gignit.

Cap. IV.

Cauſſæ ſecundæ naturales.

1. In ordinariâ productione Dei Miniſtra eſt *Natura*; Naturæ adjutrix & æmula *ars*. Naturales cauſſas primæ ſubordinatas exponit locus apud Hoſeam elegans, cap. 2. v. 21. 22. Summam Hieronymus: *Poſtquam Chriſtus advenerit, omnia ſuo current ordine, & utilitati hominum cuncta deſerviet creatura, ut ab initio condita eſt: quæ omnia Judæi & noſtri Judaizantes, poſt Antichriſtum, in fine Mundi, corporaliter præſto-*

præstolantur. Et erit in die illâ, dicit Dominus, ut exaudiam 1. cœlos, 2. & illi exaudient terram, & 3. terra exaudiet triticum, vinum, & oleum: & 4. hæc exaudient Jezrahel; id est, *semen DEI*, dispersum olim, nunc in Christo recollectum. Hæc est Catena illa Homerica: quam Plato *Solem* solum vult intelligi, *cujus motu & περιφορᾷ omnia vivant, & consistant; at si stet ipse velut ligatus, omnia corrumpantur, & pessum eant*, ἄνω καὶ κάτω, in Theæteto. Hoseas noster divinitùs indicat motorem, orbes, orbiumque inter se nexum, indigentiam & desiderium. *Motor* DEUS est. *Nam sine DEO & superno nutu, nec cælum aliquando imbres in terram demittet, nec terra fructus suos omittet*, Cyrillus h. l. Movet itaque Deus per potentissimam, præsentissimam, sapientissimam & liberrimam παντεποψίαν καὶ διοίκησιν, quâ perenni quodam influxu caussas creatas, in suo esse & operari, conservat, dirigit, dispensat: aut & cùm vult impedit, mutat, tollit: ut sine illis ipse liberè negat, quod vult; hæ sine ipso nunquam quicquam. David, Psal. 104. 29. 30. totum hoc tribuit *divino adspectui*, & vivificis quasi oculis, ut ibi Calvinus; *& Spiritui*, quem Spiritus Dei, qui totus vita est, rebus creatis vitalem communicat: non per partitionem, velut

--- *divinæ particulam auræ*,

ut delirabant Manichæi; sed *caussaliter*, efficiendo per continuam quandam creationem, Actor. 17. 28. &c.

2. Inter *orbes* caussarum secundarum concatenatos, 1. est *Cælum*, quod exaudit Deus, ut exaudiat

audiat terram. Quonam modo? per Pluvias respondent plerique Interpp. *Mandabo cœlis, ut mittant pluviam suam super terram*, Chaldæus. Cœlum caussa universalis est, calorem & humorem vitalem impertiens: Caloris effector inprimis Sol est: humorem maximè dispensat Luna. Calor patris, humor matris in generatione vicem tenet, vide Deuter. 33. v. 14. Hinc *Solem*, dextrâ gestantem gratias & arcum cum sagittis sinistrâ; *Lunam* verò *πολύμαστον, multimammiam*; pingebant veteres. Hi ergò Cœli Siderumque effectus sunt, ad fœcundandam Terram. Eoque pertinent non tantùm Ros, Pluvia, Nix; verùm etiam venti, & tempestates: à cœlo quidem, sed non absolute; verùm exaudiente Deo, Jerem. 14. v. 22. Omnia tàm benedictioni divinæ inservientia, quàm versis vicibus etiam maledictione. Nam ut Valerius Flaccus

-- omnia circum
Prona, parata Deo, ventiq́, imbresq́, nivesq́, &c.

Imò, ut cùm Papinio dicam:

Servit & astrorum velox chorus, & vaga servit
Luna, nec injussa toties redit orbita Lucis.

Sirac. 40. v. 30. & seqq.

3. Spectant hæc *ad S. Meteorologiam*, quam utinam nobis aliquam daret naturæ Scripturæq; arcanorum conscius. Nam quò nobis Aristoteles, nisi serviat Mosi & Prophetis? Inspergam hîc aliqua, sed obiter. Solum Judææ omnem suam fœcunditatem cœlo ferè debebat & tempestivis imbribus. Nam erat qualis Ægyptus, ubi in hortos & agros, ad irrigandum, ducendi erant, ma-

gno

gno cum labore, *fulci aquarii, quos nonnulli elices vocant*, vide Atrium meum num. 445. Itaque in Ægypto Tellus:

--- nullos postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi,

Tibullus. Nilo fœcundatur

--- cœloq; vacante
Terrestrem pluviam diffusus porrigit amnis.

Alcimus Avitus. vide Deuter. 11. v. 10. Judæa itaque cœlum respiciebat & Deum. Sic *Atergatis* Assyriorum Dea respiciebat *Adadum* suum versis sursum radiis; ille deorsum inclinabat radios suos, Macrobius 1. Saturn. c. 23. Hic mutuus est cœli & terræ adspectus, hoc illud ætheris & terræ conjugium. Si de cœlo nihil illiqueretur, nec Judæa *biberet aquam de cæli pluviâ*, Deut. 11. v. 11. siccitate omnia terrâ nata emoriebantur. *In his locis, in quibus nunc degimus*, ait Hieronymus, *præter parvos fontes, omnes cisternarum aquæ sunt: & si imbres divina ira suspenderit, majus sitis quàm famis periculum est*, in Amos. cap 4. v. 7.

4. Inde Judæa igitur à Cœlo exspectabat rorem & pluviam. *Ros* gratissimus, quia ad æstum & ardorem Solis mitigandum maximè necessarius. Esa. 18. 4. Dan. 3. 50. Sirac. 18. 16. Proverbio dicebatur; *Ros super herbam*, Deut. 32. 1. Ose. 14. 6. Mich. 5. 7. Est autem alius *nocturnus*, *gutta noctis*, Cant. 5. v. 3. Catullo in Pervigilio:

Humor ille quem serenis astra rorant noctibus: alius *matutinus*, *filius Auroræ*, Psalm. 110. 3. ut

ab

ab Alcmane Lyrico, *Aëris & Lunæ*, Macrob. 7. Saturn. circa fin. & Plutarchus in Sympos. l. 3. Quæst. ult. qui quoniam à Sole superveniente absorbetur, *pro rore evanidâ* poni solet, Ose. 6. 5. & 13. 4. Dixi plura in S. Analect. Volum. 2. *Pluvia* Judææ tempestiva duplex, *matutina & serotina*, juxta Vulgat. πρώϊμος, ὄψιμος, LXX. Jacob. 5. 7. Jerem. 5. 24. Ose. 6. 3. Joël. 2. 25. Amos. 4. 6. Zachar. 10. 1. Verùm non ita pluvia matutina intelligi debet, ut ros: hinc enim à tempore diei: quomodo Dores vocant πρῶκα, ut apud Theocritum: Πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ, *rore vescitur ut Cicada*. Ita Latini *pruinam*, quæ ros est concretus frigore; quasi πρωΐνην. Illa verò à tempore sementis. Nam *matutina*, D. Luthero, Früh-Regen / post jactam sementem erat autumnalis, גשם *Geschem* dicta, & cum epitheto יורה *Jore*, terram quasi erudiens; ut *Malkòsch*, contrà quæ *fruge nova*, juxta Symmachi antagonistam Prudentium,

Conceptas tenero solidaret lacte medullas:

vel potius; terram ad semina maceranda humectabat [*matutina pluvia*, eamq; germinantibus aperiebat, ne sub aridis soli crustis suffocarentur: *Serotina, vernalis*, Hebræis & Chaldæis לקיש *Lakisch & Malkosch*, q. d. *tarda, serò veniens*, aut *stipulas implens*, ex *Male* & *Kasch*, quæ ante messem grana faciebat turgescere. Plura de his in Joëlem dixi, cap. 2. & aliàs.

5. Cœli *orbem* sequitur 2. *Terra*, quæ magna mater & omniparens audit; quæq; concepta semina

mina utero fovet, cœlestique calore & humore fœta ac tota vim vegetabilem excitat & alit, postquam ---- *fœcundis Imbribus Æther conjugis in læta gremium descendit.* Hinc jam 3. *Orbis vegetabilium*, inter quæ tria maximè necessaria, *Vinum, oleum, triticum.* Hæc igitur exaudita à terrâ matre, vicissim exaudiunt homines, eorumq; votis respondent. Quod faciunt *in suis seminibus*, quibus non tantùm materia & forma; sed & efficiens aliqua fructuum caussâ inest, univoca, quâ naturæ suæ congeneres producant, in usum *animalium.* Superest 4. *orbis horum*, in quo desinit hæc catena, & cujus causâ cæteri moventur, ut in hoc quiescant. *Finis* tamen motus *homines* sunt, & *inprimis fideles*, *Jezrahel* dicti. Unde etiam apparet mutua *indigentia & desiderium*:

--- *alterius nam*

Altera poscit opem res, & conjurat amicè:

Nam & animantia alimoniam quærunt à terræ fructibus: hi à matre Terrâ: Terra verò Cœlum quasi supplicat, quo habitu *statuam Telluris Jovi Pluvio supplicantis* habet Pausanias in Atticis. Cœlum verò Deum quasi invocat, qui solus *Schadai* αὐτάρκης omnia sufficit omnibus, nullius indigus sibique solus sufficiens.

6. Hic igitur *Caussarum nexus* est: de quibus Theophrastus l.2. de Causs. Plantar. cap. 1. & seqq. usque ad 10. *Eligendi & benè colendi agri ratio quatuor rebus constat; aëre, aquâ, industriâ*, Palladius l. 1. de Re Rust. tit. 2. & seqq. Cato considerare jubet *salubritatem cæli & ubertatem soli*; & Virgil.

Ventos

--- *Ventos & varium cœli perdiscere morem.*
Nam ut Catullus:
--- *mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.*
Nihil tamen omnia sine DEO, qui solus omnia potest & facit in omnibus & singulis, per omnia & singula ut vult, ac quando vult, etiam sine omnibus & singulis, ut præter naturæ seriem. Ille est, qui cœlo dat influentiam, & vim agendi in hæc inferiora: Ille, *qui vocat aquas maris*, qui amarissimas æthereo calore suspensas excolat & eliquat, in dulcem pluviarum saporem; instar medicinalis cucurbitæ, quæ calore superioris gyri humorem & sanguinem sursum trahit, ut ait Hieron. in Amos. 5. v. 8. *quiq; eas* aquas, *in nubibus*, ut in sinu suo, Job. 26. 8. Prov. 30. 4. *ligatas*, inde nubes *lagenæ, & utres cælorum*, Job. 38. 37. *effundit super terræ faciem*: emisso Noto, humido vento, quem ideò Hieronymus vocat *Pincernam pluviarum*, cui
--- *rorant pennæq; sinusq;*,
Utq; manu latè pendentia nubila pressit;
Fit fragor; & densi funduntur ab æquore nymbi,
Ovid. 1. Metam. Ita cœlum imbribus quasi gravidum amat se exonerare, & eos effundere in terram, Aristot. Ethic. 8. cap. 2. & vicissim dixit Euripides, ἐρᾶν ὄμβρου γαῖαν ξηρανθεῖσαν, *terram aridam & siticulosam amare pluvias*. Sic apud Coint. Smyrn. l. 1. v. 65. ἄλωαὶ ἐελδόμεναι Διὸς ὕδωρ, *arva desiderare Jovis aquam*, dicuntur.
7. Quæri hîc potest, 1. *An plantæ aliæ aliis astris, Planetis inprimis, subjectæ sint?* Esse quandam Sympathiam inter sidera & plantas, respectu

qualitatum, quâ manifestarum, quâ occultarum non negandum: Sed has certis Numinibus quæ sidereis esse sacras, à quibus illæ vim capiant & efficaciam, pagana videtur superstitio, ex antiquissimâ, Ἀστρολατρείᾳ orta: nec in Christiano Philosopho toleranda. 2. *An Zephyrus animam inspiret plantarum seminibus?* Plinius ait: *Maritat eo vivificentia è terra: ut & equæ ex Hispania. Hic* inquit, *est genitalis spiritus mundi, à fovendo dictus Favonius. Flat ab occasu Æquinoctiali, Ver inchoat: catulitionem vocant rustici: gestiente natura accipere eoq; animam inferente omnibus satis* lib. 16. cap. 25. Falsum hoc esse, nisi commodè interpretemur, mox discemus. Est tamen aëris, cujus agitatio venti sunt, vis in eliciendis plantis, in aperiendo terræ gremium, deniq; in provehendo, recreando, defendendo terrâ nata, manifesta. Sin accidat intemperies, pestem & perniciem affert: nec aliunde frequentiores plantarum morbi & interitus, de quibus suo loco. Atq; hoc est *Cælum* illud, in quo nubes, *pars expansi*, in S. Literis, Cant. 4. 16. Apocal. 7. v. 1. 3. Amos. 4. 9. Hagg. 1. v. 10. 11. Hos. 13. 15. Joël. 1. 19. 20. Eccl. 11. 4. Sic Zephyrus humore & calore temperato terram aperit, & confovet; ut catulire incipiat, pronaq; fiat ad parturiendum & apta, dum vim vegetabilem suscitat. Unde *flores* ἄνθη ἀέρ... Sap. 2. 7. Zephyri & *Terræ filii.* Confer Ezech. 37. v. 9. 10. Eurus contrà, Zephyro oppositus adurit & exsiccat, pestis & pernicies plantarum Ezech. 17. v. 10. & 19. v. 12. Jonæ, cap. 4. v. 7. 8. De catulitione Cantic. 2. v. 11. 13.

3. D

8. *De Terræ qualitatibus*, Virgilius 2. Georg. & ex eo Laurembergius, lib. 1. Horti culturæ cap. 2. Veteres item Varro l. 1. cap. 9. & Columella l. 2. capp. 1. & 2. & Palladius l. 1. cap. 5. & alii. Dignoſcuntur, viſu, guſtu, olfactu, & tactu. *Optima* nigra, aut miſti coloris, *quæq; frequens herbis, & fertilis ubere*; dulcis, ſuavem odorem exhalans, pinguis & glutinoſa, & quæ picis in morem ad digitos lenteſcit. *Non bona*; alba, nuda, ſalſa aut amara, ingrati odoris, macra, ſicca, frigida. Nec hæc ignota S. Scriptoribus noſtris. Mentionem faciunt rubræ, ſuaveolentis, pinguis, lapidoſæ, ſalſæ amaræ, malè olidæ, ſiccæ, aridæ, &c. De odore terræ benedictæ locusque eſt elegans Geneſ. 27. v. 27. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, ita Vulgatus, ut LXX. ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ πλήρους, fragrantibus ſcilicet herbis & floribus referti, *Bonfrerius*. Sed vox pleni redundat, *ut notat Amama in cenſurâ Vulg. Verſ.* Nam in Hebræo eſt tantum vox שדה *Sade*, tàm campum & paſcuum, quàm arvum & ſativum, cultumque ſignificans. Videtur itaque ruſticâ ſimilitudine reſpicere bonus colonus Iſaac, ad *halitum illum divinum, quem terra* benedicta *emittit, cùm à ſiccitate continuâ imbre immaduerit ex Sole conceptum, cui comparari nulla ſuavitas poſſit*, Plinius l. 17. cap. 5. Nam & tunc benedici à DEO dicitur, cùm tempeſtivos imbres cœlitùs ſuperfundit. Verùm hæc tantùm exempli gratiâ. Habet Sacræ veræq; Phyſiologiæ Studioſus, ubi ſe exerceat.

CAP. V.

De Caussis artificialibus.

1. ARs quæ naturam adjuvat & æmulatur, *γεωργικὴ* eſt vel *γεωπονική*. Pulcherrimum argumentum, ſi quis è S. literis exponat. Nos ſummas ducemus lineas. *Auctor* ejus Deus eſt, qui terram cum plantis creavit & conſervat; culturam ejus homini mandavit, Geneſ. 2. 15. & cap 3. v. 17. 23. ipſe rationem inſpiravit & docuit, Eſa. 28. 26. Dan. 2. 20. laboribusque benedicit, Pſ. 107. 37. 1. Cor. 3. 7.

2. DEI *συνεργὸς Colonus* eſt, 1. Cor. 3. v. 9. עבד אדמה *Obed adama*, cultor terræ, Geneſ. 4. 2. אכר *Ikkar*, fortè à fodiendo, *γεωργὸς ἀγροτὴς*, Jerem. 51. 23. יגב *Jogeb*, à *jegeb*, agro, 2. Reg. 25. 12. נטע *Note*, plantator, Jerem. 31. 5. כרם *Corem*, *ἀμπελουργὸς*, vinitor, Joël. 1. v. 11. *κηπουρὸς*, hortulanus, olitor, Joh. 20. 15. &c. Tales fuerunt & Patriarchæ antiquiſſimi, & ipſi quandoq; Reges, Eccl. 2. 4. 1. Reg. 21. 2. Paralip. 26. 10. &c. *Requiſita*; *ſcientia*, quid quoque tempore agendum ſit? Habent enim omnia tempus ſuum, Eccl. 3. v. 2. & ut Boëthius ait:

Quicquid certum deſerit ordinem,
Lætos non habet exitus.

Induſtria, labor ſudorque, nihil procraſtinando. *Arator niſi incurvus prævaricatur*, vetus lex eſt apud Plin. & *Res agreſtis inſidioſiſſima eſt cunctanti*, apud Columell. Geneſ. 3. v. 17. 19. Eccleſ. 11. v. 6.

v. 6. *Spes & Patientia*, Jacob. 5. v. 7. *Spes alit agricolas*, *spes sulcis credit aratis semina*, &c. Hæc sunt, *veneficia illa Furii Cresini*, Plinius l. 18. cap. 6. De his plura *Cornarius de Vite viniferâ*.

3. *Instrumentorum* tria genera, *vocale*, *semivocale*, *mutum*, vide Atrium meum Latinit. cap. 57. num. 807. *Vocale*, operarii, mercenarii, cum suo præfecto, ἀγροκόμῳ, Genes. 14. 14. Job. 1. 3. Matth. 20. 1. Jac. 5. 4. 1. Paralipom. 28. v. 26. 28. Rhut. 2. 5. ubi & Josephus. *Semivocale*, boves aratores, vitulæ triturantes, & id genus, 1. Cor. 9. v. 9. *Mutum*, supellex rustica, de quâ Palladius lib. 1. Tit. 43. & Atrium cit. cap. 31. & 32. ac S. Scriptura passim.

4. *Opera rustica* varia: ut arare, 1. Reg. 19. 19. proscindere, aperire, occare, sarrire, Esa. 28. 24. Serere, metere, triturare, ibid. transponere, solum præparare, & q. verrere, elapidando, & pastinando, Esa. 5. 2. & 57. 14. Psalm. 80. 10. pangere malleolos, demittere taleas, ut poni solent salices, Ezech. 17. 5. novellare, Jerem. 4. 3. Hose. 10. 11. 12. irrigare per areolas, ductis elicibus, Ezech. 17. 7. 10. fœdere, ablaqueare, stercorare, Luc. 13. 8. sarculare, putare, Esa. 5. 6. & 7. 25. Levit. 25. 3. aridos palmites defringere, & colligere, Es. 27. 6. 13. Joh. 15. 6. spicilegium facere, Rhut. 2. v. 2. fœnum secare, Psalm. 37. 2. & 129. 3. eruncare, evellere, eradicare, Jerem. 1. 10. Matth. 13. 28. & quæ ad messem spectant, Rhut. & Matth. ll. cit. Joël. 3. 13. Apocal. 14. 15. quæ ad trituram, Levit. 26. 5. Esa. 21. 10. & 30. 24. & 41. 15. Amos. 9. 9. Matth. 3. 12. Luc. 22. 31.

22.31. 1.Cor.9.9. quæ ad vindemiam, Esa.16.8. c.65.8.&c. quæ ad olivationem & pomorum collectionem, Deuter. 24.20. Esa. 24.13. & 17.6. Jer. 24.1. Amos. 8.1. Nahum 3.12. aliaq; id genus plurima; ubi & memorabiles historiæ, ritus ac mores, & inprimis elegantissimæ similitudines, atq; Emblemata rustica sine numero. Argumenti varietas, jucunditas, utilitas, jure meritoque invitare debeat ad tractandum. Res indigna adeò fastidiri S. Literarum plenitudinem adorandam!

5. *Objectum circa quod* Terra est; *proximum* agri, prata, Vineæ, horti: ubi considerari possunt, natura loci, conditio situs, partes, fructus & reditus, singularis culturæ ratio, &c. v. g. *Locus* vel est frugifer, vel sterilis, vel pestilens, Luc.8.8. Deut. 32.32. *Situs* in planicie, in collibus, ad aquas, Esa. 5.2. Cant.4.6. &c. *Partes* sepimenta, sulci, liræ, areolæ, Marc.12.1. Psf.129.3. Ose.12.12. Cant.5.13. Ezech.17.7. *Fructus* ad sementis mensuram non rarò centuplus, ut Gen.26.12. qualis in agris Leontinis Siciliæ, alibi Plin.l.5.cap.4. & lib.18. cap.10. *Nuper in Belgio nostro juxta Liram Brabantiæ urbem, & uno sementis grano, collecta sunt spicæ quinquaginta tres, è quibus grana 2295. expressa sunt,* ait Bonfrerius in Exod. cap.3. v.8. Verùm hæc aliis memoranda relinquemus.

6. *Effecta* & inde commoda agriculturæ sunt cum divinâ benedictione *proxima*; Vinũ, oleum, triticum, linum; inde annonæ copia, & pabuli, variaque emolumenta per totam vitam animalem, Prov. 12.11. & 27.26. cap. 28.19. Ose.2.8. &c.

Cur

Cur pabula animalium sponte suâ nascuntur; alimenta hominum non sine curâ & labore? an quia semina graminis & pabuli, cum pluviis cœlo demittuntur? ut Anaxagoras & Theophrastus putabant, de quo suo mox loco, vide Gen. 3. 17. Noluit DEUS hominem otiari: *Non passus torpere gravi sua regna veterno.* --- Vendit sua dona labore! vide Bodinum Theatr. Nat. l. 3. p. 273.

An arte & curâ nova produci possint plantarum species? Negat Danæus Tract. 3. Phys. Christ. cap. 70. p. 124. Facilis est transmutatio plantarum. Caussam indagabimus posteà.

8. Hinc artis hujus *dignitas, utilitas, necessitas*, & alia *adjuncta*: quò etiam pertinent *Rei rusticæ leges & privilegia*: ut jura illa Divina: ne quis aret bove & asino junctis: ne vinea aliis conseratur seminibus; ne ager unus diversis: ne quis comedat de fructibus arborum incircumcisarum, durante earum præputio; ne lucus plantetur juxta altare Domini: de Terræ Sabbatho; ut pauperibus & viduis aliquis in agro vineâ ve, in messe vel vindemiâ, relinquatur angulus: Si quadrupes pauperiem fecerit, aut alius quis damnum dederit: de immunitate ruricolarum in bello; de non vastandis arboretis, & id genus aliis, Levit. 19. 9. 10. 19. 23. cap. 25. 3. & seqq. cap. 23. 21. Deut. 16. 21. & 22. 9. 10. & 24. 19. 21. Exod. 22. 5. Deut. 20. 20. 6. 19. de his *D. Hottingerus de Jure Hebræor.* & alii Interpp. Verùm hæc obiter: quæ si quis explicare & illustrare velit, magnum conficiet volumen, maximo cum bono Sacras amantium Literas.

CAP. VI.

De Plantarum materiâ & formâ, sive de SEMINE.

1. OMnes plantæ naturaliter producuntur ex ſemine aliquo : etiam quæ per propagines radicum ſe multiplicant, quibus vis ſeminalis & vita per traducem ineſt. Eſt autem *ſemen* corpus naturale, vivum per ſe, quà tale eſt, actu primo, in potentiâ propinquâ ut ſit planta. Itaque in ſemine eſt *materia* plantæ, *& formâ*; quæ & ſemen actuat, ut ſit, quod eſt; & animat, ut fiat, quod nondum eſt. Ita in ſemine non tantum eſt materia, ex quâ plantæ; ſed etiam anima, per quam ſemen eſt, & cauſſa organica, & quaſi artifex, à quo plantæ formantur : vide Scaliger. Exercit. 6. ſect. 7. & ſeqq. & Exercit. 268.

2. Dicitur זרע à *Zarà*, ſerendo, ut σπέρμα, & ſemen, quaſi *ſerimen*. Varroni tamen, *quaſi ſemiplanta : quia non planè id eſt, quod inde eſt*, 4. de L. L. Non tantùm *collectivè* uſurpatur de pluribus, ſed etiam *individuè*, ut κόκκον σίτου ſingulare, 1. Cor. 15. 37. 38. ita Galat. 3. 16. Neque caret numero plurali vocabulum Hebraicum. Ipſi Thalmudiſtæ triplicia זרעונין *Zeronim*, ſemina diſtinguunt, annonæ, leguminum, & hortenſia, apud Buxtorff.

3. *Cauſſa Efficiens prima*, DEUS eſt, qui in Creatione vim ſementandi omnibus plantis indidit, Gen. 1. v. 11. & adhuc ſemen dat ſeminanti, illudq; multiplicat, ut ſufficiant ſementes, & ali-

menta,

menta, 2. Cor. 9. 10. Gen. 26. 12. efficitq; *corpus ſemini* ſuum, id eſt, *naturæ ſuæ*, juxta Syrum, ſcil. τὸ γεννησόμενον, quod ex ſemine naturaliter prodit, ita tamen, *ut voluit* DEUS, qui naturam liberâ voluntate inſtituit & conſervat, 1. Cor. 15. 37. 38.

4. *Cauſſa Secundæ*, ut ſupra, Cœlum & Terra, Oſe. 2. 22. *An hinc* αὐτομάτως *plantæ nullo jacto ſemine?* Videtur affirmari, Marc. 4. v. 28. Αὐτομάτη ἡ γῆ καρποφορεῖ. Verùm hoc opponitur hominum curæ & ſollicitudini, v. 27. Neq; favet Eſaias, cùm ait; *Terram fœcundari pluviis, ut proferat ſemen*, cap. 55. v. 10. Nam de generatione univocâ fit ſermo, quâ pluviis fota & excitata terra ſemen conceptum in plantam transmutat, & ex plantâ iterum ſemen producit. Magis tamen urget, quod Propheta ad literam agit *de Regeneratione Spirituali*; ut per allegoriam à generatione naturali, Apoſtolus; 1. Petr. 1. v. 23. 25. & Dominus ipſe, Luc. 8. v. 11. 15. At hic Verbum DEI & pluvia eſt & ſemen, quod cum pluviâ de cœlo venit. Sic Theophraſtus obſervat *per aërem, perq; aquarum eluviones, ſemina, ſæpè advehi, ac non rarò naturas eorum latitare, ut ſalicis, ulmi, thymi.* Hac latente ſeminum naturâ fit, ut & plantæ ſubinde aliæ in alias mutentur, & animalia ex ſeipſis gignant: non omnis generis promiſcuè, ſed cognata, ut docet Scaliger Exerc. 59. ſect. 2. Sed & hæc generatio univocè fit, non ſine ſemine; undecunq; illud adveniat.

5. Contrarium docere experientiam putant: Ad terram enim tenuiſſimè cribratam, ex pro-

fundiſſimo puteo extractam, in turris altiſſimæ faſtigio aſſervatam, neque venti, neque aquæ vis advehere ſemina valet: nihilominùs tamen plantas è ſinu ſuo producit, obſervante Lauremberg. lib. 1. Horti cult. cap. 14. Addit argumentum à majori: *Si absq; præjacto ſemine, per putredinem, animalia è tellure progigni ſæpenumero contingit, quidni plantis idem uſu veniat?* Repetit Jonſtonus, ut dixi cap. 3. num. 4. quæſt. 4. Sanè, qui omnia viva ex ſemine ſuo univocè naſci pugnant, in nodos inexplicabiles ſe induere videntur. Unde *vermis in Jonæ Ricino?* cap. 4. v. 7. Creatum dices? non nego, ſed addo: non ſine naturæ adminiculo, aut ex nihilo: nec Vocabulum Hebraicum וימן *Vajman*, creationem ſignificat, ſed conſtitutionem, præparationem. *Omnia habent vermem ſuum*, ait Auguſtinus: Plantæ, fructus, frumenta, legumina, radices, ſcapi, ſemina, ligna, ſingula ſui generis peculiarem: ipſi homines diverſi generis, aliis aliiſque partibus corporis, acaros, tænias, lumbricos, lendes, pediculos. Lapis Scoticus duriſſimus herbeſcit, & in ſilicibus reperiuntur vivi bufones, docui Theologiæ Symbol. cap. 146. & 198. Neque tamen talia prorſùs ſine ſemine; quanquam non ex ſuo univocè dicto ſemine; ſed ex latente aliquo, per putrefactionem orto in materiâ diſpoſitâ, & animato divinâ benedictione: quæ à principio terræ hanc vim indidit, non ſemper, ſed hîc & nunc exſerendam, concurrente cœlo. Qualia non actu à DEO producta diximus, ſed in ſuis cauſſis, cap. 3. quæſt. 7. Verùm hæc Phyſicis relinquamus, vide

interim

interim Voëtj Disp. de Creat. Part. 8. Tomo 1. Select. p. 727. & ibi citat.

6. *Materia & forma* seminum *specifica* varia est. Itaq; etiam accidentibus & propriis differunt, neq; adeò quidvis ex quovis nasci potest. Alia forma est coriandri, Exod. 16. 31. alia Sinapi, Matth. 13. 32. non tantùm specifica, quâ sunt, quod sunt, naturâ & indole propriâ; sed etiam accidentalis, quâ alia semina magna, parva, minima; oblonga, rotunda, angulosa; foliacea, canaliculata, &c. vide Atrium meum Latin. num. 204. ex Plinii lib. 19. c. 7. Differunt etiam *partibus materialibus*, de quibus cap. 2. suprà. Earum ἀναλογίαν cum partibus humani corporis, eleganter explicat Laurembergius l. cit. cap. 12. ut vel hâc ratione Platonici rectè dixerint: *Plantam esse hominem quasi inversum.*

7. *Forma verò generica* anima vegetativa est, quæ est spiritus quidam à DEO creatus, Psal. 104. v. 30. in quo est δύναμις ζωτικὴ, facultas vivifica, per quam plantæ & nascuntur, & quædam quotannis renascuntur, nutriuntur, crescunt, vitæq; suæ munia perficiunt, divinâ ordinatione. Per hanc formam *semen verè bonum* dicitur, Matth. 13. 24. *semen veritatis*, Jerem. 2. 21. perfectum suo genere, & vivum; ut mortuum, quod vel computruit, Joël. 1. 17. vel exaruit, Matth. 13. 6. &c. Hinc φθαρτὸν, quod mori potest, 1. Petr. 1. 23. Sic *vivere plantæ*, *& senescere*, *& mori* dicuntur, Cicer. 5. de Finib. occidi, Psalm. 78. 47. mori & reviviscere, Job. 14. 7. 8. Esa. 6. 13.

8. Hinc

8. Hinc Quæstiones: 1. *An seminibus anima insit actu?* Resp. Actu ad esse suum, ut sit semen quodque verum, non cadaver quasi seminis: potestate, ad esse speciei, ut ex se producat plantam, Scaliger Exercit. *6.* cit. At Apostolus ait: *Semen non vivificatur, nisi mortuum fuerit prius*, 1. Cor. 15. 36. Resp. Mori dicitur, cùm desinit esse; non simpliciter, sed quod erat, scilicet semen: vivificari contrà, cùm incipit esse; non simpliciter, sed quod non erat, scilicet planta. Nam verè & simpliciter mortuum, vivificari nequit, vitamque actu secundo exserere, nisi miraculo; cùm actu primo non insit.

2. *An eadem anima in semine & in planta?* Resp. Eadem: ut quanquam semen nondum sit planta actu, tamen sit potestate. Nam & semine, ut Apostolus dixit modò, mortuo & mutato, quoad formam corporeitatis suæ, transit in radices, & germina, ipsaque sibi aptat corpus aliud, proprium pro ingenio suo, divinâ benedictione.

3. *Ubi sit anima?* Resp. *Seminum*, non in tegumento sive involucro, in quo velut utero clauduntur; neq; in externis corpusculi ornamentis, quibus quasi amicitur multiformibus; sed *in corde*, in nucleo ejusq; succo: quo extincto sterilescunt. At *plantarum*, etsi per omnes partes diffusa sit, sedem tamen principalem habet, magisq; habitat, vel in radice, vel in stirpe; unde aliter atque aliter cæteris se partibus communicat; ut avulsæ vel vitam servent & se propagent; vel paulò post amittant & tabescant. Est enim ma-

teria-

terialis hæc anima, & divisibilis. Hinc vitium *malleoli*, salicum *talea*, olearum *surculi* insititii crescunt, Psalm. 80. Ezech. 17. Rom. 11. &c. de quibus in Arboreto. In quibusdam diu latet anima, nullo exteriùs accedente alimento, suo sibi succo vivens, ut regerminent quasi mortuæ, & velut miraculo: attuli exempla de *Clavâ Herculis, & Hastâ Romuli*; ibid. in explicatione *Virgæ Aaronicæ*; & alia: vide *de Oleâ* ib. cap. 38. p. 499. & apud Jonstonum in Præfat. Dendrograph. p. 2. b.

4. *An in unâ planta plures animæ?* Resp. Una specifica actu, quæ tamen in alias & alias formas transmutari apta sit. Hinc plantarum degeneratio, de quo suo loco mox.

5. *An sexus insit?* Resp. ἀναλόγως. Omnibus vis generandi inest, Genes. 1. 11. Virium, fæcunditatisve respectu, aliisq; de conditionibus, quædam masculinæ dicuntur, quædam fœmininæ, & hæ aliquando *masculescere*, Plin. l. 18. c. 13. Aristot. 1. de Plant. c. 7.

6. *An & sensus?* vide Plutarch. de Placitis Philos. & in Arboreto cap. 1. *Odor aquæ*, Job. 14. 9. tribuitur per προσωποποιΐαν. Sed hæc obiter.

CAP. VII.

De communibus Plantarum affectionibus.

1. ACcidunt plantis, ex effectu spiritus sui vitalis, de quo modò dictum; *Germinatio,*

natio, Augmentatio, Perfectio : & ex ejusdem defectu *corruptio*.

2. *Germinatio* βλάστησις, quod Hebræis est צמח *Zamach*, pullulare, פרח *Parach*, germinare tribuitur.

1. *Semini* cùm rumpitur, & prima sursum ac deorsum emittit germina, rudimenta radicis ac stirpis, wenn der Same keimet/auffgehet/ Esa. 61. 11. Marc. 4. 27.

2. *Radici*, cùm ἄνω φύουσα protrudit stirpes & surculos, Hebr. 12. 15. Deut. 29. 18.

3. *Plantis ipsis*, ut cùm in ficu grossi apparent, & in vite florente, non sine grato odore, principia uvarum, סמדר *Semadar*, Hebræis, Cant. 2. 13. & 7. 12.

3. Estq; vel naturalis, quando insitus calor spiritus vegetantis, ab ambiente calore terræ excitatus, quem è cœlo terra concepit, incipit trahere & combibere humorem, quo fœcundata semina, vel radices, vel plantæ, ruptis folliculis aut corticibus suis, fœtum suum protrudunt, Job. 14. 9. Cant. 2. 11. Hebr. 6. 7. vel miraculosa, cujus exempla Gen. 1. v. 11. Num. 17. 8.

4. *Augmentatio*, αὔξησις, fit, quando plantæ, succo terræ alimentoso, quem foris impellente calore cœlesti naturaliter si tiunt & hauriunt, Ose. 2. 21. Esa. 55. 7. cap. 44. 3. cap. 53. 2. Joël. 1. 20. &c. per poros radicum & fibras accepto, insitâ vi suâ crescunt, & pro ingenio gemmas, flores, folia & frondes edunt, Marc. 4. l. c. Sic pluvia dicitur, גדל *gadal*, μεγαλύνειν, arbores, Esa. 44. 14. Hoc

est

est שגא *Sagà* augescere, Job. 8. 11. Psal. 92. 13. unde & שגשג *Sigseg*, crescere fecit, Esa. 17. 11. Miraculosum exemplum Jonæ cap. 4.

5. Sequitur *Perfectio*, ἀπαρτισμὸς, quando jam fructus pariunt plantæ & semina. Quod virili quasi earum ætati competit. Nam cùm germinant, infantia est: cùm crescunt, adolescentia: sequitur tandem Senectus, quæ & ipsa tamen non est sterilis, Job. 14. 9. & Psalm. 92. cit.

Manè puer flos est, media Vir tempore Lucis,
Deniq; sub noctem, Sole cadente, senex.

Sic de Tripolio fertur manè album habere florem, meridiè purpureum, vesperi phœniceum, apud Dioscoridem. Fabulosum ait esse Dodonæus: non tamen repugnare simpliciter veritati, ut florum colores unico subinde die mutentur, l. 2. Pemtade 3. cap. 22. Sic Ausonius:

Quàm longa una dies, ætas tàm longa rosarum;
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

6. *Corruptio* alia accidit semini, alia plantis & satis: mortem imitatur. *Semina* moriuntur, vel *totaliter*, per vitæ extinctionem, Esa. 15. 6. Joël. 1. 17. &c. vel *ex parte*, per transmutationem naturalem; vel per alterationem, præter naturam; vel per suspensionem actus secundi.

Naturâ moritur semen tritici, quando *transmutatur* in segetem, ut ex 1. Cor. 15. 36. dictum. Ita in Bombyce moritur eruca, & fit bombylius, inde

inde renascitur in Necydalo. Plinius, l.10.cap.22. Quare Paulinus piè de Obitu Celsi:

Cuncta resurgendi speciem meditantur, in omni
Corpore, & in terris germina, & astra polo.

7. *Alterantur* semina, vel vitio spiritus insiti, vel cœli soliq; differentiâ, vel curâ aut incuriâ colentium, aliisq; de caussis: unde degenerant, & alias producunt species, aut qualitatibus sanè differentes. Sic ex tritico fit lolium, ex hordeo ægilops, Matth. 13. v.25. etiamsi nemo serat.

Vidi lecta diu, & multa spectata labore,
Degenerare tamen, Virgil. 1. Georgic.

Deprehensum, Triticum Witteberga satum tertio anno degenerâsse in secale: Hoc autem in Thuringiâ satum tertio anno mutatum in triticum, Laurembergius ex Manlio, lib. 1. Horti cult. cap. 13. ubi multa. Adde Aristot. lib. 1. de Plant. cap. 7. Theophrast. l. 2. de Causs. Plantar. cap. 18. & seqq. Nieremberg. l. 6. Histor. Nat. cap. 21. & seq. Sic ex Vite fit labrusca, ex Oleâ Oleaster, Esa. 5. 4. Jerem. 2. 21. Rom. 11. 17. Sic Esa. 34. 13.

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Miraculosæ transmutationis exemplum dedimus in Arboreto, ex Esa. 55. 13. quod tamen in πρακτικῶς spectat ad artificialem. Curâ enim humanâ pro spinis & rubis educantur arbores utiles: sed divino beneficio fit, ut steriles & noxiæ mentes, quasi sentes, mutentur in arbores justitiæ. Sic homines in arbores transformant fabulæ Poëtarum; qui & vicissim homines producunt ex cavis arborum, ex duris lapidibus, ex formicis, &c.

8. *Plan-*

8. *Plantarum* corruptio non absimilis est, alia partialis, alia totalis: utraque vel ab extra, à cœlo, ventis, terrâ, feris, hominibus; vel ab intra, ex defectu spiritus vegetantis, & morbis, quales sunt ὀβίσις, μάρανσις, & alia contraria mox dicenda: quædam tamen reviviscunt & regerminant, ut ex Job. 14. 9. Dan. 4. 12. 13. ll. cit. Aristot. l. 1. de Plant. capp. 1. & 2. &c.

Mors hæc, reparatio vitæ est!
Sic semina sicca virescunt,
Jam mortua jamq; sepulta:
Quireddita cespite ab imo,
Veteres meditantur aristas!

ut canit Prudentius Cathemer. 10. & Tertullianus de Judicio Domini:

Arida sic vacuis redduntur semina terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis:
Nonne animatur & hinc reparatis culmus aristis?
Atq; iterum vivis flavescunt fortia granis?
Consurguntq; nova, vario cum fœnore messes?

CAP. VIII.

Plantarum finis & usus.

1. PLantæ creatæ sunt propter DEUM, mundum, animalia, homines: Scilicet 1. *ad Dei gloriam*, cujus potentiam, sapientiam, bonitatem mirificè concelebrant, Psalm. 148. 9.

2. *ad mundi perfectionem* & ornatum. Terra chao similis, *Tohu vabohu*, informis & inornata, luget sine plantis, Jerem. 4. 23. 28. Hose. 4. 3.

Joël. 1. 10, 12. &c. *Turpis sine gramine campu[s]*
& sine fronde nemus.

3. *ad animalium*, hominum inprimis multipli[-]
cem *usum.*

2. *Usus* ille vel sacer est, vel profanus. *Sacer* ve[l]
Physicus, ex ipsâ naturâ ejusque contemplatione[;]
vel *theticus*, ex lege aliquâ positivâ. Ipsa natur[æ]
inspectio ad Creatoris laudem invitat. Ita lau[-]
dant, cùm nos ad laudandum exsuscitant, Dan. 3
Fragm. v. 73. 75. Docentque varia, de DEI cum
primis beneficiis, nostrisque debitis officiis, Job
12. 7. 8. Matth. 6. 28. Quare passim, ad mysteri[a]
fidei illustranda, à Spiritu Sancto in S. Literis ad
ducuntur, ut Joh. 15. v. 1. & 8. Qualia multa i[n]
Arboreto.

3. Tritum est Virgilii ænigma Bucolicum:
Dic quibus in terris, inscripti nomina Regum,
Nascantur Flores.

Hyacynthos esse Grammatici ferè conspirant: si[ve]
appellant Lilia purpurea, quorum folia, nigr[is]
quibusdam sparsa punctulis, literarum quædam
rudimenta ostendunt. Hinc Theocritus vocat
γεγραμμέναν ὑάκινθον, *scriptam hyacinthum.* Sic Ovi[-]
dius ænigma videtur exposuisse, etsi ad aliam fa[-]
bulam retulit, 10. Metamorphos. ubi Apollo:
Ipse suos gemitus foliis inscribit, & ai, ai,
Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta es[t].

Nam alii primas nominis Ajacis literas apparer[e]
putant. Pulchrior est piorum quorundam obser[-]
vatio; in quodam genere Cotyledonis, γῆς ὀμφα-
λὸν, *Venerisve umbilicum* vocant, à *figurâ*; flosculi
candidis, minutissimis sanguineis punctulis, in[-]
scri[-]

criptum reperiri, nomẽ Tetragrammaton, JEHOVA! Verissimè dixeris; notis in conspicuis illud extare in quolibet seminis granulo, florũ apiculo.

4. *Ex divinâ Lege* sunt plantarum quarundam & fructuum *Decimæ*, Exod. 22. 29. Deut. 14. 22. Nehem. 13. 5. &c. *Primitiæ* item & *fructus primitivi*, Exod. 34. 26. Lev. 2. 12. 14. c. 23. 10. Num. 18. 12. c. 28. 26. Deut. 26. 2. Prov. 3. 9. &c. Quæ quodammodò jus Naturæ attingunt. & Gentium quoque moribus recepta fuerunt. Adde usum Ceremonialem in oblationibus & libaminibus, *Mincha & Nesech*, vocant Hebræi, Gen. 4. 3. Levit. 2. & passim. Pertinent eodem festarum frondium gestamina, & coronæ Deorum, & φυλλοβολίαι, & alia, de quibus plura *in Arboreto*.

5. *Usus profanus* est communis. Ita *profanare vineam*, v. g. est post initiationem ex Sacrâ communem facere, Lev. 19. 23. 25. Deut. 20. v. 5. 6. & 28. v. 30. Jer. 31. 5. Neque licebat in Terrâ Sanctâ populo vesci de fructibus arborum *durante earum præputio*, & ante annum tertium à plantatione exactum, vide D. Hottinger. Jus Hebr. Lege 220. de Proventu quarti anni, & L. 251. de non edendo præputio.

6. Est autem usus hic plantarum, aliis homini cum bestiis *communis*, alius *peculiaris*. Communis ad escam, ad medicinam, ad habitacula: peculiaris ad vestimenta, ornamenta, instrumenta, & alia. Ajo, *inquit Laurembr. in Præloq.* à plantis hominem accipere pleraque omnia, quorum vitæ indiget usus: seu vivendum sit simpliciter, seu commodè, seu voluptuosè; Nimirum humana imbecillitas

opus habet, 1. Cibo, 2. Potu, 3. Medicamentis, 4. Amictu, 5. Habitatione, 6. Suppellectili, 7. Navigiis, 8. Oblectamentis sensuum & animi. Nihil horum est, quod plantæ nobis de suo penu non largiantur. Quod postea pluribus exsequitur, ut & ante *Joh. Bapt. Porta Neapolit. lib. 1. Villæ suæ capp. 1. & seqq.*

7. Commendat hunc multiplicem usum S. Scriptura passim. *De Cibo & Potu*, Gen. 1. v. 29. 30. Psalm. 104. 14. Hinc arbores fructiparæ Hebræis עץ מאכל *Ez Maocal*, lignum cibi, Levit. 19. 23. Deut. 20. v. 19. Herbarum tamen, & graminis esus jumentis & feris proprius, Dan. 4. 29. velut olerum pauperibus, Genes. 3. 18. Prov. 15. 17. & frugalibus, Rom. 14. 2. Quo pertinent olera Prophetarum, ut 2. Reg. 4. 39. & legumina Danielis ac sociorum, cap. 1. v. 12. & similia. De rapis Genistarum dixi in Arboreto. De melle in arboribus, & *de acridibus*, cibo S. Johannis Baptistæ, multa Interpp. Matth. 3. v. 4.

8. *De Medicinâ*, nam, ut canit Macer:

Escas antiquis hortus dabat, & medicinas; passim quoque S. Literæ, 2. Reg. 20. 7. Genes. 50. 1. 3. Luc. 23. 56. Johann. 19. 39. Jerem. 8. 22. Sap. 16. 12. Sirac. 38. 4. Varia remedia ab animalibus reperta, usui futura & homini, describit Plinius lib. 8. capp. 26. & 27. *Cervus sagittâ transfixus, scit sibi dictamno medendum: Hirundo pullos novit oculare Chelidoniâ. Peccator exomologesin præteribit?* Tertull. de Pœnit. De his *in Sacrâ Pharmaceuticâ, & Diateticâ* dicendum esset, de quâ nonnulla Alstedius in Encyclopæd. Biblicâ, sect. 48.

9. De

9. *De habitaculis*, non est dubium quin primi homines sub arboribus habitârint, rudesque deinde sibi ex frondibus fecerint casas, Genes. 3. 8. & 4. 20. & 9. 21. & 12. 8. & 13. 5. Sic Pastores & pecuarii, Esa. 38. 12. & vulgò libenter sub vite, ficu, oleâ, aliisque umbrosis arboribus. Unde Festivitas annua Tabernaculorum, de quâ in Arboreto. Pertinet huc, quæ ad *S. Architectonicam* spectant, & *Naupegian*, vide dicta in Atrio meo Latin. cap. 48. Sic & in arboribus nidulantur aves, sub iis stabulatur feræ, Psalm. 104. 12. Ezech. 17. 23. & 31. 6. Dan. 4. 12. 21. Matth. 13. vers. 32. ubi & apum alvearia, Esa. 7. 19.

10. *De Vestimentis*, ex foliis arborum, Gen. 3. 7. ex lino, lanâq; quæ & ipsa ex plantis, ex serico, aliisque, de coronis & sertis, florum odorumque fasciculis, Cant. 1. 13. Sap. 2. v. 8. &c. passim. Nec *arma, instrumenta, utensilia*, magnamq; partem urbanæ rusticæque suppellectilis enumerare lubet. *Cremia*, arida & tenuia ligna, Psal. 102. v. 4. apud Vulgat. Interp. & Columellam l. 12. cap. 19. & quæ arbores facilè ignem concipiant, inter se attritæ, Seneca 2. Quæst. Nat. cap. 22. Atrium dictum num. 47. Esa. 44. 14. 15. & alia nota, dictaque sunt in Arboreto.

11. Neq; *Abusus* minùs latè patet: ad luxum, fastum, voluptates illicitas, superstitionem, & Idololatriam. Hinc arbores Diis consecratæ, Luci & fana Deorum, simulachra, Deut. 16. 21. 22. Esa. 44. 13. Hose. 4. 12. 13. ubi & de *Xylomantiâ*, divinationis specie, ut Deut. 8. 11. Ezech. 21. 21. de quâ

Delrio l. 4. Disquis. Magic. cap. 2. quæst. 7. sect. 3
Verùm hæc præfunctoriè: quæ si quis exsequi vellet justum volumen facilè conficeret.

CAP. IX.

De Plantarum accidentibus, & inde differentiâ.

1. Accidentia plantarum, quibus inter se differunt, alia *externa* sunt & sensui obvia, ut color, odor, sapor: alia *interna*, quæ ratio usu & experientiâ deprehendit, ut sunt variæ illarum facultates & vires.

2. *Color* varius est: *Albent* virgæ frondium decorticatæ, Gen. 30. 37. rami à locustis arrosi, Joël. 1. 7. semen coriandri, Exod. 16. 31. Seges matura ad messem, Joh. 4. 35. & inprimis liliorum calathi, stantibus in medio aureis crocis, ut vincant argenteam Salomonis trabeam, candore; & auro intexta lilia, Matth. 6. 29.

Flavet, rubetve potiùs, vinum in vitro, Prov. 23. 31. Esa. 63. 2. *purpurat* sanguis vermiculi è cocco expressus, Esa. 1. 18. *Aurea* sunt quædam poma, Citria, Aurantia, Chrysomela, & quod dicitur Pomum amoris, Prov. 25. 11. *Puniceum* est fragmen mali Punici, Cant. 4. 3. & 6. 6. Florum varietas infinita, εὐπρέπεια τοῦ προσώπου, eleganter vocat S. Jacob. cap. 1. v. 11. *Viriditas* communis est: ut in arboribus foris, ἡ χλοερότης, & intùs, ἡ λευκότης, *Arist. 2. de Plant. c.* 8. initium in plantis omnibus Colorum, τὸ ποῶδες, color herbaceus, *Id. de Col. c.* 5.

5. Nullius coloris gratior oculis adſpectus eſt, quàm cùm terrâ viridi ſegete, quaſi Smaragdinâ tunicâ, amicitur, Sir. 40. v. 22. *Plin. l. 37. c. 1.*

3. *Mutantur* colores plantarum, cum ætate & incremento, tàm integris, quàm in partibus, foliis, floribus, fructibus; mirifico naturæ luſu. Sic ſeges in germine viret, in culmo flaveſcit, in ſpicis albeſcit. Uvæ, prunæ, & id genus fructus alii, primò ποώδεις herbacei, mox ἐπιφοινικίζουσι; demum ex rufo tranſeunt in purpureum, aut nigrantem, *Ariſtot. de Color. cap. 2. & 5.*

4. *Cauſſa* iſtius tàm varietatis, quam variationis, vulgò poni ſolet, partim in elementorum multiformi contemperatione, partim in humoris alimentarii diſpari concoctione, *Ariſtot. l. cit. Danaeus Phyſ. Chriſt. Tract. 3. c. 58. Scalig. Exerc. 325. ſect. 8.* Sed hic rectè affirmat; *miſera eſſe ingenia, quæ ab elementis colorem, non à formarum facultatibus elicerent*, Exerc. 176. & Ariſtoteles ipſe ait: Flores cùm maturuerunt, mutari, εἰς τὸ κ(ατὰ) φύσιν χρῶμα. Plinius fatetur; *inenarrabilem eſſe florum ſubtilitatem: quando nulli poteſt facilius eſſe loqui, quàm rerum naturæ pingere*, l. 21. c. 1. Ad Sapientiam & Providentiam Cauſſæ primæ nos reſpicere jubet Dominus noſter, Matth. 6 v. 28. 30. DEUS, inquit, DEUS eſt --- *qui pingit flores, & veſtit lilia campi. Quis enim Deus artifex*, ait Ambroſ. l. 3. Hexaëm. c. 8. *Poſſit tantam rerum ſingularum exprimere venuſtatem?* Naturæ benignitatem miratur in his Columella l. 3. c. 21. nos Dei, cujus beneficio tot floribus ver, tot undiq; *verſicoloribus pomis gravidus collucet autumnus.*

5. Ita ad DEUM quoq; & Naturam DEI ministram referendæ ſunt, quæ in plantis apparent, *ſignaturæ* dictæ: quæ vel in ſuccorum tincturâ, vel in plantarum partiumq; figurâ, aut ſimilibus conſiderantur. Sic *Mandragoram*, de quâ Geneſ. 30. 14. ex formâ radicis *ſemihominem* appellavit Columella l. 10. Pythagoras ἀνθρωπόμορφον. *An ex ejusmodi Characteriſmis plantarum natura & facultates medicæ cognoſci poſſint?* Noſtri ſeculi hoc inventum, aut verius commentum eſſe, ait Dodonæus, & multis probat, Pemtade 1. lib. 1. cap. 11. Ludit natura cùm putamina nucum ad humani cranii; cùm caſtanearum involucra ad echinorum inſtar fingit. Antirrhinon flore clauſo os ranæ, aperto rictum Leonis refert: Capitulum foraminoſum, in quo ſemina, canini aut vitulini capitis ſimilitudinem habet; hinc nomina, βουκράνιον, πιθήκιον, κυνοκεφάλαιον, &

--- *biantis ſæva Leonis ora.*

6. *Odorum ſaporumq;* eadem ratio eſt. Suaviter olent agri, Gen. 27. 29. & aromata, Jer. 6. 20. Lilia item & flos vitis, Cant. 2. 13. & 17. 13. &c. Dulcem fructum fert ficus, & malus, Judic. 9. 11. Cant. 2. 3. Amaræ ſunt agreſtes lactucæ, Exod. 12. 8. & uvæ labruſcæ, Deut. 32. 32. Jerem 31. 29. Ezech. 18. 2. abſynthia quoque Proverb. 5. 4. & alia. *Eſurienti amara fiunt dulcia*, Proverb. 27. 7. Optimum enim condimentum eſt fames. Sic *dulcia vertere in amara, nigra in candida*, Proverbio dicitur, Eſa. 5. 20. Soli tamen cœlique bonitate multa miteſcunt, accedente culturâ: ut mala Punica

nica in Ciliciâ: & Perseæ arboris in Ægypto, *translata oblita nocendi*, de quâ melioratione Theophrastus l. 2. de Causs. Plant. cap. 18. & seqq.

7. *De caussis saporum odorumve*, Aristotel. de Plant. 2. cap. 10. & Danæus l. cit. Scaliger rectè dixit; *odorem esse rem divinam*, Exerc. 104. sect. 4. *Accidit à formâ*, inquit, *quemadmodum & color & figura*, Exerc. 141. sect. 1. Sæpiusque reprehendit *istos*, ut ait, *materiales. qui ducunt omnia à primis qualitatibus*, Exerc. 298. sect. 8. *Cur uva immatura acerbo, matura dulci sapore sint?* ut Jerem. 31. 29. *Cur folia ficus amarissima, fructu nihil dulcius?* ut Judic. 9. 11. *Cur coriandri semen suaviter oleat, folia pessimè?* ut Exod. 16. 31. jucunda sunt problemata. *An licitum sit naturas plantarum arte adulterare, & transformare?* ut v. gr. cerasus ferat uvas, persica poma amygdala, genistæ rosas luteas. Bodinus negat: nam *naturam ingenuam sic turpissimâ servitute depravari*, aitq; vetari lege Divinâ, Deut. 22. v. 9. Non credo. Vide hæc & alia apud eum Theatr. Nat. l. 3. p. 289. & seqq.

8. *De Facultatibus* agunt Medici, ut Dodonæus l. cit. & Neander in Syllogâ Phys. p. 1. pag. 153. aliæ *alimentosa* sunt, quæ substantiam augent; aliæ *medicamentosa*, quæ alterant qualitates: Quædam ex manifestis viribus, quædam ex occultâ naturæ proprietate. *Deleterium* est Cicuta, Deut. 29. 18. homini, sturnis pabulum est. Ita

--- *nobis veratrum est acre venenum,*
At capris adipes & coturnicibus auget,

Lucretius l. 4 de uvis deletetiis vide Deut. 32. 31. de Colocynthide, 2. Reg. 4. 39. ad *θελάμματα* spectant coronæ ex rosis, contra fuligines ex crapulâ, Sap. 2. 8.

9. *De Sympathiâ & Antipathiâ*, Sir. cap. 33. 15. & ex eo Vallesius de S. Philosoph. c. 75. Sic amicitiæ causâ plantatur ficus in vineis, Luc. 13. 6. *De occultis qualitatibus* multa narrantur vulgò, non tantùm falsa, sed & superstitiosa, & Magica: ut, quod carmine quodam admurmurato plantæ quædam, aut sub certo siderum adspectu collectæ, majorem acquirant efficaciam: *ruta* sagas arceat & Dæmonas: *Scilla* in limine suspensa domum à veneficiis tueatur: *Æthiopide* herba, addito carmine, claustra referentur: Qualia multa apud Bodinum l. cit. & Matthiol. in Dioscoridem Præfat. ac Epist. Nuncupator. Refutat nonnulla Scaliger Exerc. 344. & alibi. Confer Delrii Disquis. Mag. l. 1. c. 3. quæst. & l. 2. quæst. 9. & l. 6. cap. 2. sect. 2. quæst. 3. ubi de remediis naturalibus contra maleficia. *An venena à Deo creata? & quâ de causâ?* Bodinus l. c. p. 287. 293. Voëtius de Creatione p. 663.

10. *An Brassica oderit vitem?* Negat Lauremb. l. 1. Horti cult. c. 11. & ad Rheni vitiferos colles aliud testantur oculi, ubi inter vites brassicæ luxuriant frequentissimæ. Posset quis suspicari, ex veterum persuasione, impium Regem Achabum *vineam Nabothi* vertere voluisse in hortum olerum, excisis puta vitibus, ne nocerent, 1. Reg. 21. 2. Nam *Gan Jarak*, non est *hortus viridis* odorifer, ut putat Sanctius, ib. Sed vilis, at *utilis culina*; qualem

qualem Romani agricolæ *alteram succidiam* appellabant, *plebis macellum*, in Atrio meo c. 31. Oleribus autem, quo cucumeres, pepones, cucurbitæ, acetaria, & alia pertinent, etiam hodiè delectantur Syri, nec in hortis eorum aliquid studiosius curatur. Talia vitibus inimica esse, manifestâ ratione constat; quod succum intercipiant.

CAP. X.

De Loco & Tempore.

1. NAscuntur plantæ communiter *in Terrâ*, Genes. 1. 29. & copiosè quidem gramen, Job. 5. 25. Psal. 72. 16. --- *Quod nutrit gramina tellus.* Hinc aliæ *in agris*, Gen. 3. 18. Matth. 6. 30. aliæ *in silvis*, Psal. 96. 12. aliæ *in desertis* & siticulosis locis, Esa. 35. 1. cap. 41. 19. exsuccæ & steriles, ut quæ *ad aquas*, contrà Jer. 17. 6. 8. Ps. 1. 3. quædam *in paludibus*, Job. 8. 11. 12. *in montibus*, Psal. 147. 8. *in hortis*, Eccl. 2. 5. 1. Reg. 21. 2. Luc. 13. 19. unde Proverbium:

--- *riguo formosior horto*, Num 24. 6.

2. Sed & *in ipso mari*. Sic *in rubro* miraculo crevisse dicitur, sub pedibus Israëlitarum, χλοηφόρον πεδίον, *campus germinans*, Sap. 19. 7. *An verè?* Negant aliqui, ut Jansenius, & figuratè accipiunt, per hyperbolen: alii affirmant, & plures.

Prosilit herbosus violento è gurgite campus.

Sed quomodo? *an Loci naturâ*? Quia in mari rubro frequentes silvæ, Plinius l. 13. cap. 25. Parium mare in novo orbe, sic implicitum herbis florentibus, ut navigari nequeat, Majolus Col-

log.

loq. 10. At tùm non fuisset *via* Israëlitarum in mari *sine impedimento*, Sap. l. cit. nec apparuisse dicuntur arbores ac frutices, sed herbæ, quæ molle stratum præberent. Ergone *miraculum in miraculo*? Negat Pineda multis, l. 4. de Reb. Salom. cap. 14. ubi de hæc quæstione, pro & contrà. At Auctor Sapientiæ, si quis attendat, omninò videtur triplex prædicare miraculum: 1. Quod *Terra*, tot seculis alto maris tecta, repentè *arida apparuerit*: 2. quod *omnia* Scopulorum, rupiumque, silvarum & dumetorum *remota fuerint impedimenta*: 3. quod *campus apparuerit*, ubi sperare nequiverit, *herbiger*, crescens sub transeuntium pedibus, seq; calcari stupens quasi & gaudens. *Primum* verè miraculum: *alterum* divino consilio accidit, ut illâc mare aperuerit, ubi transitum dare facilem posset: *Tertium* non infrequens. Certum tamen Auctorem, Rabbinicas subinde traditiones secutum, multa σεμνῶς per hyperbolen, aut auxesin, in majus extulisse.

3. *De plantis aquaticis* vide Dodonæum Pemt. 4. l. 5. & Aristot. de Plant. 2. cap. 4. qui etiam *in calidis aquis* nasci docet, & *è duris lapidibus*, cap. 5. de lapide fungifero, Scaliger Exerc. 137. de Scotico herbascente, Cardanus & in Acerrâ Philolog. meâ. *De Loto Ægyptiâ*, quæ occidente Sole se contrahat, caputque totum sub aquâ condat, orienteque emergat iterum, & se explicet Ruellius, Matthiolus, Dodonæus, inprimis Prosper Alpinus in Exot. & Ægypt. & Veslingius in Observat. Nymphææ speciem esse docet

docet Athanasius Kircherus in Obelisco Pamphyl. l. 4. Hierogramm. 19. De eâ Proclus: *Lotus folia complicat ante Solis exortum; oriente eo paullatim explicat, usq; dum medium cæli culmen attigerit: cùm verò ad occasum declinat, paullatim iterùm contrahitur*, de Sacrif. & Mag. Hinc Soli Sacra fuit. *Deum sequere!* vetus Verbum est. *Cur quædam plantæ se cum Sole circumagant?* aut accessu ejus se aperiant, discessu claudant? inquirit Theophrastus l. 2. de Causs. cap. 25. ubi etiam de Loto.

4. Viruit, floruitq; *Rubus in igne*, Exod. 3. 3. majore miraculo, quàm quod Achilles Statius refert: *Oleam, apud Tyrios, loco sacro, & muro septo, ramos diffundere inter flammas innoxias, quas Soli natura emittat:* Subtiles scilicet, & quæ materiam depasci nequeant, vide Acerram meam l. 1. num. 149. & S. Analect. Volum. 2. l. 3. cap. 4. Quin & *in nivibus* crescere flores, easq; perrumpere docet Aristotel. l. c. cap. 3. Quales sub ipsâ brumâ videmus in hortis nostris. Nasci herbis *in Draconum dorsis*, & in Cetorum, ex Bustamantio habet Nieremberg. l. 1. c. 10. *Spicam farris in naso cujusdam mulieris exortam pullulâsse, & rubum floribus coronatum in abdomine*, aliaq; Jonstonus in Præfat. Dendrograph.

5. *Non omnis fert omnia Tellus.* Frustrà est qui rupes, qui Saxa, qui *non profecturis littora bobus arat*, Amos. 6. 13.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi; atq; injussa virescunt
Gramina, Virgil. 1. Georgic. Habet etiam quæq;

regio

regio propria sua quædam bona: *æternâ:* ut Idem, *naturæ lege*: quæ alibi aut nulla, aut rara, aut non æquè perfecta. Sic *Cedri Libani*, Psalm. 92. v. 13. *Rosæ Saronis*, Cant. 2. 1. *Vites & Balsamum Engeddi*, Cant. 1. 14. &c. celebrantur.

6. Sic quoque *omnia tempus habent*, Gen. 8. 22. Eccl. 3. 2.

Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis;
Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
Omnia dat, tollit, minuitq; volatile tempus.
Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum:
Omnia cùm redeant, homini sua non redit ætas!

S. Columbanus ad Sethum. *Quæ semina quoto die erumpant*, dixi è Plinio in Atrio Latin. cap. 12. *Kikajon Jonæ*, noctis filia fuit, filia noctis periit, cap. 4. 10. *Flores natura in diem gignit: magnâ, ut palàm est, hominum admonitione; quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere*, Plin. 21. cap. 1. Sic Job. 14. 2. Esa. 40. 6. Psalm. 103. 15. Jac. 1. 12.

7. *Solstitialis velut herba sumus*, Plautus in Pseudolo Act. 1. Scen. 1. *Hemerocallis*, cui & *spinas* addidit natura. Nam *ubi uber, ibi tuber*, Apulejus. *Viret gloria hominis in carne, tanquam flos fœni: & quæ putatur sublimis, exigua, quasi herba est: præmatura, ut flos: caduca, quasi fœnum*, Ambrosius in Hexaëm: *Sicut rosa delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur: ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter*, Fulgentius Gram. Mythol. l. 2. de Venere, cui rosa sacra habita. Nos florem ita carpamus, ut caveamus spinas; nam ut Petronius:

non

--- *non omnibus unum est*

Quod placet; hic spinas colligit, ille rosas:

& quæramus cœlestia. τὰ ἐνθαῦτα ἄνθεσιν ἔοικεν ἐαρινοῖς : ἐκεῖνα δὲ πέτραις ἀκινήτοις, Chrysostomus.

8. Contrà *arboris dies multi*, Esa. 65. 22. de Ligno Vitæ accipiunt Interpp. Plinius l. 16. cap. 44. *Vita arborum quarundam*, inquit, *immensa credi potest. Cur tamen fœcunda brevioris ævi sint, steriles longioris?* disputat Theophrastus l. 2. de Causs. c. 15. Sed apud Deum fœcundæ justitiæ fructibus perennes sunt; steriles æternùm moriuntur.

9. Quæri hic multa possunt: 1. *Cur Deus plantas, ante alia, produxerit?* Resp. *Ambrosius:* Quia cibus sunt sobrietatis, reliqui deliciarum & luxuriæ. *Augustinus:* Qui nemo incipit à perfecto. Ita DEUS ab imperfectioribus progredi voluit ad perfectiora, & desinere in homine perfectissimo. Confer Pelargum in Genes. Danæum Physicæ Christ. p. 106.

2. *Cur prius pecori pabulum creatum, quàm cibus homini?* Resp. *Ambrosius:* Ut Deus ostenderet, se minima quoque non negligere: & quod etiam illa DEI gratiâ pascuntur, ne quis de suâ sibi industriâ & virtute blandiatur, Psalm. 36. 7. Matth. 6. 30.

3. *Cur cibus & Paradisi habitaculum ante hominem?* Sic hodiè quoq; prospicit paterna Dei cura;

So bald der Mensch sein Leben hat /
Seine Kuche vor ihm staht.

vide Calvin. Instit. l. 1. cap. 14. sect. 22.

4. Cur

4. *Cur plantæ ante Solem?* Sciant omnes Solem auctorem non esse nascentium. DEI clementia terram relaxat: DEI indulgentia prorumpere facit fructus. Sol junior est herbis, junior fœno, *Ambros. in Hexaëm 3. cap. 6.* Sciant DEum non alligatum esse caussis secundis; id Moses ipse docet, Genes. 2. vers. 4. 5. Calvinus loc. cit. c. 16. sect. 2.

10. *Quid de temporis certorumq; dierum electione in plantando & serendo, ac similibus statuendum?* Resp. *Alia* ex naturâ & ratione nixa est, de quâ Eccl. 3. 2. & Rei Rust. Scriptores. Varro l. 1. c. 27. & seqq. Columell. l. 2. c. 8 &c. *Alia* superstitiosa & ἀνεπιτιαλόγητος, Ptolemæo ipsi dicta. Hæc inter cæteras vanas observationes à DEO prohibita, Deut. 18. 10. 14. ubi *Meonen* Hebraicè *Planetarius est, qui*, ut exponit R. Akiba, *observat horas & tempora, dicens: hodie pulchrum est egredi: cras bonum est negotiari.* Hi dies distinguunt, *in fastos*, faustosque, & infaustos, *nefastos*, ἀποφράδας, Ægyptiacos. Putant Ambrosius, Augustinus, & alii reprehendi vanissimam superstitionem ab Apostolo Galat. 4. v. 10. de quâ multa Delrius l. 3. Disquis. p. 2. quæst. 4. sect. 6. Alex. ab Alex. l. 4. Gen. Dier. cap. 26. Cornarius de Re Vinitor. l. 2. cap. 5. p. 369. &c.

11. Sed & in naturali modum tenere prudentiæ est. *Qui* nimis anxiè & curiosè *observat ventum, non seminat*, ait Salomo; jubetq; serere *manè & vesperi*, Eccl. 11. v. 4. 6. Non vetans tamen observare legitimum *sationis* tempus: Ea *duplex* fuit, *autumnalis*, & quasi matutina; *& vernalis*, sero-

erotina; Hagg. 2. v. 20. ubi Franc. Junius in Not. & Delrius in Adag. Sacr. 300. p. 2. ut & Zehneus Cent. 2. Adag. 44. 45.

Signat tempora, propriis
Aptans officiu Deus!

Boëthius. *Favonium opperiri lenti est agricolæ*, Columella l. 2. cap. 11. Confer Galat. 6. v. 7. 10.

12. *De Prognosticis Agricolarum* idem statuendum est: alia enim Prognosis *Physica* est, ut Matth. 6. v. 2. 3. alia *superstitiosa*, & vana. Exempla vide apud Plinium l. 18. c. 35. Prognostica tempestatum describunt Poëtæ. ut Aratus, Cicero, Virgilius, Avienus & alii. Vide quoq; 1. Reg. 18. 43. & 2. Reg. 3. v. 22. Sed hæc ad sacram μετεωρολογίαν spectant.

13. *An & in Mundo futuro, in vitâ æternâ flores coronarii extituri sint? Ligna vitæ*, Apoc. 22. 2. *amarantj*, 1. Petr. 5. 4. & id genus? Affirmat Cornelius à Lap. in Apocal. l. cit. Sed talia per anagogen accipi debent. Sic ibi:

Flos perennium rosarum ver agit perpetuum:
Candet lilium, rubescit crocus, sudat balsamum.

Neque reprehendi debuit ab Aristotele l. 1. de Plant. cap. 2. quod dixisset Empedocles: *Plantas habere genesin suam in mundo imperfecto, & nondum consummato: post consummationem nihil vivum ampliùs generatum iri.* Haustum hoc ex antiquissimâ πατροπαραδότῳ Theologiâ. At Stagirites noster contemptor τοῦ παλαιοῦ λόγου, solam secutus rationem, ducem cœcum, rerum omnium generationem cum mundo statuebat esse æternam.

CAP. XI.

Contraria Plantarum.

1. DE *Corruptione*, quæ quasi mors est, dictum cap. 7. n. 6. & seqq. *Caussa prima* est nunc, post lapsum, *maledictio Dei*: peccantium pœna, ut innumeris S. Scripturæ locis intentata, ubi & de caussis impulsivis, de quibus bene Cornarius l. 2. cap. 13. Considerandа dicta, Genes. 3. 17. Lev. 26. 14. 20. Deut. 28. 16. 18. Esa. 5. 10. Jer. 5 17. Ose. 2. 9. & 9. 2. Joël. 1. 5. & seqq. Amos 4. 1. 7. 9. cap. 5. 11. Mich. 6. 10. Hagg. 1. 10. & 2. 17. 20. & exempla, Exod. 9 24. & 10. 15. 1. Reg. 17. & 18. 2. Reg. 6. 7. & 8 capp. &c.

2. Epicuræum itaque est, quod Deus μήτι πράγματα ἔχει, μήτ' ἄλλῳ παρέχει. Quam blasphemiam Jobo imputare velle videtur Eliphas, Job. 22. v. 13. 14. Et propè accedit, quod Poëta dixit, ex Stoicorum mente:

Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.

Minora Dei negligunt, neq; agellos singulorum, nec viticulas persequuntur: nec si uredo, aut grando quippiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit. Nam ne in regnis quidem Reges omnia minima curant, Cicero 3. de Nat. Deor. vide ibid. l. 2. extremo.

3. Sed & naturæ lex est, à Deo creatore fixa, ut omnia terrâ orta, occidant. *Nihil tamen funditùs interit: unde rectè dicitur; quod ex vitâ mors efficiatur, & ex morte vita: quod ex vigore vivendi, compositi cujuslibet corporis, fiat usq; ad certi*

erta resolutio: & rursùm, in aliam compositionem sdem conductis, fiat ex morte reparatio. Marius Victorinus Afer contra Arium lib. 4. Itaque ab pso conditu plantis indita vis seminandi, quâ nortuæ reviviscerent, vitamque propagarent erpetuâ successione. Solius hominis privileium fuit, naturale, sed ex gratiâ Creatoris, ne nori posset, nisi peccaret, de quâ Immortalitate ictum. Volum. 2. S. Analect.

4. *Caussæ mediæ* vel intra plantas sunt, vel exa. *Intra* ἐξύβρισις, *luxuria*, apud Theophraum, ex abundantiâ humorum & soli ubertate: ...ανσις contrà, ex defectu & exsiccatione: σβέσις, *xtinctio* à frigore, &c. Hinc גפן בקק *Gephen bkek*, vitis frondosa, ὑλομανοῦσα, Symmacho, ...δρος, Aquilæ. ein verwüster Weinstock / *quæ on putata, in flagella frondesq; luxuriat, & humom, quem debuerat in vina mutare, vanâ fronumac foliorum ambitione disperdit*, Hieronyius, Ose. 10. 1. Ita falx, --- *minuendo auget*. ...αθήματα, μαθήματα *Non minuitur persecutionia Ecclesia, sed augetur*, Leo M. Serm. 1. in Nat. A. Petri & Pauli. *Cadebantur Ecclesiæ membra, fidei fructus crescebat, floremq; proferebat* ἀμάντον, S. Nilus de Adscens. Christi Hom. 2. *Vis enim à Deo & Salvatore Christo plantata, pollus ejus est*, S. Justinus M. in Tryphone, &c.

5. Hinc ergò varii plantarum *morbi*, vitia, exrementa, mors: *Vermiculatio*, Deut. 28. 39. Jon. 7. *Clavus, aut fungus*, de quo Joël. 1. v. 7. *posuit um meam Likzapha in spumam*, cùm humor ra-

dicalis crudus, circa imam arborem subsidens, tubercula excreat Fr. Junius ibid. Plinius l. 17. cap. 24. *Defluvium* foliorum & fructuum, Job. 15. 33 Esa. 34. 4. Jerem. 8. 13. *Tabes*, Jer. 12. 4. Ezech. 17. 10. *adustio*, cùm --- *Boreæ penetrabile frigus adurit*, aut *pruina*, à perurendo dicta, *quod fruges & virgulta perurat*, Festus, de quâ Sirac. 43. v. 22. 23. de his Theophrastus passim, Aristoteles 2. de Plant. cap. 9. Mizaldus de Secretis hortor. capp. 2. & seqq.

6. *Extra*, Vis cœli, aut alia. *Cœli* quidem duplex noxia; altera *major* dicta, altera *silens*. *Duo genera cœlestis injuriæ: unum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur: quæ cùm acciderint, Vis major appellatur. Hæc ab horridis sideribus exeunt, velut Arcturo, Orione, Hœdis. Alia sunt illa, quæ silente cœlo, serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cùm facta sunt. Publica hæc & magna differentia à prioribus: aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus; omnibus verò sterilitatem*, hæc Plinius 18. cap. 28. extremo. Eadem repetit C. Cæsius Bassus, in Germanici Aratea. Mox de caussis, injuriæ silentis, astralibus disserens, & denique addens: *Rudis fuit priscorum vita & sine literis, non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem apparebit, quàm nunc esse rationem. Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos: Robigalia, Floralia, Vinalia*, & quæ sequuntur.

7. Ad *vim majorem* itaque pertinent calami-

tosæ

tosæ tempestates, fulminei ignes, grandinum lapides, venti urentes aut vastantes, de quibus in S. Meteorologiâ dicendum esset, vide Exod. 9. 22. & seqq. Levit. 26. 19. 20. Psal. 78. 45. & 105. 32. Esa. 29. 6. Ezech. 13. 13. & 17. 10. & 19. 12. Ose. 13. 15. &c. Græci Θεοῦ βίαν, *vim Dei*, vocant, de quâ Cajus l. 25. §. 5. D. de Locat. Gottes Gewalt/ nostri. Tempestates in Judæâ crebræ & horrendæ סערות *Saoròth* dictæ, cùm Epitheto magnæ, Jon. 1. 4. & Themaniticæ, *ab Austro*, Zach. 9. 14. quem & Poëtæ dixerunt *fulmine pollentem*, Esa. 21. 1. Job. 9. 9. & 37. 9. Habac. 3. 4. Inter ventos maximè nocens, qui & *urens* vulgato Interpp. קדים *Kadim* Hebræis, propriè *Orientalis*, *Ventus Domini*, id est, magnus & vehemens, noto Hebraismo, חרישית *Charissith silens*; καύσωνα vocant LXX. Ose. 13. 15. Jon. 4. 8. Jerem. 4. 11. cap. 18. 17. Ezech. 17. 10. Job. 27. 21. Eurus itaque est, qui vel *Charischit silens*, subtilissimus, vel *Azza fortis*, cum fragore, Exod. 14. 21. uterque spiritum igneum secum ferens: unde & à Physicis choleræ comparatur. Verùm hæc obiter, quæ in Meteorologiâ pluribus essent deducenda.

8. Ad *vim silentem* ergò hic Ventus spectat, ipsumque nomen ab Hebræis Eodem alia referenda, ut 1. *Hazzlazal*, Deut. 28. 40. ubi Vulgatus: *Omnes arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubigo absumet*: LXX. ἡ ἐρυσίβη. Tremellius, *sideratio*. D. Lutherus, das Ungezieffer: Sic Rabbini *locustas* interpretantur, ex vocabuli radice, quod cœlum

 quasi

quasi nube obumbrent. Favet huic Subjecto prædicatum. Nam neq; rubigo arbores absumit nec sideratio propriè fruges terræ; pestes ista utrasque. Itaq; *Hazzlazal*, ad vim silentem cœli non pertinebit. Adde, quod *Zal* Thalmudicis crepitum aut sonitum significat; qualem edunt *Zelzelin*, crepitacula, labia trementia, & locustæ, quando agros depascunt, Habac. 3. 16. Joël. 2. 5. ubi Cyrillus & in Comm. meo ante hos annos 23.

9. Spectat potiùs huc 2. *Jerakon, flavedo*, aurigo, ærugo, rubigo, à colore pallescente. Græci ἴκτερον, dicunt & ὠχείαν, ὠχείασιν, D. Lutherus Brand-Korn / Deut. 28. 22. 1. Reg. 8. 37. Amos. 4. 9. Hagg. 2. 18. & non multùm differens *ros matutinus* viscosus, in æstu, Meelthau / qui à Sole mox absumptus, plantas quasi farinâ conspersas adurit, Esa. 18. 4. ex versione vernaculâ Lutheri, & Ose. 6. 4. de quo in S. Analect. Volum. 2. ut & Ose. 13. 3. Jungitur huic malo 3. *Schiddaphon* ll. cit. Vulgatus modò *aërem corruptum*, modò *aeruginem*, modò *ventum urentem* vertit: Græci ἀνεμοφθορίαν, πύρωσιν, ἐμπνευσμὸν: Tremellius, *uredinem*, Lutherus, Dürre. Et eodem pertinet ἀστροβολισμὸς, σφακελισμὸς, *sideratio*, quando maligno, ut ajunt, sidere percussæ radices nigrescunt, ut Ose. 9. 16. De his, ut dixi, accuratiùs agendum in S. Meteorologicis.

10. Supersunt calamitates *à brutis*, avibus, insectis, hominibus, & malis Dæmonibus, quam Theophrastus vocat, τὴν ἀπὸ τοῦ Δαίμονος αἰτίαν. Nota lex Romana XII. Tabb. de iis, qui *fruges excantâssent, pelliciundo* avertissent, Plin. 28. cap. 2. & ibid.

c ibid. Dalechamp. De insectis multa dixi ad
oël. capp. 1. & 2. Sæpe etiam *sturnus*, ---*gra-
ulusve raptor*

aut cornix anus, aut aquosus anser,
aut corvus nocuit siticulosus,

ut in Priapejs. Exempla horum passim in S. Li-
teris, ut Exod. 10. 12. Joël. 1. 4. 6. c. 2. 25. Job. 1.
10. 16. Psal. 80. 13. 14. Cant. 2. 15. Esa. 27. 12. 13.
Jerem. 6. 3. &c.

11. *Remedia* præscribunt Geoponici varia: *Magica & superstitiosa* multa, Expiationes, Averruncationes, sacrificia, preces, festa, de quibus Cato de Re Rust. capp. 139. & 141. Plin. 18. cap. 28. & seqq. Palladius 1. cap. 35. & recentiores Mizoldus de Secretis Hort. Porta lib. 10. Villæ, capp. 7. & seqq.

Hinc mala rubigo, virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

Hecatæ hoc sacrum fuit, id est, Lunæ triformi, à quâ ista pestis. Sacrificii canini mentio fit Esa. 66. 3.

Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

Quis ille Tages, haruspicinæ auctor, docebit vel solus Cicero, 2. de Divinat. De cultu asinorum solus Natal. Comes, & in S. Analect. Volum. 1. pag. 325. Judæos quoq; caput asini aureum coluisse, mentitus fuit Appion. Palladius l. c. *Item equa calvaria, sed non virginis, intra hortum ponenda, vel etiam asina: creduntur enim præsentiâ suâ fœcundare, quæ spectant.* An quia salacia bruta sunt, & ideo Priapo sacra? addit hujus generis

alia Columella, ex quo hæc, & inter alia *Dardanias artes* contra erucas, & id genus pestes:

Fœmina, quæ justis tùm demùm operata juventæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore, &c.
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti.


Quod & ipsum ex Sacris ortum videtur traxisse. Nihil illo sanguine abominabilius DEO, ut in Arboreto docui ad locum Esa. 64. v. 6. Simulavit itaq; DEI simia Diabolus, sibi quoque abominabilem esse; fugariq; cum pestibus à se immissis posse: vide Plin. l. 28. cap. 7. & ante l. 7. cap. 15.

12. Jam olim Israëlitis sceleratos hos mores affricuerunt vicinæ gentes. Hinc ἀστρολατρεία, cultus *Meléchet*, *& Militiæ Cœlestis*, *Priapi*, &c. *Mensa item Gad & Meni*, Esa. 65. 11. Jerem. 44. 17. Ose. 2. 5. Zephan. 1. 5. & alia. Inde hæret superstitio usque in hanc diem etiam in Ecclesiâ. Vidi ipse vicinum, olim hortulo nostro, omnes arbores onerâsse calvariis & ossibus cadaverum: hunc arborator jusserat adscendere, & talia de ramis suspendere, cum ridiculo carmine, in arborem sterilem: Wilt du nicht Frucht tragen/so trag Schelmen-Bein: & ferebat ea, cùm bipedem bardumque istum asellum ferret. Neque fungus intellexit, se dicterio isto feriri. Sic olim inter Christianos erant νεφελοδιώκται & φυλακτήριοι, anathemate damnati in Concil. Constantinopol. in Trullo, can. 61. & hodiè, qui tempestates, ut ajunt, alloquuntur, die das Wetter ansprechen. Quales illi χαλαζοφύλακες, apud Senecam 4. Quæst. Nat. cap. 6. Mitto plures *Paganias*,

gamas, ita dictas, diversis Conciliis damnatas nec dum funditus extirpatas. *Cura & industria* optima remedia sunt, vide Luc. 13. 8. Esa. 33. 4. *Pœnitentiam* denique contra ista θηλάτα suadet S. Scriptura, ut Joël. 1. cap. toto. Plura Cornarius l. 2. de Re Vinitor. cap. 15. Adde Lauremberg. l. 1. capp. 35. & 36.

Atque hæc *de Plantis* ex S. Literis in universum, nunc quidem breviter dicta sunto. Quæ si quis pro copiâ explicatius tradere cupiat, habebit materiam amplissimam, jucundissimam, & tàm ad S. Scripturæ illustrationem, quàm ad prudentiam Christianam, utilissimam.





LIBER SECUNDUS HERBARIUS.

CAP. I.

Herbæ definitio, divisio



Erba eſt planta minor, minusque vivacis naturæ, creſcens in ſuperficie terræ, animalium uſui, per ſe apta ad eorum ſuſtentationem.

Differt itaq; *ab Arbore*, & fruticibus lignoſis, arborum nomine comprehenſis, *proprietatibus*: parvitate, vivacitate, ſitus humilitate, & uſus commoditate.

Eſt autem *diſcrimen* multiplex: v. gr. *Ratione perfectionis*; aliæ ſunt teneræ, naſcentes, creſcentes; aliæ adultæ & ſtatum perfectum adeptæ. *Ratione quantitatis*; quædam minores & humiliores; quædam proceriores, quæ altiùs ſurgunt, & aliquando arboreſcunt. *Ratione qualitatis*, differunt figurâ, colore, ſapore, odore, facultatibus; hinc aliæ ſalubres, aliæ noxiæ; aliæ alimentariæ, aliæ medicamentoſæ, aliæ coronariæ: Item *ratione cauſſa*, aliæ naturales abſolutè, eæq; ſativæ, aut inſativæ; aliæ artificiales, ubi induſtria naturam adjuvat: Tùm *ratione ſitus*, agreſtes, ſilveſtres, palu-

palustres, hortenses, & id genus. De his libro 1. satis dictum est.

Observationes.

1. *Quodnam sit nomen γενικὸν, apud Hebræos plantarum*? Puto *Zemach*, צמח. *Radix* vocabuli transitivè & intransitivè significat *βλαςάνειν, ἀνατέλλειν*. Ita de gramine, de frumento, de arboribus usurpatur, Gen. 41.6. Exod. 10.5. Psal. 65.11. & 104.14. Convenit Latinum *Germen*, quasi *genimen* dictum: nam & *hortorum & frondium germina* apud Plinium leguntur, & apud Virgilium:

--- *alienâ ex arbore germen*.

Sic Deus cœlesti igne perdidisse *Zemach haadamach germen terræ*, & contra *germini benedicere* legitur, Gen. 19.25. Psal. 65.11. De singulari maledictione locus est Hose. 8. v. 7. *Culmus stans, non ei germen: non faciet farinam*. Sensus est, quamvis seges in culmum excreverit jam stantem, tamen non inerit arista: & si erit, tamen inane carebit farinâ. Hieronymus: *Qui seminant ἀνεμόφθορα, à vento corrupta semina, quæ medullam non habent, quam Græci ἐντεριῶνα vocant, inania vacuaq; recipiunt*, ex LXX. sic Ruffinus: *Nulla cultura respondebit industria: nihil fertilitatis firmitatisq; remanebit; ut solet in culmo, cujus proceritas, per aliquam aëris injuriam, spica plenitudinem non creaverit*.

Metaphoricè, *Christus Zemach germen justum*, quod Deus se Davidi promittit excitaturum, Jer. 23.5. & c. 33.15. *In tempore illo faciam germinare Davidi*

Davidi Germen Justitiæ, & faciet judicium, quod rectum est, *& justitiam in terrâ.* Hinc Zacharias: *Ecce adducam servum meum Germen*, qui scil. *Zemach* jam olim dictus est, cap. 3. 8. & cap. 6. v. 12. *Ecce Vir, Zemach Germen nomen ejus*. Vulgatus: *Ecce Vir, Oriens nomen ejus*, sic LXX. ἀνατολὴ: sed benè Cyrillus Alex. ibi, in Hebræo esse βλάστημα. Chaldæus: *Ecce vir, cujus nomen Messias*. Confer Esa. 4. 2. & 11. 1. & 45. 8. & 53. 1. Quorum locorum collatio ostendit, sic dici, 1. *propter occultum conceptum*: nam ut ex arbore emortuâ, aut terrâ sitienti, præter opinionem & supra sensum, germen, rore cœlesti ac pluviâ fœcundante, repentè erumpit, sic ex domo Davidis succisâ, & sterili Virgine, operante Spiritu Sancto natus est homo DEI Filius. Quod rectè *Maximum omnium operum & miraculorum Dei*, dixit Leo Rom. *Opus mirabiliter singulare, & singulariter mirabile!* 2. *Propter despectum ortum*: Nam tenero germine quid humilius? frugilius? vide quæ *de Statu Exinanitionis Domini* l. cit. Esaias subtexit, cap. 53. & adde Philipp. 2. 7. Sic Dominus ipse cum *grano se tritici* comparavit, Johann. 12. 24. & *semine sinapi*: quod *minimum in semine, maximum extat in olere*, ut ait S. Paulinus Epist. 1. ad Amandum, Matth. 13. 31. Jam 3. *propter ingens incrementum*: Nam ex tantillo germine quanta succrevit arbor? quàm patulis diffusa ramis? quàm grata umbrâ? quàm fertilis fructu? *de quâ passim in Arboreto*: vide *Cedrum* ibi, & *de Ficu Indicâ in Acerrâ meâ*. Deniq; 4. *propter mirabilem effectum*. Ideò enim *Zemach*; quia

quia non tantùm crescet ipse, sed & *de sub eo crescere* debuit propaginum & stolonum innumera multitudo, ut apud Zachariam est cap. 6. 12. Pulcherrimum emblema, cui picto germine, quod manus è cœlo irriget, adscribi possit: *è minimo maximum!* Fortè *de Sinapi & Ficu* plura dicam, huc spectantia. Nota: Putabant veterum non pauci Zachariam in cantico suo, Luc. 1. v. 78. ad hæc vaticinia allusisse: itaque *cum oriente Sole* Christum comparârunt. Sed Prophetas *de Germine* locutos manifestissimum est. Sic apud Ezechielem cap. 16. 7. dicit DEUS, *se multiplicâsse Israëlem in multa millia, sicut Zemach, germen agri.* Pergamus.

2 *An Moses rectè plantas diviserit in duo genera, Herbas & Ligna?* Rectius, quàm qui in quatuor, ut lib. 1. dixi cap. 2. suprà. Nam *Arbor, frutex & suffrutex*, quod vocabulum primus reperit Gaza, Latinis φρύγανον *cremium* est, ut docet Scaliger Exercit. 139. lignoso constant cortice: *herba* caule, eoq; non omnes, nec perenni. Itaq; & staturâ minores, & vitæ breviores sunt, ut vel quotannis è semine renascantur, vel ex radicibus se propagent, paucis exceptis: cùm cætera duro firmata caudice, & tectâ cortice, contra hiemis injurias, etiam in secula perennent. Deniq; *supra terræ superficiem* crescere dicuntur Genes. 1. 29. Statim enim à radice folia fundunt, nec adeò altè attolluntur, & radices non agunt profundas. Ita providit DEUS animalium usui; ut quotannis haberent recens pabulum. Nam quò teneriores sunt

sunt herbæ, eò suaviores ferè, ut *fœnum cordum*: & quæ in cibum veniunt vel *radices*, ut rapa, vel *caules aut capita* ut brassicæ, intra unam æstatem perficiuntur: alterâ, si supervixerint, semen emittunt, ac insipida fiunt. Sed *de usu* jam satis libro priore. *Quid inter Desche, Esеb, Chazir, & Jarak discriminis sit?* ibidem cap. 2. exposui.

3. Metaphoræ & similia ab herbis: Eucherius Lugdun. l. 1. Formul. Spirit. intelligentiæ, cap. 3. *Herba*, inquit, *jucunditas quædam proficientis animæ, in Genesi : producat herbam virentem terra. Item in malam partem: Manè sicut herba transeat.* Videbimus elegantiora quædam exempla.

Numer. cap. 22. v. 4. *Ita abliguriet*, deglutiet *hic populus*, Judæorum congregatio, *omnes qui in circuitu nostro, sicut bos* ירק *Jerek* virorem. *viride olus, agri*: vel ut Vulgatus; *quomodo bos solet herbas usq; ad radices carpere.* Comparat Moabiticus Rex Populum Israëliticum *Bovi* pascenti; se verò cum suis *herba tenera*, in agro, aut patente campo, crescenti. Ominatur sibi suisq; *exitium*, 1. *Certissimum*: quid enim obstet bovi famelico, ne carpat tenerum gramen, ubi neq; sepes, neq; tutamen aliud, neque bubulcus, qui arceat? 2. *Crudelissimum.* Sciebat enim domitis à se Gentibus Israëlitas non imponere jugum, sed funditùs eas delere : neque parcere magis posse aut solere, ex præcepto DEI, Deuter. 7. v. 2. quàm herbæ. Addunt *Origenes* Homil. 13. in Numeros, & *Augustinus* Serm. 93. de Temp. ideò Bovi

ri comparâsse Populum DEI, quòd non tàm manu, quàm ore & linguâ, per preces, pugnaret & vinceret: & ideò ad Bileamum confugisse, ut diris hujus devotationibus Israëlitarum preces retunderet. *Scriptum est:* quia sicut vitulus in campis ablingit herbam viridem, ita populus Israël ablinget populum Amalech super terram: *Per quod indicari videtur, quia populus Dei non tàm manu & armis, quàm voce pugnabat & linguâ, id est, orationem ad Deum fundebat. Ergò & tu si vis vincere, audi Apostolum dicentem: Orationi insistentes & vigilantes in eâ. Hac est Christiani pugna gloriosissima, non in suis viribus præsumere, sed semper Dei auxilium implorare*, ita Augustinus. Pulcherrimum Emblema de Precum victoriâ: Bos herbam depascens, sub Sole sereno: cujus lemma sit; --- *non ense, sed ore!* vide locum Judith cap. 4. vers. 13. Simus modò Boves DEI, & erunt hostes omnes velut herba & fœnum.

4. *Vanitas & fugacitas vita* rerumq; humanarum crebrò per herbas ostenditur. Quatuor, ut puto, extant ejus rei similitudines, 2.Reg.19.v.26. *Erunt*, inquit Deus, *sicut Eseb gramen agri, & Jarek Désche, olus herba, & sicut Chazir herba virens*, ut fœnum tectorum, *& uredine corrupta* seges, dùm messis in herbâ est, *ad facies culmi*, ante stantem culmum, sic Esa. cap. 37. v. 27. Usus ante talibus David: Psalm. 37. 2. *Ne succenseas malignis: Quia sicut Chazir*, χόρτος, *gramen fœni velociter succidentur, & sicut Jarek Désche olus virens*

virens germinis decident, ac marcescent. Et Psal. 90.6. homines *somnio* comparantur; & *chazir gramini, quod manè transit ac mutatur, matutino tempore floret & transit, vesperi resecatur & arescit.* Sic persecutoribus Ecclesiæ comminatur repentinum exitium, Psalm. 129. & 6. *Erunt sicut Chazir gramen tectorum, quod antequam evellatur*, ehe mans es auß rauft/non expectatâ evellentis manu, *exarescit : Quo messor non implet manum, nec sinum*, aut ulnas suas, seine Arme / *qui manipulos colligit* : q. d. ita interituros illos impios, ut sterilia & inutilia germina, quæ neque demeti solent, neque colligi aut asservari. Alia priorum mors est, de quâ Job. 5. v. 26. & suo loco. Confer Psal. 92. 8. & 102. 5. 12. & 103. 15. *Hominis sicut herba dies ejus*, &c. Esa. 40. 6. Matth. 6. v. 30. 1. Petr. 1. 24. Jacob. 1. 10. 11. adde etiam Job. 8. 12. Habemus hinc materiam variis excogitandis emblematibus: ut, ex Psalm. 90. *de vitâ brevitate*; pictâ herbâ cum triplici flore, clauso, aperto, & marcido, delabentibus foliis: Lemma sit illud Lucretii l. 2. --- *brevis est hic fructus homullis.* Item ex Psalm. 129. *de Tyrannis*; vario gramine picto supra ædium tectum, quod Solis æstu marceat & exarescat: Lemma sit --- *brevis ætas, rara Senectus.* Ex illo Martialis:
Immodicis brevis est ætas, & rara Senectus. Nam:

Ad Generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni.
--- Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Ergò --- *jam non ad culmina rerum injustos crevisse*

ſe queror, Claudian. in Rufin. Sic Seneca in
ppolyto:

Admota æthereis culmina ſedibus
Duros excipiunt Notos, &c.

in Agamemn.

Quicquid in altum fortuna tulit
Ruitura levat. Modicis rebus longius ævum eſt.

ɔta autem; *Tecta Syrorum* fuiſſe plana, & apta
ſolandis frugibus: ubi mulieres lini ſtipulas ſic-
re ſolebant, *in contrarium inter ſe verſis faſcium*
cuminibus, ut ſemina in medium caderent, Plin.
). 19. cap. 1. Ita faciebat Rahab, Joſuæ cap. 2.
6. Hinc facile accidebat, ut inter lapidum com-
iſſuras germinarent: ſed cum neq; radices poſ-
nt agere, & totâ æſtate in Judæâ non plueret,
ſi miraculo, ut 1. Sam. 12. 16. *vide Hieronym.*
cap. 4. Amoſi & Cornel. à Lap. in c. 2. Joëlis v. 23.
ıtequam in culmum excreſcerent, æſtu enecta
ıreſcebant, nec ad maturitatem veniebant
ıquam. Ita hoſtes Eccleſiæ Tyranni nullâ
ırâ aut culturâ, ſed ſponte & caſu quodam ex-
ti, cùm neque radice nitantur, & de cœlo non
rigentur, quantò altiùs ſtant, tantò citiùs con-
idunt, neque ad frugem perveniunt, eluſâ ſpe,
uam de ſe præbuerunt, Pſalm. 146. verſ. 3. 4.
taque *talium vanitatem eò magis oſtendit Da-*
id, quod non campi, ſed tectorum fœno compa-
et, quod naturâ & loci conditione citiùs areſcit.
Tales, inquit, *ſunt hoſtium inſultus, ut qui nec*
aditem, nec ſubſiſtentiam habeant; & quam-
is brevi tempore florere videantur, tandem ta-
nen invalidi & infirmi deprehendantur, Baſi-

F lius

lius in Scholiis. *Fœnum tectorum est herba, quæ na-scitur in tectis, in solario, in tegulato: in alto vid-tur, & radicem non habet. Quantò meliùs humi-liùs nasceretur, & latiùs viresceret? modò nascitu altiùs ad celeriorem ariditatem*, Augustin. h. l.

Deniq; quia Scriptura locis citatis *fœnisecii* me-minit, pingi poteſt falx aut secula, quâ fœnisec-uti solent, prato herboso & florulento impacta, inscribi illud: --- *sic transit gloria mundi!* Quo restat, cur totius herbis, aut floribus, res humanæ assimilentur? expediam *in capite de Floribus*.

5. Pertinent huc quoq; illæ Metaphoræ & Simi-litudines, quod 1. Moses optat, ut Cygnæa ipsiu cantio *sic stillet*, & animis auditorũ influat, vel u Chaldæus habet, *dulcescat*, & ut LXX. *avidè ex-cipiatur, quomodo ros irrigans teneras herbas, & pluvia adultas*, Deut. 32. 1. Ita apud Ægyptios *ro hieroglyphicum* fuit *doctrina*. Nam ut eſt apud Ho-rum l. 1. Hieroglyph. cap. 37. *doctrinam scriptu-ri, cælum pingebant rorem fundens. Doctrina enim velut ros communiter ad omnes pertingit quidem sed non omnia corda emollit, quod quædam, velu dura & exsucca germina, humorem non rapiant, τῆς ἰδίας φύσεως*. 2. *De piis* dicitur, Job. 5. 25. *quod li-beri ipsorum at posteri augendi sint, quasi gramen terræ*, conf. Pſ. 72. 16. Eſt enim gramen perquàm fœcundùm, longè lateq; serpit, & radices dulces ac geniculatas ſpargit, unde *à gradiendo* dictum autumat Fuchſius: terræ decus ac ornamentum, nec facilè extirpatur, niſi cum cespitibus tollatur

--- *Turpis sine gramine, campus,*
Et sine fronde nemus, & sine prole domus.

CAP.

CAP. II.

Herbarum Biblicarum Nomenclator.

HErbæ Biblicæ sunt vel *esculariæ*, vel *coronariæ*, vel *medicamentosæ*, specialiter sic dictæ: addo; vel & *vestiariæ*.

Esculariæ, quæ in cibum veniunt, sunt vel *fruges*, vel *olera*.

Frugum duo prima genera: Frumenta, *ut triticum, hordeum*: & legumina, *ut faba, cicer*, Plinius l. 18. cap. 7.

Olera vel *radices* cibum præbent, ut rapum, raphanus; *vel foliis*, ut lactuca, & acetariæ ejus generis, quarum etiam *caulis* edulis est; vel *fructu*, ut pepones, cucumeres, &c.

Coronariæ, coronamenta vocat Cato, qui in hortis quoque seri jussit, flore, semine, & odoratis foliis commendantur.

Medica, etsi omnes sint, tamen specialius, quæ ferè nullum alium præbent usum homini, nisi in medicinis: ut sunt *palustres & aquaticæ*, junci, carices, ulvæ, algæ; & quæ magis gaudent *siccioribus locis*, absynthia, urticæ, lappæ, &c.

Vestiariæ sunt linum, cannabis. Alii aliter dividunt.

Observationes.

1. Ut in conspectu sint, præcipuarum exhibeo catalogum, ordine Alphabetico digestum, annotatis quibusdam S. Scripturæ Locis.

1. *Agmon* אגמון, *juncus*, ab *Agam*. stagno dictus, ubi crescit, Job. 40. vers. 21. Esa. 9. v. 14. cap. 19. 15.

2. *Achu* אחו, *ulva*, carectum, pabulum jumentorum, Genes. 41. 2. Job. 8. 11. LXX. habent, ὄχθη, πάπυρος, βούτομον.

3. *Æzob*, ὕσσωπος, *Hyssopus*, Exod. 12. v. 22. Ps. 51. 9. Joh. 19. 29. Hebr. 9. 19.

4. *Bascha*, באשה, *lolium*, vel herba fœtida; alii spinam vertunt. Nomen habet à באש *baasch*, fœtuit, Job. 31. 40.

5. *Bad*, בד, *linum* & linteum, sacerdotibus peculiare gestamen, Wad / Leinwad / q. d. solitarium, singulare, Levit. 6. 10. 2. Sam. cap. 6. 14. Ezech. 9. v. 2. 11. Dan. 12 6. 7.

6. *Buz*, בוץ, *Byssus*, 1. Paralip. 4. 21. & 15. 27. 2. Paralip. 2. 14. Esther. 1. v. 6. cap. 8. v. 15. Exod. 26. 1. Luc. 16. 19. &c.

7. *Battich*, Abattichin, *Melones*, Pepones, Num. 11. 5. ubi alia olera: Kürbiß / Pfeben / Lauch / Zwiebel / und Knoblauch / אבטחים.

8. *Bazal*, בצל, Zwiebel / per μετάθεσιν, *cape*, cæpula, ibid.

9. *Borith*, ברית, *herba fullonum*, Saponaria, Jerem. 2. 22. Mal. 3. 3.

10. *Gad*, גד, *Coriandrum*, Exod. 16. 31. Numer. 11. 7.

11. *Gome*, גמא, *Scirpus*, à *Gimme*, hauriendo, quod aquam sorbeat, & in palustribus crescat, Exod. 2. 3. Job. 8. 11. Esa. 18. 2. cap. 35. 7.

12. *Dudaim*, דודאים, *Mandragora*, violæ, Gen. 30. 14.

13. *Do-*

13. *Dochan*, דחן, *milium*, Ezech. 4. 9.

14. *Dardar*, דרדר, *carduus*, tribulus, lappa, Gen. 3. 19. Ose. 10. 8.

15. *Zeroim*, זרעים, *legumina*, Zera semen, Dan. 1. 12. 16.

16. *Chabazélet*, חבצלת, *Rosa*, aut lilium, Cant. 2. 1. Esa. 35. 1.

17. *Chitta*, Chinta, חטה, *triticum*, Gen. 30. 14. Ezech. 4. 9.

18. *Chazir*, gramen, *Porrum*, Numer. 11. 5. חציר.

19. *Charul*, חרול, *urtica*, Prov. 24. 31. Job. 30. 7. Zeph. 2. 9.

20. *Jarak*. ירק, *olus*, quicquid viride terra excreat; sæpissimè.

21. *Cüssemet*, כסמת, *spelta*, Zea, Exod. 9. 32. Esa. 28. 25. &c. ὀλύρα, vicia Vulg. Ezech. c. 4. v. 9.

22. *Carmel*, כרמל, *spica virens*, Levit. 2. 14. cap. 23. 14. 2. Reg. 4. 42.

23. *Lanaab*, absinthium, Deut. 29. 18. Prov. 5. 4. Jerem. 9. 15. cap. 23. 15. Thren. 3. 5. 7. Amos. 5. 7. לענה.

24. *Malucha*, מלוח, *malva*, halimus, falsi saporis herba, Job. 30. 4.

25. *Merorim*, מררים, *lactuca* agrestes, herbæ amaræ, Exod. 12. 8. Num. 9. 11. Job. 9. 18. לענה absinthium jungitur, Thren. 3. 15.

26. *Suph*, סוף, *alga*, juncus, Exod. 2. 3. 5. Jon. 2. 6. & alias sæpè.

27. *Aroër*, ערוער, *Myrica*, herba neglecta, Jerem. 17.6. & 48.6.

28. *Abadasch*, ערש, *Lens*, pisum, Genes. 25.34. 2. Sam. 17.28. ubi plura ejus generis, 2. Sam. 23.11. Ezech. 4.9.

29. *Pol*, *faba*, ervum, apud Ezech. & 1. Sam. 17. loc. cit. פול

30. *Pischta*, *linum*, Josuæ, 2. 6. Ose. 2. 5. 9. & sæpè. פשתה

31. *Kana*, קנה, *Canna*, calamus, arundo, Esa. 42.3. & 19.6. &c.

32. *Kikajon*, קיקיון, *Ricinus*, Jonæ, 4.6. Hedera, 2. Macc. 6. 7. & 3. cap. 2. 21.

33. *Kimosch*, קימוש, *Carduus*, Chamæleon. Esa. 34. 13. Hose. 9. 16. Prov. 24. v. 13. paliurum quidam vertunt: vide Choach. in Arboreto.

34. *Kezach*, קצח, *Gith*, nigella, μελάνθιον, jungitur Cymino. Wicken und Kümmel / Esa. 28. 27. ter legitur: כמן Cammon, Cyminum.

35. *Kissuim*, קשאים, σίκυοι, per μετάθεσιν, *cucumeres*, *Mikscha*, cucumerarium, Num. 11. 5. Esa. 1. 8. huc pertinet.

36. *Paka*, in plur. פקעים, *colocynthis*, fungus, 1. Reg. 6. 18. & cap. 7. 24. fœmin. Pakuot 2. Reg. 4. 39.

37. *Schum*, שום, *allium*, Num. 11. 5. σκόροδον.

38. *Scheora*, שערה, *hordeum*, Exod. 9. v. 31. Deut. 8. 8. & aliàs sæpè.

39. *Schesch*,

39. *Schesch* שש, *byssus*, & marmor candidissimum, Gen. 41. v. 42. Exod. 25. 4. Prov. 31. 19.

40. *Schoschan*, שושן, *lilium*, quasi flos byssinus, ut sex folia habens, 1. Reg. 7. 22. *Sosanna*, susa, Cant. 2. 2. & sæpè.

41. *Thekélet*, *hyacinthus*, תכלת, Exod. 25. 4. Jerem. 10. v. 9. &c. Hæ ferè sunt herbæ ex V. Testam. si quæ omissæ, suis fortè locis apparebunt.

2. His addi possunt partes peculiares, ut in genere frumentorum sunt, אביב, *Abib*, *arista*: גבעול, *Gibbeol*, *culmus*, caulis; *Moz*, מוץ, *gluma*, Psalm. 1. 4. Esa. 29. 5. *Melilot*, מלילות, *spica*, Deut. 23. v. 25. *Ziklon*, *folliculus*, *gluma*, 2. Reg. 4. 42. *Kama*, קמה, *seges stans*, Exod. 22. 6. Judic. 15. 5. &c. *Kasch*, קש, *stipula*, stramen, Exod. 5. v. 12. *Schibolet*, שבלת, *spica tenuis*, Genes. 41. 5. Job. 24. 24. vide Psalm. 69. 3. 16. *Theben*, תבן, *palea*, Gen. 24. 25. Job. 21. 18. Esa. 25. 10. *Neoret*, נערת, *stupa lini*, Judic. 16. 9. Esa. 1. 31. Item *Florum & Spinarum* nomina varia, de quibus deinceps, & multa in Arboreto.

3. Accedunt è Novo Testamento. *Anethum*, *Mentha*, *Ruta*, *Sinapi*, *Zizania*. Aromatica reservo in suum locum. Ac de his agam non eo ordine, quo hic exhibui, sed quo ad explicanda S. Scripturæ dicta videbitur aptiùs: ne simul posita uno loco divellantur, aut idem locus sæpiùs repetendus sit.

CAP. III.

Frumenta & Legumina.

1. PRopoſueram de his eâdem diligentiâ agere, quam *in Arboreto* adhibui. Verum cùm alia atq; alia interpellent negotia, neque vel reſpirare ſinant, vel ſperare finem; quæ in promtu ſunt dabo; reliqua aliorum relicturus induſtriæ.

Incipiam *à frugibus*, quæ generali nomine פרי *Peri*, dicuntur *fructus*: epitheto discernuntur, ſunt enim alii *Peri haëz fructus arboris*, Exod. 10 15. alii *Peri Haadamà, fructus Terræ*, Gen. 4. 3. &c. Huc pertinent fruges, תנובת שדי *tnubhot Sadai*, proventus agri, Deuter. 32. 13. quæ & אכל *Ochel, cibus agri*, Gen. 41. 48.

2. Frugum *duo ſunt genera*: *Frumenta & legumina*, Plin. 18. cap. 7. Frumentum דגן *Dagan*, dicitur; cujus *quinq; ſunt ſpecies*: *duæ videlicet tritici* Chitta, & Cuſſemet: *& tres hordei*, Sheora, *hordeum*; Schibolet שועל ſchual, *Spica vulpis, ſeu panicum*; & שיפן Schiphon, *avena*, σιφώνιον, aliàs βρῶμος, aliis ſecale, Rocken / Schindler. & Buxtorff. in Thalm. Lex. A *Dagon* nomen eſt *Dagonis* Idoli. Sic appellabatur ὁ ζεὺς ἀρότειος, Σιτὼν, *Jupiter agriculturæ præſes*, datorq; frugum, de quo Philo Byblius apud Euſeb. de Præparat. & præter alios Seldenus de Djs Syris Syntagm. 2.

3. Eſt & aliud frumenti nomen בר, *Bar*, ſed jam expurgati, puri, & ad veſcendum apti. Hinc

Far

Far Latinorum, ut & purus, & verba, purgare, purificare; quin & βρώσκω, unde βρῶμα, βρῶσις, & voro. Itaque & Hebræi alii *Bar*, à purgando, *Barar*; alii à comedendo, *Barà*, derivant, ut Avenarius. Hinc elegans Proverbium: מה־לתבן את־הבר *Ma-lattheben eth-habbar. Quid palea cum tritico?* Jerem. 23. v. 28. Ubi frumento electo comparatur verbum DEI; paleæ somnia Pseudoprophetarum. *Quid sibi volunt hæreticorum palea, ad triticum Ecclesiæ?* Hieronym. h. l. ubi pluribus docet paleis comparari perversam doctrinam, 1. quod sint inanes, 2. non habeant medullam, 3. non possint nutrire credentium populos, 4. ventis dispergendæ, & ignibus urendæ relinquantur, ex Matth. 3. 12. Triticum Dei λογικῶν τροφὴ est, paleæ λόγος διάκενος καὶ τρόφιμος ἀλόγων, Origen. in Catenâ h. l. Paleæ τροφὴ πυρὸς: triticum ἀνθρώπῳ ζωτικὴν χαρίζεται δύναμιν, Olympiodorus ibid.

4. A *Bar* farre est *Berià*, *&* *Baroth*, pulmentum, farreum, cibus, edulium; unde Germanica Brey & Brod / 2. Sam. 13. v. 5. 7. Psalm. 69. 22. Thren. 4. 10. *Berià* delicatum aliquod, & ægrotis idoneum edulium fuisse, indicat historia Thamaris, 2. Sam. 13. quæ & Regias Virgineas docet coquinarias artes didicisse. Inter cibos ut *antiquissima puls*, ita simplicissima: etiam in sacris ideò adhibita: quæ & alia paucis docui in Atrio c. 33. & 34. Proximæ, apparatus majoris, *placenta*, ut quæ ἐγκρυφίαι, *subcineritia* dicuntur, quarum pistricem nobis ostendit Moses Saram, Gen. 18. Ve-

F 5 rum

rùm hæc & id genus novum Thema pariunt Studiosis Biblicis, περὶ ἐδεσμάτων, aut *de arte Magicâ Sacrâ:* quam innumeris locis S. Literæ attingunt.

5. *Legumina*, Dan. 1. v. 12. זרעים, *Zeroim*, & v. 16. זרענים *Zeronim* dicuntur, *semina:* hoc enim manent, cùm in cibos veniunt. *Quare Daniel cum sociis abstinuerit cibis Regiis, contentus leguminibus?* Varias affert caussas Cornel. à Lap. quæ ad unam referuntur, ab ipso Daniele indicatam: *ne pollueretur:* erant enim cibi illi polluti, 1. Quia *immundi* plerunque, contra legem Levit. 11. passim. 2. Quia, *Idolis antè libati* & oblati, Ezech. 16. 19. itaq; religiosè abstinebant à profanâ mensâ, & ab εἰδωλοθύτοις, tàm Judæi olim, quàm & postea Christiani, Gen. 43. 32. 2. Macc. 6. 18. Ose. 4. 15. 18. Joh. 4. 9. Act. 11. 3. & 10. 14. &c. De his libationibus, & primitiis ciborum Djs datis, diligenter egit Stukius Conviv. Antiq. l. 2. cap. 37. Est & alia pollutio per accidens: orta tamen non tàm ex ciborum genere, quàm ex usu immoderato, Rom. 13. ult. Non enim solæ Regum dapes & lautitiæ mentem polluunt; verùm gula omnis & sagina

6. Clemens Alexandr. l. 2. Pædag. cap. 1. *Antiphanes*, inquit, *Delius Medicus unam inprimis morborum caussam censuit esse*, τῶν ἐδεσμάτων τὴν πολυειδίαν. *Contrà, qui* εὐτελεστάτοις *utuntur, non tantùm robustissimi, sanissimi, generosissimi evadunt, ut servi præ dominis, & coloni præ possessoribus prædiorum; sed etiam* φρονιμώτεροι; *ut Philosophi divitibus*, &c. Itaq; prudenter hanc sibi abstinentiam

tiam indixerunt Daniel ejusq; socii. Sed & piè; *Nam alienis legibus vivere coacti, patriam pietatem tueri accuratè studebant: videbant Babylonios obsonia sua idolorum invocatione inquinare, & vinum libationibus polluere*, Theodoretus h. l. *Non temeritatis, sed fidei est, ob quam regias dapes contempserunt*, Hieronym. ibid.

7. Sed *cur leguminibus tamen solis*, uti maluerint, nondùm ex his patet. Autumat Genebrardus apud Stukium l. 2. cap. 8. *religionis caussa; quod legumina non offerrentur idolis, ut nec olera*. Verùm hoc falsum est. 1. Quia Graeci in pompis Deorum, & dedicationibus ἀγαλμάτων, legumina primùm offerebant, quae cocta in ollis capite gestabant mulieres; hoc sacro χαριστήρια sua inchoabant, gratias agentes pro primo mortaliũ victu, ut ex Aristophane & ejus Scholiastâ ib. Stukius, p. 167. Sic Ægyptii Harpocrati suo legumina offerebant mense Mesori, dicentes: *Lingua est fortuna, Lingua Genius*, Plutarch. de Iside & Osir. Nota sunt Atheniensium πυανέψια, apud Suidam & Hesychium: sunt autem πυανοί, κύαμοι, καὶ πᾶν ὄσπριον. Sic *Calendæ Juniæ*, Romanis *Fabariæ* dictæ, Sacræ Carnes; cujus in tutelâ credebantur esse cor, jecur, & reliqua viscera, eiq; sacrà fiebant pulte fabaceâ, & larido: Lil. Gyrald. Syntagm. Deor. 1. p. 43. Sed & 2. *Olera* quædam Adonidi Sacra offerebantur, Theocritus Idyll. 15. & laribus supplicabatur thusculo, atq; olusculo: mortuisque, sive inferis, dicata erant legumina quædam, lactucæ, & alia, Kirchmann. de Funer. l. 4. cap. 7.

8. Le-

8. Leguminum esus antiquissimus & frugalissimus fuit, in populo DEI, & alibi. Stoicorum decretum fuit: *Sapientem omnia rectè agere, etiam prudenter coquere lenticulam*: unde Proverbium: *Zenonium est condire lentem.* Eam *Ulyssis Sororem* aliqui dixerunt, & *Orestem* sorbitione ejus ab insaniâ convaluisse, apud Athenæum l. 4. *Lenticularum edulio*, ruso, quod coxerat Jacob, *primogenita sua vendidit Esau*, Gen. 25. 34. Davidi profugo afferuntur inter alia quasi Xenia, *Chittim*, frumentum, Waitzen; & *Sheorim*, hordea, Gersten; & *Kémach*, farina, Mehl; & *Kali*, tostum, polenta, ἄλευρον, D. Luther. Sangen; & *Pol*, faba, κύαμος, Bonen; & *Adaschim*, lentes, Linsen; & *Kali*, frixum Cicer. Vulp. Grütz; Luther. 2. Sam. 17. v. 18. Ager refertus lentibus legitur ibid. cap. 23. v. 11. Ex tritico, hordeo, fabâ, lentibus, & milio, *Dochan* dicto, atque *Cussemim*, speltâ, panem conficere sibi jubetur Ezechiel, 4. vers. 9. Ex quibus quàm frequens in Judæa leguminum fuerit usus in cibis satis apparet. Panis, ex miscellâ istiusmodi seminum farragine confectus, summæ egestatis index fuit, ut & hodie est. *Jubetur itaq; Propheta famem futuram & inopiam populi Israël opere demonstrare. In rerum omnium penuriâ non quaeruntur ciborum diversitates & delicia; sed quomodo venter impleatur*, Hieronym. in Ezech. De tali panis genere Bruyerin. de Re Cibar. l. 6. cap. 9. pag. 419.

9. Hinc vera apparet caussa, *cur solis leguminibus* ali voluerint Daniel & socii ejus? Sed *quo genere?*

genere? Resp. Omni. Nam *Zeronim* nomen γεννικὸν est, semina quæq; significans, quæ Hebræi distingunt in *thebua* proventus, & *Kitonith* parva, sic vocant legumina, & *Ghina* hortensia, ex Majemon. Buxtorff. *Isiaci sacerdotes ita abhorrebant ab excrementorum naturâ, ut non legumina modò pleraq; aversarentur, & carnes ovillas ac suillas, quæ multum supervacanei gignunt; sed & salem cibis detraherent, quo tempore purè casteq; vivere studerent; quod sitim & edendi appetitum excitet*, Plutarch. de Iside & Osir. Idem in Quæst. Rom. 95. inquirit; *Cur castimoniam servantibus leguminũ usus fuerit interdictum? Quia*, inquit inter alia, *flatus generant, & ad rem Veneream instigant*, &c. Eâ fortè de caussâ condimentis quibusdam appositis coqui solebant, ut noxa tolleretur, ut docet Bruyerinus l. 7. cit. passim. Talia erant cæpe, apium, satureia, pulegium. *Taurus Philosophus* in ollâ lentis Ægyptiæ cucurbitas minutim concisas edebat cœnâ frugaliore. *Heraclidi Tarentino* ex betâ & lente, naturis pugnantibus, edulium dicebatur σευτλοφακή. *Zeno* duodecimam coriandri partem lenticulæ injici præcepit. A Gellius, Athenæus, &c. Spes tamen omnis Danieli fuit, non in Coquinariâ arte, quâ leguminum crimina caverentur, sed in DEO.

10. Potuit & alia esse caussa hujus usus: quod legumina lugentibus in cibis essent frequentia. Hanc ob caussam fingunt Hebræi, *Jacobum lentes coxisse, in funebri luctu Abrahami*. Mos hodiè quoq; durat, ut hoc solo cibo utantur aliquando in domo funestâ; *quod homines reddat æquanimes*:

mes: unde *lentum & lentitudinem* dici quidam volunt, vide hæc & alia apud Stuk. l. 1. Conviv. cap. 25. Buxtorff. in Synagogâ cap. 25. Conveniebat itaque cibus hic captivis patriæ funera lugentibus. Alia fortè suis locis.

11. Dicendum nonnihil *de singulis speciebus*, & primò quidem Leguminum, ut pertexam hanc telam. Historiam Frugum, frumentorum scil. & leguminum, seorsim scripsit Dodonæus; posteà Pemptade IV. persecutus est: Alios taceo, nec uti hîc opus est, nisi ubi sacra attingunt. Sed & apud Hebræos variæ leguminũ species leguntur, apud Buxtorff. in Thalmud. Lex. verùm nos intra orbitam maneamus. In indiculo nostro sunt *Dochan, Hadasch, Pol.*

Dochan semel legitur, Ezech. 4: 9. omnes *milium* interpretantur, ut notat Marinus, κέγχρον, Hirsen. Radix *Dachan*, cum *chet* punctato, apud Arabes significat *fumum fecit*. Columella modò inter legumina, modò inter frumenta retulit. *In panes venit, frugum inopiâ: sunt tamen exigui alimenti & refrigerantis: lacte coctum & suavius fit & salubrius.* Galenus de Aliment. Facult. Nomen Latinum Festo autore habet *à summâ miliariâ*: tantæ fertilitatis, ut ex uno grano terni nasci soleant sextarii. Durat annos plus centum, si condatur, quo venti non perveniunt. Si densiùs seratur, novam trahit: quando vix jugerum recipiat, quantum plena manus concinet. Panes & placentæ, si antequàm refrigescant, comedantur, non ingratæ palato. Famis remedium maximum, quia contra omnes tempestates & aëris malignitates

cates resistit, nulloq; deficit tempore, quanquam cæterarum frugum sterilitas invalescat, hæc & alia plura *Bruyerinus l.5. cap.18.* & *Villa Baptista Portæ,l.11.cap.*33. Qui & plerisque Gentibus in usu esse docent, Symbolum potest præbere doctrinæ Catecheticæ. Præcepta debent esse pauca velut semina, Sen. Epist.38. *Manu serenda,non thylaco*,juxta Proverb. Barbarum est equino lacte aut sanguine coquere, quod Sarmatæ faciebant olim apud Plinium: Sic *lac gypso miscent* hæretici, ap. Irenæum. Qui nimis subtiliter tractant, verè *milium terebrant*, ut dicitur, & *torno sculpunt*.

12. Hadásch quater legitur, locis citatis num.8 *Lentem* significat, ut cognatas species non excludat, Schindler. *Esau* dum ἕψημα φακῶν prætulit primogenituræ, *floccipendit partem futuri seculi, & negavit resurrectionem mortuorum*, Thargum Genes. 25. Vigilius contra Eutychen l. 3. observat, *Jacob populi gentium & Esau Judæorum fuisse figuram.* Hic igitur *edax & sæviens, per cocturam, passionem scilicet Christi sanguine rubricatam, primatum, quem habuit, vendidit & perdidit*, Prosper. p. 1. Promiss. cap. 20. Qui terrenas voluptates sectantur hos olim Tertullianus de Jejunio cap. 17. *Sapere Esau Venatorem ferarum* ait: *Si tibi*, inquit, *lenticulam defruto irrufatam obtulero, statim totos primatus tuos vendes: apud te agape in caccabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet.* Quem alloquatur, patet. Ubi verbo expedita quæstio: *Cur lentis edulium rufum* dixerit Esau? nimirum quod *defruto* fuerit coctum. Alii condimento colorem

rem hunc habuisse putant, *croco* fortè *adsperso*, ut apud Corn. à Lap. At ut lentis quoddam genus majus est album; ita & minus, subrufum aut luteum nobis frequens, ut pulmentum ex eo per se rubeat: *In Ægypto adeò usitatum, ut à teneris et pueri nutriantur, totaq; Alexandria sit φακίνων πλήρης, tabernis institorum lenticularum plena*, Athenæus l. 4. *Unde & Poëta Pelusiacam appellat lentem, non quod ibi genus hoc leguminis vel maximè nascatur; sed quod è Thebaide & omni Ægypto, per rivum Nili, illuc plurimam deferatur*, Hieron. in cap. 30. Ezechiel. Martialis:

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem.

Eleganter quoque Hieronymus in cap. 4. Ezech. *Quod Judaicus populus, post offensam Dei, usq; hodiè subcineritios panes comedat, mixtos frumento, hordeo, fabâ, lente, milio & avenâ: quorum alter hominum, alter jumentorum cibus est. In eo enim, quod videntur*, (Nota, videntur) *in unum Deum credere, habent aliquid & frumenti: quod autem filium negant, hordeo jumentorum pascuntur & fabis, quibus comedentium venter inflatur, & mens opprimi dicitur: in tantum, ut Pythagoricis quoq; cibus detestabilis sit. Propter lentem Esau primogenita perdidit. Milium rusticorum & altilium cibus est. Avenâ, sive Viciâ, & Olyrâ, bruta pascuntur animalia &c.*

13. Pol, faba his reperitur locis citatis num. 8. cum epitheto dicitur *Hammizri*, Ægyptia. Porrò fabulam veterum, non esse quam vulgò Germani vocamus *Bonam*; sed aliud planè leguminis genus, pluribus disputat Dodonæus. Notat autem,

em priscis autoribus, 1. fructum habere parvum, otundum, numerosum, cùm scapus aliquando inentus sit centum fabis onustus: 2. Colore aliam sse candidam, aliam nigram, & illam sapore dulori. 3. Nasci alicubi suâ sponte, ut in Oceani eptentrionalis insulis, quas Romani *fabarias* apellârint. 4. Dici *Fabam Græcam*, & propriè *κυαμ-ν*. Farinam ejus lomentum, &c. *Ægyptia è* olocasiâ nascitur. Describit Dioscorides: *Foa habet ampla: caulem cubitalem digiti crassitune: florem roseum, duplo papaveris ampliorem: um flore exuitur, fert folliculos vesparum favis siiles; in quibus faba, supra operculum, bullantis mpullæ modo, prominet. Radix crassior quàm rundinis cruda coctave estur.* Frequens olim uisse fertur in Nilo, & quibusdam Asiæ Ciliciæq; acubus: at quam plantam hodiè Ægyptii & Araes *Culcas* appellant, *Aro* similis, solâ radice in cios expetitur, fructumq; fabaceum fert nullum, e quo multa Alpinus in Exotic, & Veslingius, bi ad vivum depingitur. Neque, quantum nvenire potui, usque in hanc diem repertus est, ui fabam Ægyptiam, qualem veteres, secuti heophrastum, describunt, reperisse se gloriatus it. Meminit Thalmud, *folia Colocasiæ inter se mplexa poculorum usum præbuisse*, vide Buxtorff. Lex. in קולקס *Culcas*, de quo Plinius l. 21. cap. 16. Inter *Bona Ægypti*, quorum mentio Genes. 45. v. 18. à Rabbinis inprimis recensetur, גריש *Geris* comminutio fabæ, id est, *faba fresa* aut fracta, Buxtorff. ibid. in Geris: *quod prosit contra mærorem animi, somnum inducendo.* Sic & *faba*

credita *hebetare sensus, & insomnia facere* : *vel hac Pythagora sententiâ damnata : velut alii tra diderunt, quoniam mortuorum animæ sint in eâ quâ de causâ parentando utiq; assumitur*, Pliniu l. 18. cap. 12. Romæ quoque *Flamini Diali neq tangere, imò ne nominare quidem fas fuit.* Sed & in Parasceve festi Expiationis, Sacerdoti Magn interdictum fuit fabâ fresâ vesci, hæc pluribu Buxtorff. Verùm cùm nec hec, næc alia qu de Fabis dicenda essent, ad S. Literas quid faciant h. l. plura addere non est opus. Radix *Pul*, Ara bicè *fejel*; significat, sparsit, &c. *Apuliam* à Po fabis dictam autumat Benjamin Tudelens. in Iti nerario apud Schindler. Convenit ἡ πίλ@ i plantis, & *pila* Latinorum, quæ & *sparsiva*. Ave narius, *ervum* exponit, seu *erviliam*, de quibu non minor inter botanicos lis est ; & hinc deri vat nomen *pultis*, ac *pulmenti*. *Polam* Istri urbem à Colchis, Ægyptiorum colonis, con ditam & ab exilio dictam docet Bochartus in Phaleg. l. 4. cap. 31. à radice פלא, *Pal* separavit, amovit. Sed de Sacris leguminibu satis.

14. Videamus quoque frumenta. Emine Chitta, quod ex Chaldæo *Chinta* ferè omne deducunt, quod tamen in solo plurali uti solen Radix est חנט, *chanat*, protrudere fructus, & quidem dulces, ac quasi molle saporatos ; atqu inde condire ad sepulturam, Quod tritico ele ganter tribuitur. Arabes *Hanta* vocant. Sic *Hun ta* Chaldaicè, & *Henta* Syriacè, unguentum μίγμα, Joh. 19. 39. Abundabat Judæa Tritico opti mo

mo, unde & *Terra tritici*, Deuter. 8. 8. & *adeps tritici* ejus, Psalm. 81.17. & 147. 14. quod Tyrii mercatores inde avehebant, Ezech.27.17. *Triticum Minnith*, *& Pannag*, de quo quid sit Bochartus in Chanaan cap. 1. *Minnitham* urbem fuisse in confiniis Ammonitarum, non procul à Rabba, ex Judic. 11. v. 33. patet, ut Serarius ibi Quæst. 15. & Adrichom. in Tribu Gad, ex Hieronymo de Loc. Hebr. *Pannag*, alii vertunt Græci *μύρων*, alii *κασίας*; Vulgatus secutus R. Joseph. & alios *balsamum* posuit, &c. Bochartus ex Zohar *panis dulciarii genus quoddam*: Mihi succum illum in Syriâ celebrem, qui Græcis & Latinis *ὀποπάναξ*, sic dici in mentem venit, de quo ex Theophrasto Plinius l. 12. cap. 26. & l. 25. cap. 4. *ipso*, inquit, *nomine omnium morborum remedia promittit*: scil. quod in eo sit *πᾶν ἄκος*, & *Panacea* quædam *Panneg*, aut *Pannek*, potiùs delicatum quid Syris significat: ut, *Phœniciam* inde dictam putare, non sit absurdum; etsi Bocharto displiceat. Vide Fuller. Tremell. h. l. & Buxtorff. in Thalmudico Lex. Græci Syriacum vocabulum in *Panace* retinuerunt, etymologiam confinxerunt. Opobalsamo & dignitate & usu proximum est. Pertinet huc, quod de Tributo Ammonitarum legitur, 2. Paralip. 27. 5. Cætera *de Tritico* ad S. Geoponica spectant, nec magnâ difficultate expediuntur. *Serere triticum & metere spinas*, Proverbium est Jerem. 12. 13. Symbolum est Verbi Divini & electorum, Matth. 3. 12. cap. 13. 25. Apocal. 6. 6. &c. Sic Hebræi dicunt apud Buxtorff. in Chitta:

Omnes indigent Domino Tritici, id est, Viro docto & sapiente.

15. Sequitur Cussémet, de quo Hieronymus in cap. 4. Ezech. v. 9. *Pro eo quod in Hebræo dicitur Cussemim, quam nos viciam interpretati sumus, LXX. & Theodotio posuerint* ὀλύραν, *quam alii avenam, alii sigalam putant. Aquila autem prima editio, & Symmachus,* ζέας *sive* ζεὰν *interpretati sunt; quas nos vel far, vel gentili Italiæ Pannoniæq; sermone, spicam, speltamq; dicimus.* Legitur præterea adhuc duobus locis Exod. 9. 32. De Plagâ grandinis: *Et linum & hordeum percussum est: quia hordeum* אביב, *abib*, viride erat, vel in spicâ, jam germinaverat; hatt geschosset / sic alii aliter, sensu eodem: & *linum* גבעל, *Gibeol*, in calamo; Vulgatus, jam folliculos germinârat, hatte Knödden gewonnen. *At Triticum & Cussémet*, far, spelta, Rocken / ὀλύρα, Zea, tot enim modis vertitur, *non percussa sunt; quia* אפילת, *Aphiloth ipsa*, obscura adhuc & latentia, id est, Serotina, spâht Getrânde / ὄψιμα ἦν. Varia hîc quæri possunt: 1. *Quæ species non percussæ?* Resp. *Chitta, & Cussemet.* De illo dictum jam: de hoc variant. *Zea* tritico similis est, spica nullis vallatur aristis, granum multis includitur folliculis, Speltz / oder Dünckel-Korn. *Olyra*, Latinis Arinea. Zeæ quædam species, Amel-Korn / quod ex eâ fiat amylum: quidam cum *siligine*, quæ tritici species est, confundunt: sic puto apud Hieronymum in Ezech. loc. cit. pro *sigalâ* legendum esse. Zea Romanorum *Far* fuit,

quod

quod & ador & adoreum, ut probat Dodonæus ex Dionysio Halicarnass. & Asclepiade apud Galenum, &c. Quod nos Rocken / & generali nomine, Korn / vocamus, ut Romani suum far, propter præstantiam, semen, Latinis *secale & farrago*, ut apud Plinium : Itali, *segalam* dicunt, unde apud Hieronymum *sigala*. Ex quibus apparet, *Cussémet* rectè verti speltam. 2. *Cur hæ species non vastatæ grandine?* quia adhuc vel latebant sub terrâ, vel vixdùm in gramine erant. Quædam enim hoc genere, (ut & hodiè, ferebantur ante veris initium, Sommer-Korn / Sommer-Waitzen. *Triticum Setanium* vocatur, *Teiμηνος*, πυρὸς, *far halicastrum*, *trimestre*, quod tertio mense à satione maturescat, de quo Columella &c. Unde 3. colligendum. *quo tempore hæc grandinis plaga acciderit?* Mense Februario putat Cornel. à Lap. &c. In Exod. cap. 7. quæst. 3. sub fin. qui Hebræis *Adar*, anni ultimus. Nam *Nisan* primus, *Novarum frugum* mensis est, Exod. 13. 4. Eaque messis in Judæâ inchoabatur, quod h. l. Exod. 9. pluribus demonstrat Bonfrerius, & docui olim in Joëlem cap. 2. &c.

16. *Alter locus est* Esa. 28. v. 24. & seqq. ubi varia semina & tota agriculturæ ratio, paucis illustranda. Totum locum Hieronymus eleganter παρασφραγιστικῶς explanat, ut ipse ait. Exscribere longum est. *Semina* sunt 1. *Kezach*, μελάνθιον, LXX. *gith*, Vulgatus : alii nigellam, alii viciam, Wicken / habent, 2. *Cammon*, κύμινον, Kümmel. De his posteà. 3. *Chitta*, triticum. 4. *Sheora*, hordeum. 5. *Cussémet*, spelta, ubi Vulgatus habet

bet viciam, LXX. ζεὰν, quod Hieronymus vertit, far. Addunt post hordeum, κέγχρον, milium: de quo mox. *Ratio cultura* spectat sationem & collectionem. 1. *Arat* agricola, ad seminandum 2. *Aperit*, proscindit, & 3. *occat*, vel ut Vulgatus, sarrit, humum suam. 4. Cùm adæquaverit *dispergit*, aut inspergit, primò nigellam & Cyminum. Tùm, 5. *ponit* triticum, & quidem שורה *Shorà*, *principale*, præstantissimum, vel in mensurâ, in seiner Maaß: Vulgatus, per ordinem: &. 6. *hordeum* נסמן, *Nisman*, signatum, unde σημεῖον; pro quo milium LXX. & Vulgat. posuerunt: & hæc quidem *Gebulatho*, in termino suo, in finibus suis, *juxta varietatem terræ & temporum: neq; enim omnia simul seminantur*, Hieronymus; ein jegliches/wo ers hin haben will/ an seinen Ort/ Luther. *Sic enim satorem erudit Deus naturaliter judicio suo, & docet illum, ut sciat, quam cui sementi culturam adhibeat*, Hieron. Quo auctore etiam didicit diversam collectionis rationem. *Non enim*, cùm metendi tempus advenerit, *gith & cyminum*, quæ infirmiora sunt semina, *rotis plaustrorum teruntur*; quæ in serræ similitudinem ferreæ circumaguntur, & trahuntur super demessas segetes: *sed virgâ excutiuntur & baculo*, quæ vulgò flagella dicuntur. *Panis autem*, id est, fruges, ex quibus panis conficitur, *comminui solet*, rotis ferreis teritur, & omnis ejus stipula comminuitur in paleas, quin & posteà molâ frangitur, wird zu Brod gemahlen/ D. Luther. *Veruntamen non semper vexatur & teritur, non triturando trituratur in finem, in perpetuum*

petuum, wird nicht gar zu nicht gedroschen: *nec rota plaustri cùm conterit*, Paraschav, *dentibus suis*, ungulis suis, equis suis, *planè comminuit*. Pertinet hic locus ad S. Geoponica. Ἀπόδοσις est in versu ultimo. Miranda est divinæ providentiæ & justitiæ ratio, quâ sapientiam suam glorioso eventu magnificat. Profanæ gentes & reprobi Melanthio & Cymino pulcherrimè comparantur, de quibus suo loco: Electi seminibus frugum optimarum, ex quibus panis conficitur: ubi notanda: 1. *Natura seminum*, Tria sunt, & tres vitæ ordines indicare possunt: laudatur triticum à præstantiâ, & hordeum, quod *signatum* sit, ad seminandum. Lectissima enim semina serenda sunt, ut docet Columella l. 2. cap. 9. eaque in sacculis seorsim, ad sementem servabantur, signatis. Sic quoque bonus colonus, 1. Georgic. v. 263.

Et pecori signum, & numeros impressit acervis:

distinctionis gratiâ. 2. *Curâ & cultura*. Nam & tempus & locum observare decet. Omnia tempus habent: & --- *non omnis fert omnia tellus*. Sed & officii variæ sunt partes, in arando, occando &c. Aliterque serenda sunt, viliora illa gith & cuminum, quæ manu sparguntur; aliter præstantia ista ad panificium, quæ cum attentione & industriâ ponuntur. 3. *Collectio & triturâ*, quæ quoque longè dispar. Possunt hæc ex Atrio meo illustrari, de Agriculturâ cap. 32. Facile jam est conferre singularem DEI erga suos providentiam; quâ & eligit, quos ipse gratiâ suâ præparavit, eosque signat; in Ec-

 clesiâ,

clesiâ,suo quemque loco,ordine, & tempore, po
nit, ut ad messem crescant, fructúmque ferant u
berrimum : denique quanquam triturâ opus ha
bent,ut à paleis & fœno,ac stramine,separentur
tamen custodit,ne pereant, ex iisque panem sib
conficit candidissimum,suavissimum ; dixi de hi
panibus multa Volum. 1. S. Analector. & in A
trio de Panificio cap. 34. vide Matth. 13. v
23. Eccl. 3. v. 2. Jerem. 4. 3. Matth. 3. 12. Amos
9. 9. &c.

17. Superest Sheora,hordeum,cujus frequens
mentio : Hebræis dicitur quod *hirsutum* sit, ari
starumque quasi pilos surrigat, ut in horrore fieri
solet ; nec aliundè puto, Latinis. *In corpore pili.ut
arista in spicâ hordei,horrent*, Varro l. 5. L. L. Vi
lius tritico frumentum est,cibus pauperiorum &
famelicorum,Rhut. 2. & 3. capp. 2. Reg. 4. v. 42.
Ose. 3. 2. Johann. 6. 9. quo & equi pascebantur, 1.
Reg. 4. 28. Hinc illud : *Prophanare nomen Dei
propter pugillum hordei,& buccellam panis*.Ezech.
13. 19. Pseudoprophetæ sunt ἐγγαστρίμυθοι, ven-
tris causâ quidvis facere ac dicere parati. *Frusta
panis conduci queunt*, Catonis verbo, *vel uti ta-
ceant,vel uti loquantur*. Messis hordeacea prima
fuit in Judæâ, vide modò num. 15. Rhut. 1. 22.
2. Sam. 21. 9. Serebatur enim in autumno, qui-
busdam locis, jam præcipiti : ut apud nos seroti-
num vere. In Judæâ mense Nono,qui Decembri
respondet,nondum satum fuisse ex Haggæo colli-
gere est, cap. 2. v. 19. ubi Hieronym. Franc.
Junius tamen eam concionem intra duas se-
mentes, autumnalem & vernalem, habitam
ait.

ait. Pro tritico spina, proque hordeo nascatur ægilops! Job. 31.40. Dira imprecatio, de quâ in Bascha deinde. Et hæc quoque de Frumentis dicta sunto.

CAP. IV.

De Oleribus.

1. OLus, ab alendo *dictum, eò quòd primùm hominis ab oleribus alerentur, antequam fruges & carnes ederent? tantùm enim pomis arborum & oleribus alebantur, sicut animalia herbis.* Isidorus Etymolog. l. 17. cap. 10. Veteres adspiratè dicebant, *Holus*, quod in eo esset τὸ ὅλον, obsoniorum, Scalig. de Plant. Varro *ab ollâ* derivat, quod in ea coquerentur. Sed alia cruda esitantur, ut acetaria; alia cocta: utraque vel per se sola, vel cum aliis condimentariis: Mihi ab *olendo*, olescendo placet; unde adolescere, & indoles, & alia. Hebræis *Jarak & Jerek*, fortè quia ex tertiâ exspuatur, & *spuma* quædam sit virescens. Græcis λάχανον, à λαχαίνειν, quod est fodere, σκάπτειν.

2. Cibus antiquissimus, à Deo hominibus concessus, Genes. 1.30. & 9. 3. *Melius Aruchat* viaticum, viatoris ferculum, *ex olere, cum dilectione; quàm bos saginatus, cum odio*, Prov. 15. 17.

Si det oluscula, mensa minuscula, pace quieta;
Ne pete grandia, lautaq; prandia, lite repleta.

Ὁ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει, *infirmus*, scil. in fide, *olera manducat*, Rom. 14.2. Alluditur ad vulgare dictum: *Olera ægrotis conveniunt*, Plaut. in Capt.

Act. 1. Scen. 2. In deliciis tamen ea, ut hodiè, ſic olim fuerunt. Inde *Horti olerum*, etiam regibus grati, ut. 1. Reg. 21. v. 2. Quali horto comparatur Ægyptus, Deut. 11. 10. nam etſi Nili inundatione irrigaretur; tamen foſſæ paſſim & *ſulci aquarii, quos elices vocant*, duci debebant, quibus horti humectarentur; magno cum colonorum labore, & *pede quaſi* impreſſo foſſorum, vide h. l. Bonfrerium. Deficiente humore pallet olus, & pudefit, languet & emoritur. Inde 2. Reg. 19. v. 26. *pudefieri, velut germen agri, & olus herbæ, & gramen tectorum, & percuſſa vento ſementis ante ſegetem.* Confer Pſalm. 37. 2. & Eſa. 15. 6. Oleribus victitabant filii Prophetarum, 2. Reg. 4. 39. de qua mox: & quidem agreſtibus: memores priſcæ frugalitatis, primævæ ante lapſum felicitatis, & poſt lapſum indictæ pœnæ, Geneſ. 3. 18. Imitati Indorum Brachmanæ, Philoſtratus l. 3. cap. 8. & Pythagoræi. Ovidius 15. Metamorph.

Prodiga divitias, alimentaq́; mitia, tellus.
Suggerit, atq; epulas ſine cæde & ſanguine præbet.

Plura de his apud Plinium l. 19. cap. 4. Alex. ab Alex. l. 3. Genial. cap. 11. & ibid. Tiraquell. ut Stukium, Bruyerimum, & alios taceam.

3. *Olera cibaria*, nam de condimentariis ſeorſim dicam, celebria in S. Literis, ſunt c. 2. notata. Nos præcipua quædam loca notabimus, & illuſtrabimus. Num. 11. 5. Iſraëlitæ deliciarum Ægypti memores recenſent quoq; ſpecies. 1. Kiſſuim, quod ſemel legitur h. l. *Cucumeres* interpretantur,

tur, à difficili concoctione; *quod graves sint corpori humano, ut gladii*, Buxtorff. in Thalm. LXX. vocant σικύες, Luth. Kürbiß. 2. Abattichim, quod & alibi non reperitur; *Pepones*, Pfeben. Arabicè *Battich*. Fortè à securitate & salubritate. *Abta* utrem significat ex Corio, quo vinum ferunt. Fieri solebant ex Cucurbitis excavatis lagenæ, dixi in Jonæ cap. 4. de *Kikajon* ex Hieronymo. Sequitur 3. Chazir, gramen, κατ' ἐξοχὴν, *porrum*, semel hoc significatu h. l. & 4. Bezalim, *cæpe*, τὰ πράσα καὶ κρόμμυα, LXX. Zißeln / in vernaculâ est, linguam acri sapore mordere. Supersunt 5. Hasschumim, *allia*, Arabibus & Thalmudicis *thumin*: his *caussa fletus* dicitur: ejus virtutes recensent, *quod exsaturet*, *calefaciat*, *splendidam reddat faciem, semen augeat, & vermiculos in intestinis occidat*: addunt, *gignere amorem, & tollere zelotypiam*, apud Buxtorff. Hæc igitur lautitias concupiscunt Israëlitæ in deserto. *O dura messorum ilia!* Ægytiis Numina fuerunt in hortis nata. *Porrum & cæpe nefas violare aut frangere morsu*. De quo in S. Analect. Volum. 1. multa. *Cucumis* in Thargum & Thalmude vocatur, *Bozina*. Fortè quia *Bozin* Lucerna, quæ formâ simili intus humore pingui alitur. Quænam gentium cucurbitam pro Deo coluerint, & quare? ex Majemon. de Idololatriâ exponam in Appendice Quæst. Physicar. infrà cap. 2. Sunt de Bozina ap. Buxtorff. elegantia Thalmudistarum adagia; inter alia hoc: *Vir cucurbitis delectatur, & uxor cucumeribus*: Wo der Mann Häflein bricht/

bricht / so bricht das Weib Krüglein. Cucurbita ventre tumido fœminæ similis; Cucumis oblongo, viro. Est tamen cucumis τῶν Ἀφροδισίων ἐφελκτικὸν, Diphylus. Inde Proverb. apud Athenæum:
τὸν σικυὸν τρώγουσα, γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε.]
Vescaris cucumi, mulier, tùm texito lanam.
Sunt enim textrices in fœdam Veneris libidinem proclives, ut ex Aristotele notat Bapt. Porta l. 10. Villæ cap. 67. ubi de his plura. *Pepones*, ut docet Gregor. M. Moral. 20. cap. 16. *terrena sunt voluptates: porrum & cæpe, quæ lacrymas eliciunt, difficultas vitæ præsentis. Videlicet perversæ mentes manna, hoc est, dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laboriosa hujus vitæ itinera, etiam lacrymis plena, concupiscunt*, &c. *Cucurbitæ* fatuæ sunt & insipidæ per se: *Cucumeres* difficiles concoctu, malo succo implent, febresque pariunt difficiles; Galenus perpetuò à cibis abdicandos censet. *Pepones* dulce venenum, blanda vitæ pestis sunt. *Allium*, & cætera caput tentant, sitim somnumq; conciliant, oculos hebetant, fœdè olent, ructusque fœtidos cient. De his Botanici passim. Quæ omnia pulchrè conveniunt caduca ista mundi bona concupiscentibus. Quos meritò jubemus, κρόμμυα ἐσθίειν καὶ οἰμώζειν. Pergamus.

4. 2. Reg. 4. 39. Egreditur aliquis in agrum ex agrestibus oleribus collecturus aliquid in cibum. Ubi vocabula aliquot notatu digna. 1. ארת LXX. ἀριώθ, vel ὠρώθ retinuerunt, & interpretati quidam sunt ἀγριολάχανα. Sic dicta *à lumine*, quod virore suo oculos illustrent, Thalmudici. Quidam

dam *erucas* vertunt, quæ in acetariis gratæ sunt. Herba est Veneris concitatrix, & ideò salax dicta: Galli, *Roquette*, & Germani Raucken vocant, ac weisser Senff. Nam quidam pro Synapi utuntur, ut ait Dioscorides. Nomen Hebræum accepit à lumine *Orâh*; non quod visum acuat, ut apud Stukium l. c. 2. cap. 8. sed quod, ut habet Castor Durante in Herbar.

Et cutis emendet vitia, & lentigine vultum Emaculet. Verùm cibus iste non Prophetarum filiis, sed pigris in Venerem maritis convenientior, ut notat Bruyerinus. Itaque simpliciter viridia olera, *Jerokanin*, ut in Thargum, malim intelligere: ut Esa. 26. 19. *thal oroth*, ros herbarum: frisch grün Kraut / herbam viridem manè rorulentis guttis adspersam, quibus quasi stellulis collucet. Talem collecturus ille, invenit 2. *Vitem silvestrem*, non propriè labruscam, sed similem & *quasi vitem*, Vulgatus: collegitque ex ea 3. Pakkuot agri, *Colocynthidas*. Distinguunt docti inter Colocynthida, & colocyntham silvestrem, ut Dodonæus l. 2. cap. 26. Pemt. 3. Cognatæ tamen sunt, amaræ totæ, fructuque globoso, formæ ovalis: wilde Kürbsen. Adeò vehementer alvum purgat, ut & sanguinem eliciat: eadem facultas est *elaterii*, sive succi cucumeris agrestis. Nomen habet Hebræum à rotunditate, unde & *Pekia* glomus, & globus convolutus: *similem pilæ mediocri*, dixit Dioscorides, & Thargum *ovo*. Hinc *Pekaim*, figuræ colocynthidum, ovales, acuminatæ utrinque, 1. Reg. 6. 18. & cap 7. 24. Confer & Vallesii S. Philos. &c. LXX. vocant τολύ-

πην

πυν ἀγείαν, globum aut glomum agrestem. Hæc pro Vulgari opinione. Mihi ferè in mentem venit, *Pakkuot* esse acinos vitis silvestris dictæ, quæ *Bryonia* & *ἄμπελος ἀγεία*, alia *λευκὴ*, alia *μέλαινα* vocatur. Sic videntur accepisse LXX. nostri Stick-Wurtz/ Hunds-Kürbs/ Hunds-Reben/ Teuffels-Kirschen/ &c. appellant; describit Dodonæus P. 3. l. 3. cap. 10. & 11. & olim Dioscorides l. 4. cap. 176. ac seqq. ubi rationes conjecturæ variæ. 1. Quod viti sarmentis, pampinis, acinis similior est: 2. Quod gustu amaro & ingrato: 3. Quod vim habet purgandi, & stomacho molestiam infert. 4. Quod asparagi cujusdam generis Vere collecti & cocti inter olera recipiuntur; ut veri simile appareat, hujus acinos aut uvas, aut ex foliis compactos globos, *τολύπας*, ab homine isto collectas, rei botanicæ non adeò planè rudi, sed per errorem decepto. Denique 5. inspersâ farinâ facilius tolli crimen potuit, quàm Colocynthidum: Si tamen farina naturæ facultate hoc potuit, quod videtur Lemnio & Vallesio. Sed miraculum fuit, ut ex historiâ probat Abulensis, & ex eo Sanctius. *De Lege* verè dixeris: *Mors est in ollâ!* nisi Evangelica farina inspergatur. *Amara sunt vitiosis, & malè viventibus, præcepta justitiæ,* ait Lactantius. Spiritus Charitatis ea & grata reddit, & salubria: vide Bernhard. Serm. 65. Parvorum. Doctrinæ profanæ, extra Ecclesiam, q. de Gentium sepibus, collectæ Collocynthides sunt, nisi farinâ S. Scripturæ temperentur, &c.

5. Malluach, semel legiur Job. 30. 4. herbam salsi saporis significat. LXX. habent *ἄλιμα*; Puto

Puto legi debere, ἅλιμα. Est autem *Halimus* frutex sepimentis idoneus, cujus folia coqui solent ciborum gratiâ, Dioscor. l. 1. c. 103. Serapion refert, qui in fasciculos manuales compositum circumferant venalem, clamare: *Molochia*, *Molochia!* sic Arabes, ajunt, vocare *Malvam*, vel *Atriplicem*, χρυσολάχανον, Milten; Halimus *portulaca marina* dicitur, frutex parvus, foliis & formâ portulacæ, flore & semine Atriplici non dissimilis. De Frutice loqui Jobum ex eo constat; quia ait carpi, aut *succidi super virgulto*, vel frutice: Sie brechen es an oder von der Hecken. Chaldæus tamen alicubi, *Charul, urticam*, pro eo ponit, ut & D. Lutherus, Nessel. De Malvâ, Papeln/ noti sunt versus Hesiodi:

Stulti nec norunt quo toto dimidium plus,
Nec quantum in malvâ sit & Asphodelo emolumentum.

Et illa Horatii in Epod.

Non Afra avis descendat in ventrem meum;
Non attagen Jonicus
Jucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum;
Aut herba Lapathi prata amantis, & gravi
Malva salubres corpori.

6. An Jonæ Kikajon inter olera referri debeat? Incertum est. Dixi olim in Commentario multa. Addam hîc aliqua ibi præterita. LXX. κολοκύνθην pro eo posuerunt, Hieron. *Hederam*, ut Aquila κισσόν. Notat tamen Hieronymus id esse propriè, *quod Linguâ Syrâ & Punicâ Elkerva dicitur*. Id est Rabbinis *kik*, & Græcis κίκι: Unde Oleum *Alkerva*: Cicinum: Latinis *Ricinus*, Germanis Wunder-

der-Baum. Latinum nomen & Græcum *κρότων*, animal insectum propriè notant canibus adhærens, ein Zecke / cui fructus hujus plantæ similis, unde & Zecken-Korn dicitur. Hæc ex Schindlero & Dodonæo. Grana, certo numero si deglutiantur, vomitum movent. Inde nomen *Kikajon* quasi *vomitorium*, à radice *ko*: vomuit, Jon. 2. v. 11. & קיא *ki* vomitus; primâ radicis geminatâ, ad augendam significationem, fit *Kikajon*. Sic compositum *kikalon*, vomitus ignominiosus, Jer. 48. 26. ex Marino & Buxtorff. Crescit in arborem parvæ ficus magnitudine, folio plantani majore, & c. apud Dioscor. Nihil ergo illi cum oleribus commune. Nec dubium jam, non esse cucurbitam.

De hederâ est 2. Macc. 6. v. 7. Judæos in Dionysiis coactos fuisse hederam ferre in pompâ Bacchi: & l. 3. cap. 2. v. 21. iis *παράσημα Διονύσου*, *folium hederæ* cauterio inustum. Notum illud -- *Hedera est gratissima Baccho!* & solitos Idololatras signari in Deorum suorum, servosque à Dominis suis docui in S. Analect. Volum. 1. Multa de hedera Bapt. Porta l. 9. cap. 44. & Mylius in Horto Philosoph. aliique. Quæ quoniam *nihil ad Dionysium*, ut ita dicam, relinquo.

CAP. V.

De Herbis condimentariis, & medicamentosis.

1. MErorim. *comedere cum azymis* & Agno Paschali jubentur Israëlitæ, Exod. 12. 8. & Num.

Num 9.11. de quo in Paſſionali meo, de Agno Paschali Meditat. 5. plura, cum tædio non iteranda. Deus ſuos *ſaturat* aliquando *Mammerorim*. Job. 1.18. Thren. 3.15. ubi tamen ab abſynthio diſtinguuntur. Vocabulum γερικῶς, *amara*, amaritudines ſignificat: inde πικρίδας, *amaras herbas*, bittere Salſen/ πικρίδας LXX. & *lactucas agreſtes* Vulgatus habent. Laudat h. l. Bonfrerius hujus *doctrinam reconditam*, *eumq́ non tantum linguarum, ſed & proprietatis vocum fuiſſe peritiſſimum*. Laudem nemo invidet; ſed hîc non magnâ cauſsâ tribuitur. Secutus enim fuit, ut creberrimè LXX. *Lactuca ſilveſtris*, θρίδαξ ἀγρία eſt; de quâ Dioſcorides l. 2. cap. 130. At πικρίδες, non tàm lactucæ, quàm --- *amaris intyba fibris*, --- *torrenti grata palato*, ut Columella. Sic Interpretes per Synecdochen ſpeciem poſuerunt pro genere: in fontibus generale nomen eſt; quod & iſtas & cognatas ſpecies complectitur; ad embammata expetitas; & acetaria, de quibus Bruyerinus l. 8. capp. 4. 5. & 6. Optimè igitur Lutherus, *amaros intinctos* vertit.

2. Admonere debuit hoc embamma amaritudinum, quas in Ægyptiacâ ſervitute deguſtâſſent Iſraëlitæ. Tales meritò agreſtibus *lactucis & intybis* comparantur, ut & *abſynthio*: de hoc plura attuli in S. Analectis Volum. 1. De illis nota 1. grata eſſe, excitando appetitui. Horatius --- *me paſcunt oliva, me cichorea, leveſq́ malva*. *Mens certaminum avida amara habet pro feſtivis deliciis*, ait de his ipſis Philo de Congreſſu erudit. grat. 2. Eadem *concupiſcentias cohibebunt, ne efferveſcant*

ſcant & turgeant, idem ibid. Lactucæ ſanè Venerem compeſcere & avertere libidinoſa ſomnia dicuntur, à Dioſcoride. Inde fabula, quod *Venus Adonin* ab apro interfectum, *inter lactucas compoſuerit*, quæ & νεκύων βρώμα dictæ, apud Athenæum. 3. Cùm, ut apud Martialem, --- *prima datur, ventri lactuca movendo utilis eſt*: Poſt epulas aſſumta temulentiam diſcutit, vapores ne caput feriant, impedit, ſomnoſque inducit. Galenus ſitim quoque inter alia arcere ait, & à ſalubritate laudat, vide apud Matthiolum. Nota illa Columellæ:

Jamq; ſalutari properet lactuca ſapore,
Triſtia quæ relevet longi faſtidia morbi,

& Martialis:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Adde quod ſuccus ex lactucâ agreſti eductus oculorum caliginem diſpellit, & aquam intercutem expurgat, Theophraſto autore. Multa alia Mylius in Horto, Joh. Baptiſta in Villa, Stukius in Convival. &c.

3. De *Abſinthio* vix erat operæ pretium plura dicere. Laanà octies legi notat Marinus. *Radix fructificans Roſch velaanà*, Deut. 29. 18. ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα, Hebr. 12. 15. LXX. ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ. Vulgatus: *Radix germinans fel & amaritudinem*: Vatablus: *toxicum & abſinthium*: Tremellius: *cicutam & abſinthium*: D. Luther. Gall und Wermuht. Hominem notat Moſes ſcandaloſum, quem vulgato proverbio nos dicimus: malam

malam herbam, ein böses Kraut / κακὸν βλάστημα. Sic *Laana & Rosch* conjunguntur, Thren. 3. v. 19. *cibare absinthio, & potare aquâ fellis*, Jer. 9. 15. & 23. 15. Vertere judicium *le Rosch*, & fructum justitiæ *Lelaanà*, Amos. 5. 7. & 6. 12. *Ròsch* venenum est, quale aspidum, Deut. 32. 33. quod modò *Merorat* amaritudo, modò *Ròsch aspidum*, id est, caput, Job. 20. 13. 16. In felle venenum esse serpentum, ait Plin. l. 11. c. 37. in capite & caudâ contineri, Bustamantius l. 1. c. 4. de Reptilib. S. Script. Ideoq; *colubra ipsa tutò estur, ictus ejus occidit*, Corn. Celsus l. 5. de Re Medicâ, cap. 27. hinc *Ròsch* Hebræis & caput & venenum. Nisi malis à *Rusch* derivare, quod est pauperem facere, & privari bono maximo, vitâ. Inde tamen *Ròsch* fortè etiam venenosa herba, qualis cicuta, aconitum. Unde *germinare* dicitur *super sulcos agri*, Hose. 10. 4. Ubi LXX. pro *Rosch*, velle, veneno, habent vocabulum ἄγρωστις, Weg-Graß / Queckenkraut; *quæ in agris maximè inaratis luxuriat, latè serpens, δυσκαταγώνιστος, nec facilè extirpabilis*, ut ibi Cyrillus.

4. Jam, ut *novissima meretricis amara dicuntur velut absinthium*, Prov. 5. v. 4. sic *stella* illa, Origenes puta, *absinthium* dicitur, propter amaram & virulentam doctrinam, quâ Scholas & Ecclesias omnes infecit, ac corrupit, Apoc. 8. v. 11. Sic ergò peccata, hæreses, prava consilia, fœdæ voluptates, & quæ sequuntur tandem pœnæ acerbissimæ, absinthio, cicutæ, aconito, conferuntur. 1. Quia in melle plerunq; præbentur, Sic --- *absinthia tetra medentes*

Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore, Lucret. &
Lurida terribiles miscent aconita novercæ,

Ovid. Favus in labiis meretricum, absinthium in fine. Origenis eloquentia & ingenium dulcedine suâ multos fefellerunt. Sic quoque ἡ ἁμαρτία γλυκεῖα μὲν τῇ γεύσει, πικρὰ δὲ τῇ πέψει καὶ τῇ ἀναδόσει, Andreas Cæsar. in Apocal. cap. 10. v. 10. Deinde 2. Quia *Absinthium*, quanquam

Serpentes nidore fugat, bibitumq; venenum;

& à salubritate commendatur; tamen βαθύπικρον est, adeò ut & animalia abstineant; nisi *in Ponto*, ubi *eo pacta pinguescunt, & sine felle reperiri* referunt Theophrastus ac Plinius. *Aqua decocti stomachum male habet, & capitis ciet dolores*, Dioscorides: Hinc mortifera dicitur Apoc. 8. 11. Quod Hebræis *Laana* est, non puto rectè verti *absinthium*. Vocabulum Arabicum significat aliquid *exsecrabile & maledictum* apud Schindlerum: totiesque, ut observavimus, veneno conjungitur. Ergò alii rectiùs vel *aconitum* esse putant; quod adeò exitiale est, ut ex Cerberei oris spumâ natum veteres fabulati sint, cùm Canem istum infernalem Hercules ex Orco protraxisset; vel *Rhododendron*, *Rosam lauream*, *cujus cuncto pecori cibus lethalis est*, Apulejus l. 4. Metamorph. *Aconitum qui gustant primò dulcedinem percipiunt, sed quæ mox in amaritudinem vertitur.* Inter Symptomata, Vertigo oboritur, caligant oculi, & lacrymantur, corpus ut aquâ intercute tumescit: nisi antidota præveniant, inter quæ vinum absinthites infusis quibusdam, se-

 quitur

quitur certa mors, Dioscorides, Aëtius, &c. Sic amara amaris curantur, aconita absinthiis, peccata adversis. *Cicutæ* quoque lethale venenum inest. Remedio est vini meraci potus: absinthium idem cum pipere & vino &c. Dioscorid. In Hetruriâ asini cicutâ pasti somno ita opprimuntur, ut pro mortuis jaceant, fitque ut à rusticis excoriati evigilent, & ad se redeant, Matthiol. in l. 4. cap. 74. Qui lib. 6. cap. 11. quosdam refert hujus radicibus pro pastinacâ usos, in gravem incidisse amentiam. Memoriâ repeto, simile quid in hortulo meo, quem tùm mater colebat ante veterem Portam Spiræ, vetulæ cuidam terram effodienti accidisse, quæ discerptis vestibus, per totam noctem furens; alterâ luce profundo veterno correpta, in ruinis dirutæ, domus reperta, sensim mentem sanitatemque recepit. Mitto alia, & quid Neapoli Nemetum, ante annos non adeò multos, contigisse relatum sit. Notum est Socratis *κώνειον*, Atheniensium pœna capitalis. *Phocion*, cùm carnifex hunc calicem mortiferum se temperaturum negaret, nisi duodecim priùs numerarentur drachmæ, amicum rogans, ut solveret pro se: *Ne mori quidem*, inquit, *Athenis licet, nisi dato pretio*, apud Plutarchum in Vitâ. Pergamus ad alia.

5. Gad bis legitur Exod. 16. 31. & Num. 11. 7. ubi manna simile dicitur fuisse, *semini Gad.* Thalmudistæ vocant *Alsandre.* LXX. habent *σπέρμα κορίου*, alii *βδελλίου*: cæteri, *semen coriandri*, quod Græcis recentioribus *κόριον*, vetustioribus *κοριάννον*. Dictum putant quod herba viridis redoleat

κόρεις cimices. Cæterùm, quod *Gad* ſit *coriandrum*, nullâ ratione conſtat, niſi auctoritate. Latinorum *Gith* nomine ipſo magis reſpondet, quod & colore aliquando cum mannâ convenit, ſubflaveſcente, aut & nonnunquam candido: noſtri vocant, ſchwartzen Coriander / ſchwartzen Kümmich. *Gith priſtinis, aniſum & anethum culmis & medicis naſcuntur*, Plin. 19. cap. 8. Galli *poyurette* vocant, quaſi *minutam piper*, quod vice piperis panibus & cibis inſpergi ſoleat, Ruellius. Hinc Auſonius:

Eſt inter fuges, morſu piper æquiperans, Gith.

Unde & notatio fortè, à *Gadad*, incidendo, quod acri ſapori os incidat, & urat. Unde jocus Plautinus: *Os calet tibi: num gith frigidefactas?* in Rudente. Differt tamen ab hoc

6. Kezàch, quod apud ſolum Eſaiam legitur cap. 28. de quo aliquid ſuprà cap. 3. n. 16. ubi *μελάνθιον*, & *Gith*, quidam interpretati. Credo, quia Cymino jungitur. AbenEſra nigrum eſſe ſemen ait, & Cymino minus: Buxtorff. in Thalm. Lex. *fœniculum*: ubi etiam *ſeſamo & piperi* conjungitur. Quid ſi *papaver* ſit? *cujus ſemen toſtum, in ſecundâ menſâ, cum melle apud antiquos dabatur. Hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergitur, affuſo ovo inhærens: ubi inferiorem cruſtam apium githq; cereali ſapore condiunt*, Plinius 19. cap. 8. Sanè ab Arabibus hoc *Kaſchas* dici notat Matthiolus: nomine ut puto corrupto, pro *Kaſſach*. Hinc apud Petronium: *Melliti verborum globuli, & omnia dicta quaſi ſeſamo ac papavere ſparſa*. Illa, manifeſtum, de eo genere ſeminis loqui Eſaiam, quod pro condimen-

dimento inspergi solebat panificio. Quale etiam est

7. Cammon, eodem Esaiæ loco, quod *Cyminum* esse volunt. Nam & Arabibus *Camon* appellatur, nascique primâ dignitate in Æthiopiâ; proximâ in Ægypto; sed & passim in Asiâ, Ciliciâ, atque alibi, testatur Dioscorides. Radix *Caman* latere, & latenter insidiari, significat: quod quomodo Cymino conveniat, non apparet. Nam quod latenter vim suam exserat pluribus commune est. Hoc proprium fortè, quod *Cyminum* sanguini insidiatur, *palloremq; inducit, sive bibatur, sive illinatur cuti*, uti docet Dioscorides. *Ita ferunt Porcii latronis, clari inter magistros dicendi, affectatores similitudinem palloris studiis contracti, imitatos*, &c. Plinius l. 20. cap. 14. Hinc Horatius l. 1. Epist. 19. de imitatoribus

--- *Quod si Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.*

Et Persius Satyrâ 8.

Mercibus hic Italis mutat, sub sole recenti,
Rugosum piper, & pallentis grana cumini.

Sic ap. Plinium decepit Neronem *Julius vindex*, testamenti sui captorem, cùm pallido luridoque vultu, usu cumini contracto, morbum mentiretur, *Æthiopicum cuminum*, quod Græci *Ammi* vocant, præstantissimum habeatur. *Similis & huic usus. Namq; & panibus Alexandrinis subigitur, & condimentis interponitur. Colorem quoq; bibentibus similiter mutat in pallorem*, Plin. l. cit. cap. 15. Possis quoque putare: ab occultâ facultate sic dictum. Nam *Amon* tectum & latentem signifi-

cat, Buxtorff. in Thalmud. *Amun* Ægyptiis Deus absconditus apud Jamblich. de Mysteriis. *Ammi* tamen Syris *Mater*. Unde Proverbium Alexandrinorum: *Ammaa persequitur Azesiam*; id est, *Ceres Proserpinam*: *de iis qui longo tempore aliquid quærunt*, Suidas; eadem repetit Apostolius. *Azesia* florem significat, ציצה, *Ziza*, *Hazziza*: *Ammi* mater, *Ceres*, כרס & כרש ventrem, uterum matris significans, semen est, quod florem gignit, & ex flore nascitur. Sensus itaque Proverbii videtur esse: *Qualis mater, talis filia*, Ezech. 16. 44. *Sequitur matrem sua proles*, & vicissim. Hebræi dicunt: *Bozin Mikkitphe jedíah*, *Cucumis de flore cognoscitur*. Ammi igitur κατ' ἐξοχὴν semen præstantissimum; aut & quia matres facit, *optimum contra sterilitatem remedium*, de quo Matthiolus in Dioscor. l. 3. cap. 61.

8. Pertinent in hanc classem ex Novo Testamento, 1. Ἡδύοσμον, *nomen suavitas odoris apud Græcos mutavit: nam alioqui* Mintha, μινθὴ, *vocabatur*, Plinius. Nostris inde Müntz / & propter præstantiam odoris, Balsam: quo etiam pertinent, Calamintha, Pulegium, Sisymbrium, &c. *Odor mentem excitat*, ait Plinius, *& sapor aviditatem in cibis*. 2. Ἄνηθον, Anethum, Dill. 3. Πήγανον, Ruta. Decimas de his dabant quoque Pharisæi, ut & de Cumino, & omni olere, Matth. 23. v. 23. Luc. 11. 42. Eò usque extendebant Legem de Decimis: rati *Decimas*, quod proverbio dicebant, *esse sepem divitiarum*. *Mentha* Thalmudicis quoque *Mintha*; Syriacè in Novo Testam.

Testam. ll. cit. *Nanea & Ninia* in Thalmude: Anethum *Schabath* vocant: Rutam cum Græcis, *Piggen, Pigam*, &c. Mentham, quæ embammatum misturæ familiaris, generationi resistere, credidit Plinius l. 20. cap. 14. Hinc Proverbium: *Mentham in bello neq; comede, neq; serito*: Quod corpora refrigeret, & semina corrumpat, Aristoteles Sect. 20. Problem. 2. Contra Dioscorides & Galenus, Venerem excitare: Neque refrigerandi, sed calefaciendi vim habere. Conciliantur tamen, quod mentha & suâ tumiditate flatulenta ad Venerem incitet, & semen depravet, eâ facultate, quâ lac coire & densari non patitur. Hinc *destupratrix* Martiali, 10. Epigr. 48.

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas,
Attulit, & varias quas habet hortus opes:
In quibus est lactuca sedens, & sectile porrum,
Nec deest stupratrix Mentha, nec herba salax,

id est, eruca. Vel: *Nec destupratrix mentha, sed herba salax.* Alludit ad veterem fabulam, quæ natura hujus plantæ indicabatur: quod mentha priùs fuerit *Cocytia Nympha, Pellex Plutonis*, ante ductam Proserpinam; sed obtrita posteà; cùm se superbiens efferret, pedibus Cereris, evaserit ποίη ὀυτιδανή, Oppianus Halieut. 3. v. 497. ubi vide Rittershus. Hebræi à generando videntur appellâsse, à *Nun*; unde in Niphal, *Jinnon*, propagabitur, sobolescet: & *Nin*, filius. Hinc *Mem* præfixo *haemantico*, Mintha, herba se facilè propagans, ut semel sata vix posteà extirpari possit; quamvis sit ἄκαρπ☉ facta odio Cereris, ut in Etymolog.

molog. Magno. *Anethum* dolores sedat, somnum conciliat: inde à quiete & cessatione *Schabat, Schebet* Hebræis; & Græcis fortè quasi ἄνετον. Nam ab ἄνω θεῖν, quod citò crescat, nimis Grammaticum est. Πήγανον dictum volunt, quod caliditate suâ πήγνυσι τὴν γονήν, Veneri inimica herba. *Ruta* à Græco ῥυτὴ, ut Turnebus observat; quod tuta sit custos corporis, & sanitatis: à ῥύομαι, unde ῥύματα, medicamenta præservantia; alexipharmaca. *Pagàm* Herbam apud Thalmudicos est *incidere*: habet enim vim incidendi, & exulcerandi: *in tertio ordine excalefacientium, gustu acri & amaro: ex quo digerere, & incidere crassos lentosq; humores potest*, Matthiolus. Rutæ dos præcipua obsistere venenis. Macer:

Obstat, pota mero, vel cruda comesta, veneno:
Quod Mithridates Ponti Rex sæpè probavit, &c.

Mustela, cum serpentibus dimicatura, rutam priùs edendo se muniunt, Plinius l. 20. cap. 13. Cùm Clearchus, Heracleotarum Tyrannus, multos clàm cicutæ potu, per speciem amoris in convivio præbito, interfecisset, vocati esu rutæ sibi caverunt, ex Theopompi Hist. 38. Athenæus lib. 3. Quâ caussâ in cibos venit, & quibusdam *oculorum caussâ*, ut scalptoribus & pictoribus, apud Plin. l. cit. Ovidius:

Utiliùs sumes acuentes lumina rutas,
Et quidquid Veneri corpora nostra negat.

Fit tamen ipsa, succo copiosiùs hausto, venenum: *Mirumq; cicutæ succo extingui. Adeò venenorum etiam venena sunt*, Plin. &c.

9. Sinapi sequitur: de eo Matth. 13. v. 31. Marc.

Marc. 4. 31. & Luc. 13. 19. quod *regnum Dei*, regnum cœlorum, *simile sit* κόκκῳ σινάπεως, *grano sinapi, quod* etsi *minimum* sit *in semine*, tamen si in agro aut horto seratur, ita crescit, ut *maximum* fiat *in olere*, &c. Et de parvitate seminis iterùm Matth. 17. 20. ac Luc. 17. 6. si fidem habueritis, *instar grani sinapis*, &c. Notat Buxtorff. in Thalmud. Lex. *Gargir* sive granum *hachardal*, sinapi, proverbialiter dici *de re minimâ*: crescere autem in tantam altitudinem & amplitudinem, ut aliquis dicat in Thalmud. Hierosolymitano; *se caulem Sinapis habuisse in horto suo, in quem conscendere solitus sit, ut in ficum.* Alius: *Fuisse in Sichin talem arbusculam Sinapis, quæ tres habuerit ramos: avulso uno tectum fuisse tugurium figulorum, repertosq; in eo tres seminis cabos.* Cabus autem, aridorum minima mensura, capiebat quantum ova viginti quatuor: duas *Imminas*, Quartarii nonas partes, ferè, ut computat Waserus. Sic ex uno grano Sinapis colligi potuisset dimidium circiter Medimnus, ein halb Malter.

10. Dictum putant Græci *Sinapi* παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὦπας, *quo oculos lædat*. Quantò facilius Hebræi dicerent, ab eo *quod pungat*, *mordeatq; os*, velut dentibus impactis, aut spinis? à שנן *Schanàn*, unde *Schenè*, dentes, ut סנה, *Sene* rubus, unde Mons Sinay, & *Pi*, os. Unde Proverbium Rabbinicum; *ipsum cochlear quod fecit artifex, uritos ejus sinapi.* Redit in autorem scelus. Artifex arte sua perit. Turdus sibi ipse cacat malum, &c. *Chardel* ab Arabibus dici notat etiam Matthiolus.

Chard

Charà ardorem significat, *Dal* exsiccationem; quæ duo huic semini propria, apud Dioscoridem & Galenum, Plinius vocat *acerrimum sapore, igne effectus, ac saluberrimum corpori*, l. 19. cap. 8. extremo: addit; *Coqui etiam folia ejus, sicut reliquorum olerum.* Columella: *Mordax haurire sinapi*: &

seq. lacessenti fletum factura sinapis.

11. *Quomodo Regnum Dei comparetur Sinapi?* fusè docet Cornel. à Lap. & antè Salmeron in Parabol. Evangel. Tract. 8. *Semen* hoc in radice Christus est, Joh. 12. 24. in ramis doctrina Evangelii, & fides tàm quæ creditur, quàm quâ creditur, ut apud Matth. & Lucam in aliis parabolis: *Rami* Apostoli & Doctores, confer Psalm. 126. 6. *Arbor* ipsa Ecclesia, Psalm. 80. 10 & seqq. *Aves cœli*, fideles animæ, Dan. 4. 9. *Scopus* Evangelii est apud Matth. cap. 13. quod Dominus Prædicationis suæ quasi fata & eventus voluerit ostendere tribus Parabolis: 1. ad excitandam attentionem; ne semen hoc salvificum vitio agri malè pereat: 2. ad Vigilantiam; ne torpore & negligentiâ zizaniâ & infelix lolium succrescens, suffocent, 3. ad consolationem; quod è minimis initiis maximum incrementum sperandum sit, contra scandalum & contemptum mundi. Huc spectat Parabola nostra de grano Sinapis: quod inter oleracea minimum in semine; maximum, quando ad maturitatem pervenit, in frutice. Reliqua ornamenta sunt. *Non oportet autem singulas parabolarum partes curiosè attendere; sed tantùm quatenus proposito inserviunt*, juxta Regulam,

gulam, quæ apud Chrysostomum & Theophylactum est. Isidorus Pelusiota l. 4. Epist. 76. bene: *Exilis est, dùm seminatur, divini præconii sermo, cum illis conferatur dogmatibus, quæ unquam tradita fuerunt, ab iis qui sapientiæ famâ & opinione celebres fuerunt: quin & brevissimis annuntiatur verbis, tàm propter compendium sermonis, quàm propter vulgare dicendi genus.* Quid brevius, & vulgarius prima Domini concione, in quâ summa fuit omnium, illâ Marc. 1. 15. pœnitentiam agite, & credite Evangelio! *Verùm 2. excultum, ita crevit, ac latissimè diffusum fuit, ut omnes omnium Sapientium doctrinas exsuperaverit: qui & longum valere jussis suis dogmatibus, ad divinam hanc umbram confugerunt*, &c. Tantam igitur salutare hoc semen virtutem ostendit, ut ex illo ceu arbor prodierit Ecclesia, ubiq; terrarum propagata, *Catena Corderii* in Lucam *ex Theophane*, &c. ubi & Irenæus: *Significari cœlestem doctrinam, habentem in se igneam & constringentem virtutem: quam primùm prædicârit Christus ipse, qui & in corde terræ, quasi in sulco, occultatus, post triduum in maximam arborem excrevit: Ex eò pullulantes ramos, Apostolos, gentibus, non secùs ac cœli volucribus, umbram præbuisse, & habitationem, & cœlestem alimoniam.* Pluribus hæc Ambrosius, aut quicunque est, Serm. 1. & 2. qui & inter Augustini sermones de SS. leguntur. Faciunt huc quædam Sinapi proprietates. 1. Mox è terrâ erumpit, die à satione quinto, Plin. 19. cap. 7. 2. Semel si seratur, vix est eo liberare locum, quoniam semen cadens

pro-

protinus viret, cap. 8. sub fin. 3. Principatum tenet ex his, quorum vis in sublime fertur, ne aliud magis in nares & cerebrum penetrat, ex Pythagorâ, Idem l. 20. cap. 22. 4. Ad Serpentum & Scorpionum ictus tritum cum aceto illinitur fungorum venena discutit. 5. Si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur, cum fico ex aceto. 6. Inungun quoque caligantes oculos cum melle, Ibid. 6. *Primâ fronte speciei suæ parvum est, vile, despectum non saporem præstans, non odorem circumferens non indicans suavitatem; at ubi teri cœperit, statim odorem suum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei saporis exhalat*, &c. Ambrosius l.c Sic Verbum DEI, *ubi diversis*, ut ait Idem, *tentationibus teri cœperit*. Es will durchs Creutz bewehret seyn / da wird erkannt sein Krafft und Schein. Tunc 7. etiam lacrymas provocat salutares. Vide Proverbium: *Sinapi victitare*. Tunc 8. cor succendit ardore cœlesti, Luc. 24. 32. & pravas concupiscentias exhaurit, ac attenuat; unde Sinapi nomen habere diximus *Chardal*. Sed hæc sufficiat. Superest in hac classe

12. Hyssopum, de quo quoniam multa dixi in Passionali, de Agno Paschali Medit. 6. p. 370. 380. & de V. Domini Verbo, p. 484. Verba hîc compendiosa facere licebit. *Ezobh* decies legi notat Marinus, qui à *zob* derivat, quod ex eo fluat id, in quo immergitur. Nam, in sacro usu Israëlitarum, adspergilla ex eo fieri solebant, de quo in Passionali l. cit. sic Exod. 12. 22. Levit. 14. v. 4. & seqq. Numer. 19. 6. 18. Psalm. 51. 9. & Hebr. 9. v. 19.

.19. ubi vertitur, ὑσσωπ. Sic 1.Reg. 4. 33. dicitur *Salomo* differuisse *de Lignis*, arboribus, *ab ipsa Cedro usq; ad Ezob, quod de pariete egreditur*. Hujus *bacillo* suffixa fuit *spongia*, quâ potatus fuit Salvator felle & aceto, Joh. 19.29. Hinc variæ quæstiones, ad quas responsum l. cit. De *fasciculo Hyssopi* ligato ad baculum Cedrinum pro adspergillo, præceptum erat, *ut ex tribus constaret cauliculis, in quorum quolibet alii plures essent ramusculi, minimum tres*, ut notat Buxtorff. in Thalmud. Rabbini distinguunt, *Mosaicum, Græcum, Romanum*, &c. Variasq; species recensent. Sic Schinderus ait differre, אזוב, *Ezob* Hebræum, quod exiguum putat esse fruticulum, rutam parietariam, vel adianthum, qui Veneris capillus dici solet, ex 1.Reg. 4.1. cit. & זופא, *Zupha* Syriacum, quod propriè hyssopum, de quo Joh. 19. Clariss. Fesselius Adversar. Sacror. lib. 5. cap. 10. disputat esse *Rosmarinum*. Sed nescio, an argumentis vincat? Contra eos, qui locum S. Johannis corruptum putant, legendumque non ὑσσώπῳ περιθέντες, sed ὑσσῷ περιτεθέντες, quod visum primo fortè Joachimo Camerario in Notation. & deinde aliis; rectè disputat Salmas. non posse h.l. aliter legi: idemque oportere dicere S. Johannem cum aliis Evangelistis: qui pro hyssopo κάλαμον posuerunt: non arundinem, aut calamum odoratum, sed scapum aut caulem hyssopi: nec vulgaris nostri, sed speciei cujusdam arborescentis. Nam Hebræorum Hyssopus inter ligna recensetur disertè 1. Reg. 4. vide Annotat. Walæi in Johann. Descriptio quæ apud Dioscoridem diversis locis reperitur; *quod*

hyssopo

hyssopo simile sit folio *Origanum Heracleoticum*, & comâ Corymboide *Chrysocome* respondeat; ut plerique contra Matthiolum conspirant; familiari nostro convenire nequit. Hebræorum *Ezob* competere, ait Baptista Porta, l. 10. cap. 41. Iconem ejus ex Cæsareâ Bibliothecâ depingit Dodonæus, P. 2. lib. 4. cap. 18. In Montanis circa Hierosolymam nasci *hyssopum silvestrem, se à nostra domesticâ differentem*, observat Bellonius Singular. l. 2. cap. 81. Græci, si ita appellârunt, quasi ὕόμενον ἐπὶ τὸν ὦπα, *pluat in faciem*, omninò usum & vocabuli ortum Hebraicum videntur respexisse. Id enim faciunt adspergilla; ut defluens aqua impluat & irroret adspergine. Unde vetus inscriptio labri lustralis apud Gruterum: Νίψον ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν, quod retrò eadem ratione legi potest, ut Cancrini versus dicti. Fiebat autem lustralis adspersio aliquo genere *Verbenarum*, quem usum præbebant *laurus*, *myrtus*, *herba Sabina*; cur non & hyssopus? Cætera Symbolica, & quid significet hyssopus in lustrationibus Sacris? dicta in Passionali, non repeto. Confer Mylium & quæ ex Piscatore habet, consona cum iis quæ Fesselius, &c. Scripseram hæc dudum, cùm prodiit Clariss. Bocharti Hierozoicon, qui P. 1. p. 587. & seqq. copiosè probat, Ezob esse Hyssopum: ubi plura lectu dignissima.

CAP.

Cap. VI.

De Floribus.

1. FLos Hebræis dicitur, 1. Niza, & cum Dages, *Nizza*, Flos vitis, Genes. 40. v. 10. olivæ, Job. 15. 33. decidens & fugiens cùm fructus formantur; & conspici incipiunt, Esa. 18. 5. Cognatæ radices *Nuz*, effloruit, *Nazàh*, avolavit, *Nazàz*, scintillavit. *Hannizzanim*, flores apparuerunt, omnia nunc florent, nunc formosissimus annus, Cant. 2. 12. *Nizoz*, flos ignis, scintilla, Esa. 1. 31. sequitur, 2. Peràch, *Schoschan*, flos lilii, 1. Reg. 7. 26. 2. Paralip. 4. 5. *chabazéleth*, rosæ, Esa. 35. 1. & 3. Ziz, semel, ut notat Marinus, alam significat, Jerem. 48. 9. *Date alam Moab, quia volando volabit*. *Flos coronæ sanctæ*, cui inscriptum: *Kodesch lajhova*, Sanctitas Domino, Exod. 39. 30. & 28. 36. lamina aurea dicitur, das güldene Stirn-Blat. Lamina illa aurea coronæ triplicis formam habuisse fertur, ut Romani Pontificis hodiè: à fronte tamen lata & plana fuisse, ut Nomen Tetragrammaton inscribi potuerit: reliqua constabât cayculis aureis, similibus quos Hyoscyamus profert, ex Josepho Bonfrerius in Exod. l. cit. Marinus *Ziz* putat dici, vel quod in floris modum facta, vel quod in alæ morem extensa esset ista lamina. Eam Buxtorffius latitudinis duorum digitorum fuisse ait, ab unâ aure sacerdotis ad alteram ligatam, in Thalmud. Lex. Isiaci in Ægypto *alas accipitrum* gestabant in capite, unde --- *linigeri calvi, cristataq; turba,*

Martiali, Pier. Valerian. l. 21. sub fin. Erat enim in *tutulo* Pontificum olim apud Romanos, & in *Albogalero* Flaminis Dialis *apex*, ex Virgulâ oleaginâ, AGell. 10. cap. 15. &c. de quo Petrus de Maridat in Tractatu de Pileo, Sect. XI. Sed hoc agamus.

2. *Homo sicut flos floret & repentè succiditur*, Job. 14. 1. *floret sicut flos agri*, Psal. 103. 15. *omnis ejus bonitas, sicut flos agri*, Esa. 40. 6. ubi *Ziz* semper legitur. Gloria divitis ὡς ἄνθος χόρτου Jacob. 1. 10. Hinc hortantur se invicem Epicurei: *Non prætereat nos flos temporis*, ἀέρος, vel potiùs ἔαρος, lasst uns die Mayen-Blümlein nicht versaumen / Sap. 2. 7.

Nunc decet, aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

Id est; --- *Vivamus, dùm licet esse bene*, --- *brevis est hic fructus homullis!* Confer Esa. 28. 1. 4. ubi *corona de vario genere florum* conserta, Hieron. ib. *an tales gestârint Hebræi*, dixi Volum. 1. S. Analect. Clemens Alex. & Tertull. negant, vide Lorinum in Sap. l. cit. Sed de Coronis alius est dicendi locus. Homo humanaque omnia floribus similia sunt, ortu, statu, occasu; E terrâ nascuntur, ut blitum; in terrâ vigent, magnâ varietate, dispari proprietate, celeri fugacitate - - *pubescentes juncta senecta premit*, Ausonius de Rosâ: denique terram revertuntur, ac per in hiemem *Adonidis horti, & viridaria, quæ supra tecta, & in fenestris habentur*, nil nisi terra sunt: Spes tamen est resurgendi, &c.

3. *Flo-*

3. *Florum species* duæ celebrantur in S. Literis. 1. Chabazéleth, bis legitur Cantic. 2. 1. *Ego Chabazéleth Saronis*; & Esa. 35. & *solitudo florebit sicut Chabazéleth*. LXX. priore loco ἄνθος, posteriore κρίνον habent, lilium: Aquila tamen hic, ut notat Hieronymus, *significantiùs expressit*; ὡς κάλυξ, *quàm nos tumentem rosam, & nec dum foliis dilatatis possumus dicere*. Significantiùs ait; fortè, quia à radice *Chabàz compressit*, derivavit; ut florem adhuc clausum & compressum significare putârit. Rabbini & Thargumim in Cantic. habent, ורדא *varda*, à calore rubro; unde Proverbium: *Adolescentia similis est serto rosa, senectus serto urtica*: vel נרקים *Narkim*, aut *Narcis*, Narcissum puta. Altera species est 2. Schoschan, quod *lilium* frequentiùs interpretantur. *Novies* legitur hac formâ masculinâ, *quater* in fœmininâ, *Schoschanà*. Ponitur autem pro flore vel propriè dicto naturali, ut Cantic. 2. v. 1. 2. 16. cap. 4. 5. & 5. 14. & 6. 1. & 7. v. 2. Hose. 14. 6. vel artificiali, ut 1. Reg. 7. 22. 26. vel per tropum pro Instrumento Musico, ut in Psalmo 45. 1. & 80. 1. ubi tamen, quid *Sosannim* sint? ut & Psalm. 60. 1. *Sosan Eduth*, res valdè dubia est: Rosam vel *Lilia testimonii*, aut ornamenti interpretantur. Nam עדות *eduth*, ornamentum regium significare ajunt. Unde Lutherus: ein Rosen-Span / oder Span-Rose: sertum rosaceum. An verò organum aliquod Musicum sic dicatur? qualia creduntur fuisse *Neghinoth*, *Nechiloth*, *Machalath*, *Gittich*, de quibus Michaël Præto-

 rius

rius Syntagm. Musici T. 1. p. 1. cap. 7. pag. 103. an principium aliquod vulgaris cantilenæ, ad cujus modulos isti Psalmi fuerint decantandi? nach der Melodi von der Rosen. An ex ipso argumento petita fuerit inscriptio? ut Psalm. 22. de Cervâ Auroræ: quod hi Psalmi de Christo & Ecclesia agant, quasi de Rosis & Liliis? quomodo Michææ, 4. v. 8. de restitutione Ecclesiæ dicitur: *Veniet* עדיך *Adécha*, ornamentum tuum, dein güldene Rose / de quo tamen vide D. Tarnovium: Incertum & inexplicabile apparet. Lege Mollerum in Psalm. 45.

4. Nos sigillatim locos præcipuos citatos expendamus. Canticorum cap. 2. Sponsus v. 1. se comparat *Chabazélet*, Flori in campo aut planitie *Saronis*, regionis amœnissimæ, quæ à Cæsareâ Palæstinæ se extendebat usque ad Joppen, de quâ Adrichomius: flori; quem alii Rosam, alii Lilium vocant, quidam vaccinia nigra: *& lilio convallium*, Schosanna, quod plerique lilium interpretantur, & à שש *Sches*, derivant, quod sex foliis constet: accedit, quod Græci testantur veteres, Phœnicibus σῦσον vocari τὸ κρίνον, λείριον. Dioscorides, Athenæus, & alii: inde *Susa*, urbs, à frequentiâ liliorum, Stephanus, & Etymolog. Auctor, apud Bochartum l. 2. Canaan cap. 14. plura. Nec impedit, quod *Sosanna inter spinas* ponitur, Cantic. 2. 2. ubi Sponsa ei confertur. Nam etsi rosa è spinis nascitur, quo argumento obtinere volunt quidam rosam h. l. describi; tamen & lilium sæpe inter spinas emergit, & comparatè dicitur Sponsa lilium;

tantum

tantum præcellens cæteris filiabus venuſtate & præſtantiâ, quantum lilia ſpinis. Tantum hæ diſtant ab illâ,

Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis.

Lilium convallium à ſitu dicitur; gaudet enim tali, & ibi frangrantius eſt: poſſis tamen ſuſpicari certam ſpeciem ſic dici. Noſtri & recentiores ſic appellant odoratiſſimum florem, in umbroſis ſilvis & vallibus frequentem, Meyen-Blümlein: cujus apud Veteres nomen reperiri negat Dodonæus, &c. Sic *Schoſchan Hamm.élech* vocant Hebræi; Königs-Cron / q. d. *Lilium regium*. Noſtri, *Lilium inter ſpinas*, Periclymenum, vocant, Wald-Lilgen / Speck-Lilgen; quidam ineptè, Roſen von Jericho / de quibus ſuo loco fortè deinceps, vide interim Bellonium l. 2. Obſervat. cap. 86. p. 338.

5. Sic Sponſus Cant. 2. 16. & cap. 6. 1. 2. dicitur: *Paſcens inter Schoſchannim*, lilia, *eaq; colligere:* ſive in calathos, ſive in ſinum ſuum; quibus & ſponſam ſuam exornet, & Deum Patrem coronet ac exhilaret. Sic quoque *hinnuli capreæ gemelli*, Rehe-Zwilling / *paſcere* dicuntur *inter lilia*, c. 4. 5. ubi per *ubera Eccleſiæ*, iſtis hinnulis comparata, plerique Patrum duo Teſtamenta, Vetus & Novum intelligunt. Pſellus quoq; non malè: *Gemina divina Eccleſiæ ubera intellige ſanguinem & aquam illam ſanctam Verbi & Salvatoris, ex quibus animæ fidelium ſalutem hauriunt:* duo dicere vult Sacramenta. Sed & uberum officio funguntur in Eccleſiâ Doctores, inter lilia paſti, & ſimiles hinnulis caprearum, ſic Theodoretus & alii:

sunt autem gemelli, Prophetæ & Apostoli. *Bona pascua*, ait Ambrosius in Psal. 118. Serm. 14. *divina sunt Sacramenta. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt Sacrarum Scripturarum, in quibus quotidianâ lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur*, &c. Hortus & Paradisus, in quem Sponsus descendit ad Sponsam, Sanctarum lectio Scripturarum est, de quibus lilia, & violas, & rosas, & varia decerpit aromata, ut impleat phialas animarum credentium, & Domino ex eis lilia defundat, *Hieron. in Zachar. sub fin.* Cant. 5. 14. *Labia sponsi sicut lilia destillantia Myrrham primam*, wie die Rosen/die mit fliessender Myrrhen trieffen. De Myrrhâ in Aromatibus, Labia doctrinam significant: Similia sunt liliis, *quia per se splendent divini sermones, licet humani ornamenti nihil habeant; Lilia neq; nent, neq; texunt, solus Pater cœlestis vestit*, Matth. 6. Myrrham destillant; *quia pœnitentiam docent & mortificationem*, Theodoretus. Denique Cant. 7. 2. Ecclesiæ *umbilicus & venter*, per quem & generat & nutrit conceptos in utero fœtus, *crateri* comparantur *vino semper abundanti, & acervo tritici, liliis vallato*: ubi iterùm duo Ecclesiæ Sacramenta, ut Zachar. 9. vers. 17. vide h. l. Glossas Saxonicas, & Philon. Carpathium. Cingunt ea *lilia* Verbi divini, à quibus accipiunt fragrantiam, & vim suam. Accedente enim verbo ad elementa, fiunt Sacramenta.

menta. Vel Lilia ſunt caſtæ & ſanctæ animæ, bonum ex ſe odorem diffundentes, ut Eſa. 35. 1. Hoſe. 14. 5. Sirac. 39. 17. 18. & 50. 8.

6. Quomodo *Eccleſia Roſæ* comparari poſſit, dixi S. Analect. Volum. 1. & ſi quis omnia, quæ huc referri poſſent, colligere vellet, juſtum volumen facilè conficeret. *Capitella columnarum* in Templo Salomonis *liliata*, 1. Reg. 7. 22. præmia ſignificant, in fide & charitate perſeverantibus, repoſita in cœlo. Sunt ibi --- *atria plena roſarum*, Immarceſſibiles flores, & ſine ſpinis, *corona ex amaranto*, 1. Petr. 5. 3. de quâ in Analect. loc. cit. & non pauca, quæ huc ſpectant, de Roſis in Acerrâ Philolog. meâ. Sic, ut in Anacreonticis,

Roſa Cœlitum voluptas:

-- *Roſa præbet honorem cœlitibus, templisq́; Sabæum miſcet odorem:* Sed & *Lilia*, in munis antiquis expreſſa, Symbolum ſunt, BONÆ SPEI. Roſas aliquando milites geſtabant manibus in triumphis. Voluptas victoriæ ex difficili carpitur. Armat ſpina roſas, Claudianus. Sic *Fides Regina*, apud Prudentium Pſychomach. v. 39.

--- *fortes ſocios, partâ pro laude, coronat*
Floribus, ardentiq́; jubet veſtirier oſtro.

Eâ ſpe etiam pagani quondam Romani Teſtamento jubebant, ut *quotannis Roſæ ad monumenta deferantur*, vide Pier. Valerian. l. 55. Kirchmann. de Funerib. l. 4. cap. 3.

Sic cùm Sponſus ſe *clauſo Roſæ calyli*, in quo ſtantes aurei croci latent, & *lilio convallium* comparat, latentem illic in carne Deitatem; hinc ma-

 niteſtam

nisi istam in humilitate sanctitatem indicat. Sic
Idem *rubicundus & candidus*, Cant. 5.10.
Candidus, & talos à vertice purus ad imos.
Ex utroque misto venustas formæ spectatur.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur: vel mista rubent ubi lilia multâ
Alba rosâ. Virgil. 12. Æneid.
Sunt hæc schemata ποιμενικὰ & amatoria. Sic labra rosea commendantur. *Flavi crispiq; crines supercilia puro nigrore delibuta, genæ candidæ, nisi quod medium earum rubore, purpuram quâ Lydiæ mulieres ebur inficiunt imitante, suffusum erat: os rosæ, foliorum labra aperire incipienti, persimile,* sic Achilles Statius lib. Amor. 1. &c. Mihi in floribus diutiùs hærere non placet.

7. Dudaim tamen præterire non licet. Leguntur Gen. 30. v. 14. 15. 16. & Cant. 7. 13. *Haddudaim dederunt odorem.* Chaldæus habet in Genesin loc. cit. *Jaberuchin*, Thalmudici *Siglin.* Sed de his quoque lis est; alii *mandragoras* interpretantur, alii violas: Quidam *alba lilia.* Tremellius, *Flores amabiles:* argumenta promit Fr. Junius in Notis: 1. Quia Ruben puer non fructus mandragoræ virtute, sed florum venustate magis motus videatur. 2. Quia mandragoræ *ab Nirrino fœtore* Chaldaicum nomen habeant; Dudaim grato celebrentur odore. 3. Quia tempus præcox, messis triticeæ, nondùm potuerit proferre mandragoras. Eadem Franc. Georgius & Oleaster apud Bonfrerium, qui ad singula hæc & alia respondet, ac pro versione vulgatâ pugnat, maximè tamen tot Interpp. autori-

ctoritate. Nec puto ab eâ recedendum esse: quærendum tamen, quam veteres illi nostri Interpp. Mandragoram; aut μῆλα Μανδραγορῶν, ut LXX. quænam intellexerint? Dioscorides, qui *antimelum*, & *Circaam* vocari notat, tria genera recenset: *Fœminam*, quæ & Thridacias, nigram, foliis quàm lactucæ minoribus, graveolentibus; cujus mala sorbis similia sint, pallida, odorata, semine pyrorum; *Marem* foliis betæ; cujus poma duplo majora, colore suberoceo, jucundè cum quâdam gravitate olentia: Tertiam nomine *Morion*, quæ in cibo assumpta usum rationis intercipiat, &c. Neque aliter recentiores. Dodonæus tamen *Mandragoram Theophrasti* differre notat: qui fructum ferat nigrum, acino uvæ similem, & succo vinosum: somnumq; conciliet, & si largius sumatur, inferat mortem. Quæ Dodonæus *Solano Lethifero* convenire putat, nostri appellant Dollkraut/ Schlaffbeeren. Pertinent ad hoc genus, quæ *Mala insana* dicuntur, & *Poma Amoris*, quæ in Ægypto, *magnâ frequentiâ*, *in arenosis agris sponte proveniunt, duorum aut trium generum, alba, rubra, oblonga & rotunda: omnibus ferè mensis apponuntur, aut sub cineribus cocta, aut elixa, aut fixa*, hæc Bellonius l. 2. Observat. cap. 40. Rauhwolff/ de urbe Halepo scribens, reperiri in Syriâ tria genera, ab Arabibus etiam *Melongena*, & *Bedengian* dicta, coloris cinerei, lutei, & dilutè rubri, oblonga instar cucurbitarum: & alia duo *Bathleschain* dicta, longa & rotunda, majora istis, nigra, & adeò lævia & splendentia, ut & reful-

geant: omnia mandi; cocta tamen magis, quàm cruda.

Proritant Venerem quæ Mala inſana vocantur,
Aptaq́; ſunt eſcis: ægrè tamen ipſa coquuntur.

Caſtor Durantes in Herbario. Quæ ſi quis conſideret, non dubitabit *Dudaim* eſſe *Mandragoras*, notos jam olim fructu & uſu eſcario, Syriæ inquilinos: Nomen ipſum Hebræum *Poma amoris* ſignificat; noſtris tamen, quæ in viridariis educantur, majora & fragrantiora, ut in calidiore ſolo. Et fortè à ſaporis gratiâ Arabibus, ex Syriaco idiomate, *Bath-Liſchana, filia linguæ.* Heſychius, Μανδραγόρας ὁ Ζεὺς, Μανδραγορῖτις, Ἀφροδίτη. Meminit Gyraldus Syntagm. 2. p. 213. ſed non explicat. Dici autem poteſt, ut Archimandrita, & ὑμναγόρας & ὑψαγόρας, apud Homerum: q. d. in Concilio Deorum concionator. Sic Venus Suada, flexanima, blandiloqua, ſopiens animum voluptate, &c. An inde planta mas Jovi, & fœmina Veneri dicata? unde & ἀνθρωπόμορφος, Pythagoræ: partim ἀνδρόμορφος, partim γυναικόμορφος. *Vinum animos irrigans curas & moleſtias ſopit, ut homines mandragoras,* Socrates apud Xenophont. in Convivio, & Athenæum l. 11. Vinum *Mandragorites* modico uſu ſoporem inducit, & ſenſum doloris aufert, Dioſcorid. l. 5. cap. 45. Denique nomen vernaculum, Allraun / ſagam ſignificat, *Aliorunam* Jornandi: unde & vetulæ hodiè Allräunle: de priſcorum Germanorum *Aliron*iis fœminis fatidicis, Schedius de Djs German. pag. 431. Inter vetuſta Alemannica fœminarum propria nomina eſt

Ala-

Alaruna, apud Goldaſtum in Alemann. T. 2.
p. 110. Sic ergò Mandragoram noſtri dixêre,
quomodo Græcorum quidam *Circejum*. Ad Magica ſacra jam olim adhibitam radicem vix dubitabit, qui illa Plinii legerit: *Cavent effoſſuri contrarium ventum, & tribus circulis gladio antè circumſcribunt: poſtea fodiunt ad occaſum ſpectantes*, l. 25. cap. 13. Similia vide apud Matthiolum, ſuperſtitioſa, vana, ridicula. Adde his, quæ Mylius adfert in Horto Philoſoph.

8. Pauca *de ſenſu ænigmatis*, Cant. 7. 13. *Per mandragoram ſomnum infirmis inducunt Medici*, Cæſarius Dialogo 1. ut ferrum & ignem non ſentiant, ſic membrum aliquod putridum reſecandum ſit. *Cùm ergò membra noſtra mortificanda ſint, quæ ſunt ſuper terram, dixit ſponſa: Mandragoræ dederunt odorem ſuum: id eſt, cœperunt homines dormire peccatis. Qui mandragoram hauſerunt, corporis motus non ſentiunt; ita qui piæ doctrinæ poculum biberunt, animi perturbationes ſtudent ſopire*, Theodoret. *Plerique discernunt quendam inter mandragoras ſexum, ut & mares putent eſſe & fœminas, ſed fœminas gravis odoris. Significat ergò gentes, quæ ante fœtebant, boni odoris ferre fructus cœpiſſe*, Ambroſius in Pſalm. 118. Serm. 19. Exoptat & expetit Eccleſia *Gentium converſionem*. Rogat enim ſponſum, ut, quoniam *tempus meſſis* advenerit, Luc. 10. 2. ſecum exeat in agros; ibi ſe oſtenſurum Sponſa ſua ubera, ſuos amores, in promovendâ Gentium ſalute. Nec deſore fructus; jam & *mandragoras*, Poma illa amoris, fructusque amabiles,

biles, gratos oculis, & ori & olfactui, *dare suum odorem*, maturitatemque ostendere suam: Neque sibi vel seri hîc vel meti: omnia se poma integra servaturam soli sponso suo, Coloss. 3. v. 17. *Dudaim* igitur, quæ duali numero dicuntur forte quia duplicis sexus, aut speciei sunt, oblonga & rotunda, inter fructus spiritus sunt potissimi, *Fides & Charitas*; hinc *somnus ille gratus* Psalm. 4. 9. & ut *bonus odor simus in Christo*, 2 Cor. 2. 15. Neque dubium mihi Sanctos olim Patres. de rebus naturæ visibilibus, tales instituisse admonitiones, quibus suos ad contemplanda Dei bona invisibilia excitarent. Potuitque fieri, ut Sancta Rahel, cùm prima recentium Mandragorarum poma Ruben attulisset, in hanc cogitationem delapsa, ista non muliebriter, sed sanctè desiderârit. DEUS sanè, qui hæc memoriæ mandari curavit, monere voluit; Dudaim præferri debere omnibus mundi bonis & voluptatibus, Luc. 10. v. 41. 42. Per quæ *Doctrinam divinam* Theodoretus intellexit, Legis scil. & Evangelii: nec multò aliter cæteri, vide Cornel. à Lap. in Cantic. Hinc nascuntur Fides & Charitas, *Nova & Vetera*, *Sacra Scriptura non utiq; talia muliercularum desideria, nobis pro magno insinuare curaret, nisi aliquid in eis magnum quærere commoneret*, ait de historiâ Rahelis h. l. Augustinus, contra Faust. Manich. l. 22. cap. 56.

9. Paralipomena. Exciderant festinanti *Lilia Salomonis* gloriæ prælata, Matth. 6. 28. & seqq.

qq. & *Rosæ Hierichuntinæ*, Sirac. 24. 18. Ac de iio quidem memini me aliquando concionem abere, cujus ἀνάλυσιν, in gratiam juventutis, non get proponere. *Exordium:* Mundus est Liber, a. 34. 4. Magnus & mirabilis; *Meus, ô Philosophe, codex est rerum natura: is & adest cùm vo-ero, & verba Dei mihi relegit*, ajebat olim Annius Eremita Histor. Tripart. l. 8. c. 1. *In hunc riter librum & idiota & sapiens, intueri potent, æquè pauper ac dives*, &c. Legi potest in nnibus linguis, ut ex Psalm. 19. pluribus docet Chrysost. ad Pop. Antiochen. Homil. 9. *Conntæ*, sunt cognitio aliqua Dei, & nostri, Psalm. . 1. 2. Rom 1. 10. Sirac. 17. 6. *Folia tria*, Cœm, Mare, Terra. *Literæ*, omnes creaturæ: non ntùm in cœlo stellæ, in mari pisces, in terrâ nalia; sed & minima:

præsentemq; refert quælibet herba Deum!

inc toties intueri jubemur, Esa. 40. 26. Job. 12. 7. erque hunc Librum Naturæ ducit nos Deus ad brùm Scripturæ. *Præmisit enim Deus naturam bmissurus & Prophetiam: ut faciliùs credas Proetiæ, discipulus Naturæ*, Tertullianus. Ita h. l. atth. 6. Dominus: *Considerate Lilia agri!* Faamus, & quid doceant audiamus! *Exergasia:* nsideranda sunt, 1. *Nomen*; Lilgen/ a Liliis noen habent; hæc Græcè λείρια, quasi λεῖα, lævia, ett: aut quia λίαν ῥέουσι, propter odoris divini fluvium. Aliter κρίνα, ἄνθη κάλλιστα: & κρί-, τὸ ξηρὸν, Hesychius. Fortè à *Karàn*, splenndo, Exod. 34. 29. Sunt enim flores splendidissimi: *Regina Florum*, ut *Rosa Rex*, Sappho.

Unde

Unde & Lilium *Flos Regius*: (& Fabula apud Ni-
candrum in Alexipharmacis; Virginem fuisse
quæ se formæ & nivei candoris præstantia Ve-
neri prætulerit:

Hinc mediis ejus foliis turpissima probra
Indidit, informes, asini genitalia, clavas.

Turpe & ridiculum Schema.)

2. *Situs*; in campis & convallibus. Κρίνα τοῦ
ἀγροῦ, h. l. Psalm. 103. 15. Cant. 2. 1. Ita & inter
gramina à Domino recensentur, ut Jac. 1. 11. Lo-
quitur de Sponte suâ natis, nullâ hominum cura
vel culturâ; quæ neque ipsa nent aut laborant
pro venusto amictu, neque ullo humano labore
vel industriâ ornantur:

Ut flos qui in septis secretus nascitur hortis,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.

Flores aliàs quidam arte mutari possunt, ut ex al-
bis evadant rubri, flavi, cærulei, affuso humore his
coloribus imbuto, ut docet Lauremberg. Horti-
cult. lib. 1. cap. 13. Liliorum agrestium nativus
est ornatus, non adscititius. Putat tamen Scul-
tetus apud Walæum, κρίνα τοῦ ἀγροῦ hic esse omnia
ἄνθη: tum quia vocabulum sic aliquando Græci
Grammatici exponant: cum quia non sit veri-
simile, campos illos, in quos oculos conjecit Do-
minus, nullis nisi liliorum floribus fuisse coro-
natos. Sed neutrum cogit, ut vulgatam signi-
ficationem dimittere oporteat. Non dubium
eo loco, in quem digitum intendit Dominus
varios flores fuisse; sed Lilia eminuisse, velut
Lunam inter minora sidera, nemo negaverit.
Neque alius erat, qui regium paludamentum

aureo

ureosq; torques, & monilia, sceptrumq; ipsum quoddam, magis præferret. Sequitur itaque

3. *Ipse amictus.* Hic verò tam varius est, quàm sunt genera liliorum. Nam ut *Iridis multicoloris* nullam faciam mentionem, quæ tamen & ipsa in- ... λείεια numerantur; sunt *Lilia candida*, Flos florum, Græcis καλλίλειον & κεινάνθεμον, Latinis etiam *Rosa Junonis*, dicta: sunt *purpurea*, inter quæ flos Hyacinthi, --- *Tirio nitentior ostro,*

--- *formamq; capit quàm lilia, si non*
Purpureus color his, argenteus esset in illis: Ovid.

sunt quæ *silvestria* propriè, coloris vel purpurei obsoleti, vel Coccinei, Gold-Wurtz / Türckische Bund. Hic de Candido agi, consentiunt, sed scrupulos movet Plinius: *Est*, inquit, *& rubens lilium, quod Græci Crinon vocant; laudatissimum in Antiochiâ & Laodiceâ Syriæ, mox in Phaselide,* &c. meminit quoque Dioscorides, *purpureorum, quæ in Syriâ nascantur, efficacissima unguenti.* Adde, quod hæc *in arvis inter segetes, in montibus ac convallibus* nasci gaudeant, ut apud Dodonæum est. Verùm & alba lilia, nec unius generis, circa Syriæ Halepum locis incultis, campestribus ac palustribus, frequentia, visa ibi commemorat Rauhwolff Itinerarii P. 1. cap. ... Et κρίνον plerunque nomen est γενικὸν. Alba lilia eleganter depingit Plinius in Atrio meo Latin. cit. l. 21. cap. 5. Dominus noster comparatè: *ne Salomonem quidem*, ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ, quando sedebat in throno gloriæ suæ, 2. Paralipom. 9. 7. Jura suis dans: aut responsa externis; *sic amictum exornatumq́ fuisse*, Nimis

fortè

fortè anguste hoc accipiunt, qui statuunt, *paludamentum Salomonis candidum, & liliis intextum fuisse*, ut Cornel. à Lap. in Matth. Neque juvant testes, quos adducit, obsunt magis. *Jovi Olympii aurei fuerant calcei, aureum pallium; in quo cùm diversa animalium forma, tum ex omni florum genere lilia inprimis erant catera*, apud Pausan. in Eliacis priore l. 5. Sed apud Ammian. Marcell. l. 14. *tunica lucent perspicuâ varietate* non liliorum, sed *liciorum, effigiata in species animalium multiformes*. In quem locum Henr. Valesius notat, novum, & recens id ævi, hoc texendi fuisse artificium. Non igitur ille, secutus Pinedam de Reb. Salom. l. 6. probat, quod volebat. *Aurata vestis* magis convenisse Regum ditissimo videtur Grotio h. l. Nisi fortè modestiâ illi usus fuit, quâ Alexander Severus apud Lamprid. *Veste, ut & pingitur*, inquit, *albâ usus est, non auratâ: penulis togisq; communibus*. In auctione rerum Commodi, quam habuit Pertinax Imp. fuit, *vestis subtegmine Serico, aureis filis insignior* Capitolin. Sed Salvator noster celebrat non Salomonis modestiam, sed gloriam. Nota est *Agrippæ vestis ex argento contexta, opere mirabili, quæ radiis Solis exorientis percussa, divinum quendam fulgorem emittebat*, ex Josepho l. 19. Antiq. cap. ult. Verùm an opus id mirabile Salomonis tempore jam notum fuerit, nescio. *Agrippinam paludamento indutam fuisse ex auro textili, sine aliâ materie*, refert Plinius l. 33. cap. 3. Verùm mittamus incerta: certum, quâcunq; arte vestibus ornatusq; fuerit Salomo, natura-

uralem liliorum amictum nullâ arte esse imita-
ilem. Quâ desperatione victus *Ælius Verus*, *icens in lectulo foliis rosæ impleto, velamine se de liis facto tegebat, unctus odoribus Persicis*, apud partian. Hoc *ille novum voluptatis genus inve-erat*. Candorem, splendorem, odoremque li-orum nulla textrina æmulabitur. Quid illud *turæ artificium*, quod subtilitate suâ fugit ocu-s? *Sed si quis novum catoptri genus, quod res inutas ante oculos proximè positas aggrandescere cit, usurpet, & per id contempletur stamina illa ilia, itemq; filamenta & fissuras liliorum, fate-tur nullâ humanâ linguâ illam elegantiam, illud iraculum, efferri ac satis prædicari posse*, ut ait uremberg. de Horticult. sæpè citatus, in Ap-t. Plantar. l. 1. cap. 14. p. 83. Hæc *de Amictu* lius. Reliqua breviter percurremus. Indi-tur autem

4. *Textor*, qui tàm splendidam vestem confe-t: Is DEUS est creator. Fabulis celavit anti-iitas: *E Junonis lacte, cùm Hercules furtim rmientus mamillas sugeret, in cælo lacteum cir-lum; in terrâ orta esse candentia lilia*, con-ixit. Inde fortè Nicander Lilium vocavit *Am-osiam*, quod ex Ambrosio lacte, hinc colorem, inc odorem, nactum sit: Ut *Rosæ* de Deæ san-iine purpuram suam, deque nectare suaveo-ntiam, *Fusa aprino de cruore, deq; Amoris osculis*. Sed fabularum satis. Superest 5. *Velox in-ritus*: Nam quod hodiè stat tàm spectabile, as arefactum mittitur in ignem. Sanè quan-iàm florum lilii aliquis in Medicinâ usus est, &

ex iis fit *Oleum Susinum vel Lirinum dictum*; ta
men caules isti tàm superbè coronati, nulli us
sunt, quàm instruendo foco; credoque eo fi
arefactos, & clibano injectos, in eâ regione, u
non magna *cremiorum* copia fuit: quomo
apud nos brassicæ caulibus uti solent tenuior
& Arabes Camelorum fimo, Conf. Ezech. cap.
v.15. *De usu* tribus verbis: Considerent lilia a
athei, Psal. 14. 1. & qui in istis fugacibus mu
bonum summum quærunt, Esa. 40. 7. τὰ ἀνθη
καλλίω, Cant. 2. 1. Specta tu quoque, *est juvent*
Sap. 2. 7. Eccl. 12. 1.

Collige, Virgo, rosas dùm flos novus & nova pub
Et memor esto, ævum sic properare tuum.

Vide Sirac. 39. v. 17. 18. *Proserpina*, dum

--- *violas & candida lilia carpit,*
Dumq; puellari studio calathosq; sinumq;
Implet, & æquales certat superare legendo,
Penè simul visa est, dilectaq; raptaq; Diti.

Sic *Eurydice* Orphei conjux, dùm flores secta

Occidit, in talum serpentis dente recepto.

Tu cave! Nos verò spectemus omnes, & be
speremus, *in egestate:*

Quod si pratorum fruticumq; virentia læta
Ipse Deus vestit, nostris obnoxia flammis;
Cur vobis potior non est fiducia Patris?

Juvencus lib 1. Sed & *in persecutionibus*, Psal. 37
1. 2. Jacob. 1. 11. & *in ipsâ deniq; morte:* post hie
mem istam ver redibit, floresque renascentu
Cant. 2. 12. Esa. 66. 14. Dixi de Liliis.

10. De Rosâ Siracides sic; *Quasi palma ex*
altata sum in Cades: quasi plantatio Rosæ in Jer
ch

cho, l. cit. num. 9. Sapientia Dei, quam hominibus ad salutem in Verbo suo revelavit, ut antecedentia cap. 23. v. 37. & consequentia hîc v. 32. demonstrant, confert se *Rosæ Hierichuntinæ*: sine dubio pulcherrimæ, spectatissimæ, odoratissimæ: quales olim *Pestanæ*. Felicissima quondam illa Hierichuntis fuisse prata, ... *nec bifero cessura rosario Pesto*, vix dubitari debet. Hodiè divina maledictio, & culturæ neglectus faciem mutavit, vide Bellon. Observ. l. 2. cap. 86. ubi *pusillam quandam plantam* describit, *quæ, radice in aquâ positâ, se quamvis arida aperiat & explicet*; *quamq; impostores Monachi Rosam Hierichuntis appellârint, sumpto ex hoc Siracidæ loco argumento; cùm tamen de vulgari rubrâ rosâ, intelligendus sit*. Hanc affirmant *non aperiri, nisi in Vigilia Nativitatis Dominicæ, vel cùm mulieres partus difficultate laborant*. Damnat hanc *superstitionem* ipse Matthiolus, ap. Cornel. à Lap. h. l. ubi de hoc commento plura, nec probanda, nec approbata. Sed tempus est, ut ad alia pergamus.

Cap. VII.

De Herbis quibusdam agrestibus & palustribus.

I. Tenebo ordinem, quem suprà cap. 2. in Nomenclaturâ.

1. Agmon quinquies legitur, Job. 40. 21. de immani Ceto Leviathane: *Nunquid pones* Agmon

in naso ejus? LXX. κρίκον, *annulum, circulum*, ut Vulgat. alii *uncum*, ut D. Lutherus, einen An-gel. Tremell. *juncum*, id est, *constringesne insert. junco, ut piscator minutos pisces?* Fr. Jun. Coc cejus, *fiscellam junceam* exponit: q. d. non alli-gabis os, velut Elephanto, fiscellâ, aut capistro. Pertineret hic locus ad *Satram Piscatoriam*, ... varias continet piscantium artes, capiendiqu modos, de quibus non pauca in Atrio dixi. De Capturâ Balænarum nuper amicus Dn. Kirch-majerus in Zoologicis. Capi non posse eo more quo alii pisces minores, indicat textus. Hi enim hamo attrahuntur, cui esca imponitur, Petro. in Satyr. pendet ille à funiculo: unde illud Ovi-dii proverbiale:

--- semper tibi pendeat hamus;
Quo minimè reris gurgite, piscis erit.

Capto pisce, nares perforantur circulo junceo, ... domum deferatur: aut spinâ aduncâ maxillæ, ... est branchiæ.

Sequitur de eodem cap. 41. v. 12. *Ex nari-bus ejus egredietur fumus*, nebula quasi, *velut ex ol-la fervente, vel agmon;* LXX. καπνὸς μίνυ καιο-μένης πυρὶ ἀνθράκων, ubi *agmon* pro carbonibus p... nitur, ex aridis carectis accensis. Credo simpli-cissimè: solent enim ista humecta ingentem fu-mum spargere. Alii ferè Agmon h. l. *lacum*, sta-gnumve significare volunt, & per μεταφορὰν *u-gens ahenum:* quomodo *Mare aneum* dicitur.

Apud Esaiam Proverbium est: *Excidit Do-minus ab Israël, caput & caudam, ramum curvum & Agmon juncum, unâ die*, cap. 9. 14. quod repe-titu

itur, cap. 19. 15. de quo in Arboreto dixi, cap. 58. 7. 5. aliud est: *Incurvare caput suum sicut junum.* LXX. κάμπτειν ὡς κρίκον τὸν τράχηλόν σου. Vulgat. *Contorquere quasi circulum caput suum.* Hypocritarum hic character est, animi modestiam & submissionem mentientium. Contra supercilientium est erecto collo incedere, Esa. 3. 17. sed illa hypocritarum superbia sub habitu modestiæ, longè nequior est: *Si quis in publico ambulans, neminem dignetur alloquio,* κάτω κεκυφώς, ut est apud Theophrast. in Charact. ὑπερηφανίας: quasi meditabundus, & res magnas animo agitans; ut videatur

Esse quod Arcesilas, ærumnosiq; Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram,

Persius Satyr. 3. Pulchrè & ad rem Columella; *Febricitantium signum esse, cùm obstipa suas transversa capita ferunt.* Dicitur *Agmon* ab אגם *Agam,* stagno, quo & ipso vocabulo juncus appellatur à Thalmudicis. Unde illud: *Si omnia maria essent atramentum, omnes junci calami, & cœlum pelles, & omnes homines scribæ, non tamen sufficienter possent describere profunditatem cordis Regis,* apud Buxtorff.

2. Achu, bis reperitur. *Vacca pascebant* Baachu, Gen. 41. 2. ἐν τῷ ὄχθει, LXX. in ripâ; *in locis palustribus,* Vulgat. *in ulvâ.* Tremellius, im Graß/).Luther. Sic Job. 8. 11. *Nunquid crescet* achu absq; *aquâ?* LXX. βούτομον: Vulgatus, *carectum:* Thargum, ערקא *barka,* ulva, ab *bArâk,* fugien-

giendo; est enim herba citò fugitiva, deficiente humore. Est autem *Butomum*, Ried-Graß/ folia habet Cyperi, grata boum pabulo, Democritus apud Cassium Dionys. 2. Geoponicôn. Hebræi à fraternitate videntur appellâsse, quod folia omnia inter se æqualia sint. Et possit hinc deduci ἀκτὴ, ἄχλα, τόπος παραθαλάσσιος, Hesychius. Nota 1. Regulam Augustini : *Solet res, quæ significat, ejus rei nomine quam significat nuncupari : Sic scriptum est : Septem boves, septem anni sunt : non enim dixit, septem annos significant. Sic Petra erat Christus ; non enim dixit, Petra significat Christum*, in Levit. Quæst. 57. Non igitur tropus est in copulâ, *est* pro significat. Neque in subjecto, *Vaccæ* : sermo enim est non de veris vaccis, sed de imaginibus in somno oblatis. 2. *Cur per vaccas & spicas anni significati?* Resp. Per has, ut messis pro anno poni solet : per illas, quia semel in anno pariunt, & sementem, quæ semel fit in anno, adjuvant, Arias Montanus, & ex eo Bonfrerius. Sic Poëtæ --- *Tertia messis erat*. Et per Metalepsin:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Quod tamen aliter explicant recentiores, ut La Cerda. Quamvis & Claudianus dixerit -- *decimas emensus aristas*. Mihi per vaccas & spinas gemina fertilitas indicari videtur, rei rusticæ & pecuariæ. Utriusque præses in Ægypto habebatur *Isis*, per vaccam significata, ut alibi *Ceres*, spiceam coronam gerens, &c. 3. *Vaccæ pingues in ulvâ*, moraliter denotant homines voluptuosos, Amos. 4. 1. devorantur à macris, ut Job.

Job. 5. 5.] *Condita luporum fiunt rapina Vulpium*, Proverbium est apud Gildam in Comœdiâ Querulo. Sic sæpè fit ut anteparta bona, vel temporum iniquitas superveniens comedat, vel *absumat prodigus hæres!* Sir. 18. 25. Denique 4. Ipsum gramen in paludribus, *butomum*, eleganter comparatur cum felicitate impiorum: nam & repentè affluentiâ humoris crescit, & defectu exarescit, Jobi 8. l. cit.

3. Bascha semel legitur Job. 31. 40. *Pro tritico nascatur spina, & pro hordeo Bascha*. Pro frumento oriatur mihi *tribulus*, & pro hordeo *spina*, Vulgat. Græci LXX. ἀντὶ πυρῦ κνίδη, ἀντὶ κριθῆς βάτος, Symmach. habet ibi ἄκανθος, hîc ἀτελεσφόρητα: Alii lolium, herbam fœtentē, semen putidum, vitium frugum; quod, ut Fr. Junius notat, in hordeo propriè dicitur *ægilops*. Ipsum vocabulum, ex radice *Baàsch*, significat rem fœtidam, putridam: & cum de terrâ natis usurpatur, id quod immaturum, vel corruptum putrescit; ut *Beuschim*, labruscæ, Heerlinge / uvæ propriè ante maturitatem putrescentes, Esa. 5. 2. Vitia frugum alioqui multa sunt, quæ describit Dodonæus P. 4. lib. 3. Sed *Bascha* propriè videtur, quod recentiores *ustilaginem*, nostri Brand/appellant: quo vitio spicæ putrefactæ, in atrum pulverem solvuntur, sapore, & odore sæpè fœdo. Eo pertinet lolium, ex tritico & hordeo, seminibus corruptis per cœli tempestatem humidam, frequens.

4. Hoc est quod in Evangelio Matth. 13. 25. & seqq. dicitur ζιζάνιον. De quo elegantem Brederodii dissertationem vide apud Sculterum Observ. in

Matth. cap. 37. Summa est, *aliud* esse *lolium per se*, quod semen fert oculis noxium, caputque & cerebrum gravans, si Tritico hordeove in cibo aut potu misceatur: de quo Proverbium: *Lolio victitare*. Et Poëtæ:

Infelix lolium, & steriles nascantur avenæ;
Et careant loliis oculos vitiantibus agri, &c.

Aliud quod in omni frugum genere corrupto aëre ita nascitur, ut à frugibus ante messem discerni nequeat, cùm pro granis tandem nil producat, præter pulverem & paleas inanes, hoc esse quod *ustilago* dicitur, Brand-Korn / &c. observatque in uno eodemq; culmo non rarò hinc triticeam spicam illinc Zizanium reperiri. Hæc ille pluribus, concludens, non loqui Dominum de Hæreticis, sed de hypocritis non extirpandis, de quâ opinione multa nuper Clariss. Bœbelius in Disput. suâ inaugurali Argentinæ A. D. 1661. Ut verò appareat, quid nomine Zizaniorum propriè significare voluerit Dominus, ex ipso textu constat: 1. Vitium hoc bonæ frugis, non ex bono semine productum nasci, sivè illud, in sementi sub terrâ adhuc latens, sivè in herbâ, corrumpatur: Sed 2. *seri inter triticum operâ inimici*, ex suo proprio provenire semine: Et 3. sic tamen *simile esse tritico*, ut ante messem, cùm fructum tulerit, vix discerni possit, eique 4. sic *immisceri*, ut eradicari sine ejus noxâ vix possit; 5. denique tempore messis tamen à tritico *separari*, & seorsim colligi & in fasciculos colligari. Ex quibus manifestum evadit, *Zizanium non esse ustilaginem*, quæ neque seminatur, neque potest,

cum

cùm non ferat semen, sed pulverem & inanes paleas. Adde, quod nec messis tempore à tritico verè discerni, ac seorsim colligi possit, aut soleat, non *solet*; ut manifestum est: nam cùm fruges teruntur, nihil post se relinquit, præter pulverem; qui ut & acus extra aream evannatur, & vento excernitur; reliqua purgamenta stipulæ, paleæque, non in ignem abjiciuntur, sed servantur pabulo jumentorum: nec *potest*; nam ut *nulla seges tàm bona est, in quâ non sit spicum aliquod nequam*, Varronis Proverbio apud Nonium Marcell. sic in ustilagine, vel spica rubigine corruptâ, sæpè sunt aliquot bona grana.

5. Quare *de lolio propriè dicto* loqui Dominum jam, puto, claret. Quod & ex eo manifestum; quia nota fraus est inimicorum, *lolium aut avenam in alienam segetem injicere, quo ea inquinetur, ut molesta sit separatio*, de quâ Ulpianus ex Celso lib. 9. Digest. ad L. Aquiliam, Tit. 2. l. 27. §. 14. ubi *avena* non est frumentum, sed vitium, ut ibi Gothofredus. Sic Tertullianus & ipse Jurisconsultus: *Bonum semen frumenti à Domino seminatum primò constituit Parabola; avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico Diabolo posteà superducit*, de Præscript. cap. 31. & adv. Praxean: *Fruticaverant avenæ Praxeanæ*, &c. cap. 1. De hac avenâ, quæ primum frumenti vitium dicitur Plinio, multa in Eclog. 5. Virgil. La Cerda. Ea est quæ Græcis dicitur *ægilops*, scil. ex descriptione Theophrasti, ut Bapt. Porta l. 11. cap. 29. Hinc intelligitur 1. Quomodo dicatur inimicus superseminâsse? 2. Quod lolium &

zizanium, etsi è corrupto semine bono oriri soleant, tamen proprium etiam producunt, eoque propagentur. Sic Basilius in Hexaëm. Homil. 5. *Quod lolium appellatur, αἶρα & reliqua νόθα σπέρματα, quæ edulibus miscentur, quæque zizania solet appellare Scriptura, non nascuntur aut fiunt ἐκ τῆς σίτου μεταβολῆς, sed ex proprio suo principio existunt, propriumque habent genus.* Et his posteà hæreticos comparat, ut & cæteri Patres consentaneé. Eadem repetit Ambrosius in Hexaëm. l. 3. cap. 10. & ex ipso hoc Evangelii loco probat, *Zizania ac triticum, ut nominibus, ita & genere, esse discreta.* Similia tamen sunt foliis & culmis, quibus triticum hordeumve æmulantur. *Imitata spicas herbulæ, ante messem inanibus aristis flavescentes*, ut ait Quintilianus. Discernendæ tamen cum studio hæ pestes, & separandæ à frugibus, ne noceant vescentibus. *Panes, quibus lolii multum intervenit, inebriant quasi, somnumque capiti & vertiginē inducunt, oculisque tenebras, cutique ipsi scabiem & ulcera:* unde monebat Galeni Pater, cerealia semina studiosè ab his seminibus per idonea incernicula esse separanda. Quod in Italiâ diligenter factitari refert Matthiolus. Sed & in ipsâ *collectione* separationem fieri solitam, indicat Dominus: quomodo cardui seorsim solent colligi, & incendi.

6. De vocabulo ζιζάνιον litigant Grammatici, *utrum Græcum sit, an peregrinæ originis?* vide Annotat. Walæi in Matth. nam neque vocat exscribere omnia, neque libet. Græci putant, ideo

ideo sic dici, quod sit vel σιτοϊζάνιον, cum tritico adhærescens & crescens: vel σιτοσίνιον, frugibus nocens, succum & alimentum, intervertendo, & amplexu suo, hederæ instar, suffocando. Utrumque non lolium solum efficit; sed & aliæ pestes; inprimis id vitium, quod Græci ἄραχον nominant, wilde Wicken / de quo Dodonæus P. 4. l. 3. cap. 9. Hinc Thalmudici apud Buxtorff. *Zonin* vocant Zizania, quasi adulterina, *à scortando. Nam quando tempore diluvii scortata est terra, inquiunt; serebant triticum, & colligebant hanc speciem: terrâ quoq; adulterante fructus suos.* Duo tamen genera in Thalmude leguntur, & apud ejus Interpp. unum ex tritico corrupto, ut modò dictum: alterum heterogeneum, quod explicant, *Vicia*, & describunt, *esse semina nigra, quæ non comedantur ab hominibus, sed pro columbis reserventur*: hoc est, quod vocant *Pseudomelanthium*, quidam etiam lolium; nos semen, Raden. Hæc cùm expenderet Interpretum Coryphæus Dn. Lutherus, Zizanio expressit vocabulo generali, quo ista omnia complecti solemus, quæ frumenta inquinant, Unkraut: nam & Hebræorum & Græcorum, quod tamen apud alios autores nusquam invenitur, vocabula generalia sunt: Nec unum genus inter frumenta nasci solet: & ut Dei triticum *Veritas* simplex est; ita Diaboli Zizania, *hæreses*, multiplicia & innumera: ut & *peccata*, quibus vita adulteratur: neque enim hæc excludenda sunt, ex isto numero. Sic Franc. Lucas Brugensis inter

ter doctissimos interpres : *Zizaniorum nomine designatur omnis noxia, vitiosa, inutilis fruticatio, quæ sementi ac frugum incremento officit, sata strangulat ac necat, succum quo nutriuntur depopulatur*, &c.

7. Ex dictis de sensu Parabolæ, quam diversa interpp. studia, suis commentis non illustrant, sed obnubilant, satis constat. Zizania sunt *Filii nequam* in Mundo universi, oppositi Tritico DEI, Matth. 13. v. 38. Quos inter utique hæretici primum locum occupant. 2. Hi Zizaniis comparantur ex præcipuis locis Topicis: *à nominibus*, quæ satis explicuimus: *à caussâ efficiente*; nam ex maledicto, propter peccatum, auctore Diabolo, justâ DEI permissione, hominum socordiâ, proveniunt. Sic & quoddam genus Zizaniorum, lolia, ex corrupto semine. An hæcà DEO creata? de iis, quæ ex corruptione oriuntur, nego. Posse autem Triticum mutari in lolium, & vicissim lolium in Triticum, & quibus id caussis eveniat, docent Matthiolus in Dioscor. l. 2. cap. 93. & inprimis Bapt. Porta lib. 11. Villæ cap. 17. Sanè bonus Paterfamiliâs operam curamque navat, ut non nisi electa semina mandet terræ. Inimicorum fraude fit, ut noxia superseminentur, quod ex Ulpiano notavimus: *à diversâ formâ & generibus*; sunt enim adulterina plurima, & fœcundum est cor humanum, quandò contrà DEum fornicatur, Matth. 15. v. 19. *ab effectis*, & noxis, quas afferunt tàm segeti, quàm colono vescenti: *ab adjunctis & subjectis: situ*: etiam in ipso DEI agro, & inter Triticeam

ceam segetem: *tempore & modo crescendi*; latent enim aliquamdiu, ut vix dignosci possint, arcteque hærent bonis frugibus, donec fructum edant, & messis appropinquet: quædam pulchrè florent, omnia valdè fœcunda, utilia ad cibum homini nulla: triste omen bono Patrifamiliâs & cordolium familiaribus: denique *à contrario*; tandem enim eradicantur, & comburuntur. 3. Hinc patet, *cur ante tempus exscindi, extirparive vetet Dominus!* non simpliciter vetat: sed negat omnia posse. Vetat autem, si cum Tritici detrimento. Hæc copiosiùs apud Commentatores; hîc pro instituto satis.

8. Sequitur 4. Gome, quod quater occurrit. Exod. 2. 3. *Moses inclusus arca* Gome, *ponitur* Bassuph, *juxta ripam Nili*. LXX. apud Augustinum habent θίβην παπύρου, & pro *Suph*, ἕλος: vel & simpliciter, θίβην, quod Scholia exponunt, κιβωτὸν παπύρου: Vulgatus, *fiscellam scirpeam*; alii arcam scirpeam, junci, ein Kästlein von Rohr: *Suph* autem vertunt, carectum, algam, Schilff/ &c. Job. 8. 11. *An crescet* Gome *absq. palude?* πάπυρος, scirpus, juncus, Schilff. Esa. 18. 2. *Terra mittens per mare legatos, & in vasis* Gome *super facies aquarum*, ubi LXX. pro Legatis ὅμηρα, & pro *vasis Gome*, ἐπιστολὰς βιβλίνας posuerunt. Vulgatus, *vasa papyri*, alii juncea, scirpea. Lutherus clarissimè, ut solet, Rohr-Schiff. Intelligit enim Propheta naviculas è scirpo, junco, aut papyro contextas: qualibus Ægyptii & Æthiopes, propter catadupos

pos, cataractas, & periculosa vada utebantur, &c. Fr. Junius ex Plinio 6. cap. 22. Superest Esa. 35. 7. in eo loco, ubi Dracones cubabant erit *chazir lekane*, *vagome*, ἐπαύλεις ποιμνίων καλάμου καὶ ἕλη, LXX. *Orietur viror calami & junci*, Vulgat. *Gramen cum arundine & junco*, Tremell. es soll Heu / Rohr und Schilff stehen. Dicitur planta palustris, *à bibendo*, hauriendo. Chaldæus alicubi pro Hebræo *Achu* posuit; de quo suprà h. l. num. 2. & pro *Suph*, algâ, vide Buxtorff. specialiter tamen *Papyrum* significare, usus indicat ad navigia, & arculas bituminatas.

9. Papyrum describit Plinius l. 13. cap. 11. *nasci in palustribus Ægyptii & in quodam Syriæ lacu, ubi & calamus odoratus: Semine nullo, aut usu ejus alio, quàm floris ad Deos coronandos: Radicibus incolas uti, pro ligno: nec ignis tantùm gratiâ; sed & alia quoq; utensilia vasorum: ex ipso quidem papyro navigia texi & è libro, philuris, vela, tegetesq;, vestem, etiam stragulam, ac funes: mandi etiam crudum decoctumq; succum*, &c. In quem locum multa Dalechampius, ibi legenda. Veslingius ad Prosp. Alpin. de Plantis Ægypt. cap. 36. describit his verbis: *Assurgit ab arundineis fibrosisq; radicibus, circa Nili stagnantis ripas, caule numeroso, triquetro, non rarò septem cubitorum mensuram speciosâ proceritate cùm æquante, tùm superante. Folia circa utrumq; scapi extremum, inferius ampliora, Sparganii Cyperive instar repanda; supernè minora, quem radiatum veluti calycem innascenti jubæ subjiciunt*, &c.

10. Vocabulum Papyri in plerisq; linguis hæ-

sit.

ſit. Nam & Rabbini utuntur eo, פפייר, ut apud Buxtorff. in Thalmud. Credo origine eſſe Ægyptiacum. Quanquam ex Thalmudico פירא *Pera*, quod foſſam ſignificat, deduci poſſe videatur; quod ſit *Peri Pera*, fructus foſſæ; ut *Gome*, fortè à גומא *Guma*, quod & ipſum foveam, foſſam, ſignificat. Græci quoque Βίβλον, dixerunt. Sic Lucanus:

Nondum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat. Et alibi Idem:
Conſeritur bibulâ Memphitica Cymba papyro.

Puto ferè molliori pronunciatione, ex πάπυρος factum βίβλος: Nam & B. ac P. ejusdem organi literæ non rarò permutantur, & ex R. caninâ literâ, fit L. blæſorum. Sic *Pilpel* dicunt Hebræi Piper: Sic ex *Pipjar*, Biblos, biblia. Quid ſi & malvæ noſtræ, hinc Papplen? Nam ut Cinna apud Iſidorum, olim *carmina*:

Lævis in aridulo malva deſcripta libello.

Navium ex Papyro meminit Plinius quoque l. 7. cap. 56. *Etiam nunc in Britannico Oceano Vitiles corio circumſuta fiunt: in Nilo, ex papyro, & ſcirpo, & arundine.* Vitilem, ex vimine, navem depingit Lucianus l. 4.

--- *canna ſalix madefacto vimine parvam*
Texitur in puppim, cæſoq; induta juvenco,
Vectoris patiens, tumidum ſuperenatat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoq; Britannus
Navigat Oceano: cùm tenet omnia Nilus
Conſeritur bibulâ Memphitis cymba papyro.

Plura de his Gyraldus de Navigiis cap. 7. confer Bellon. l. 2. Obſervat. cap. 30. *Onerarias naves*

tamen

tamen è spinâ fieri in Ægypto testatur Herodotus, & quidem eâ, *quæ loco Cyrenaico similis, cujus q́; lacryma gummi fit.* Ea Acacia est, ut apud Dioscoridem l. 1. cap. 115. &c.

11. De *Epistolis Biblinis*, quarum mentio apud LXX. Esa. 18. dixi Volum. 2. S. Analect. l. 2. cap. 16. Simpliciter puto dici Epistolas *chartaceas*. Quomodo Charta in Ægypto ex papyro facta fuerit, docet Plinius, & recentiores, Guillandinus, Dalechamp. ac Salmuth. in Pancirol in Novis Repert. Tit. 13. *Hodiè, ob strenuam incolarum inertiam, aliunde advectis chartis, ars hæc Ægypto natales, tantùm suos, non æstimationem debet*, Veslingius l. cit. Vestimentorum velaminum, vasorum, cophinorum è papyro, mentionem faciunt quoque Hebræi apud Buxtorff. in Thalmud. *Papyrum Ægyptiam argutiâ Nilotici calami inscriptam*, habet Apulejus 1. Metamorphos. Quod *pars papyri inferior, longitudine cubitali, in cibos veniat, & venum detur*, Herodotus l. 2. Succus ille quem mandunt, aut est quod dicunt *Saccharum*, aut simile: ut & Papyrus *arundinibus Saccharinis, quibus in Ægypto nihil esse frequentius*, ait Bellonius l. 2. cap. 34. nec à papyro videtur distinguere. Quin & *Indicæ cannæ*, quibus delicatiores pro scipionibus uti solent; & *folia illa, quibus Sacchareï, ut vocant, panes*, Zucker-Hüte/*involvuntur*, delati ex Insulis Divi Thomæ, & aliis, de papyri genere esse creduntur, ut notat Matthiolus in Dioscorid. l. 1. cap. 98. De Saccharo veterum & nostro vide Salmuth. in Nov. Repert. Tit. 5. Unde illud quoq; intelli-

ntelligendum datur, cur *Góme* sivePapyrus inter
munera divinæ benedictionis numerari debeat?
Esa. 35. l. cit. & ab Interpp. modò juncus, scirpus,
rundo, pro eo ponantur? deniq; quomodo Mo-
es in fiscellâ papyraceâ latens Christum præfi-
urârit?

12. Progredior 5. ad Dardar: bis legitur.
*rduum propriè notant, qui inter fruges nascitur,
nserum cibus*, Marinus. Genes. 3. 19. *Maledicta
terra, &c.* Koz vedardar, ἀκάνθας καὶ τριβόλους,
inas & tribulos, vel carduum, aut ut Fr. Junius,
lmum silvestrem, secutus, ut ait, Arabar, quem
idem voce appellari testis sit Serapio, *germina-
t tibi.* Sic *Ose.* 10. *v.* 8. Koz vedardar *adscen-
ent super eorum altaria*: ubi Vulgatus: *Lappa
tribulus.* Quod, ut Hieronymus ibid. signum
ultimæ solitudinis. Ita Hose. 9. v. 6. *Deside-
ibile argentum eorum*, id est, villas & omnia
rnamenta villarum, quæ pretio emuntur ar-
enti, Hieron. domum desiderabilem argenti,
hald. Fana argento exornata, D. Lutherus,
ereditabit Kimòsch, ὄλεθρος, *urtica*, carduus,
aliurus, Chòach, *spina, lappa*, Vulg. *in taberna-
lis eorum eorum.* Sic Tertullianus in Genes.
*Nam tibi triticea surget pro germine messis
Carduus, & spinis multum Paliurus acutis*,
t Virgil. Ecl. 5. & Claud. Marius Victorin. ibid.
--- *tellus spinas, tribulosq; minaces* (&c.
Culta ferat, fallatq; tuum spes improba votum.
le *Koz* & *Choach*, spinis dixi in Arboreto; de *Ki-
mosch* statim.

13. Puto jam constare *Dardar* & *Kimosch* infelices plantas, quæ in neglectis & deser agris nascuntur, testes iræ ac maledictionis vinæ. Quid verò differant? tùm fortè divina facilius erit, cùm & alias ejusdem generis rece fuerimus. Reperimus tales Prov. 24. v. 31. *Pr teribam agrum pigri, vineam stulti. Ecce a scenderat ille totus*, stabatque, ut Lucilius dix *pectus stare sentibus*, A Gell. l. 8. c. 4. Durant. C fell. 1. Variat. &c. Kimmoschonim, *urticis*, Tr mellius *Chamæleontibus*, & *superficies ejus oper erat* Charullim, *spinis*, dumis, urticis, card ita enim variant Interpp. Sic Esa. 34. 13. *Sup palatia eorum adscendent* Sirim, *spina*, Kin mosch, *urtica*, Tremell. Chamæleon, & Choac *paliurus*, Vulgat. LXX. hæc tria uno vocabu complexi, habent ἀκάνθινα ξύλα. Superest Aro Jerem 17. 6. *Maledictus homo*, &c. *erit sicut Aro* ἀγριομυρίκη, *myrica*: Arias Montanus, *sicut Junip rus*; Tremellius, *similis nudatissimæ arbori*: na de arbore hoc accipiendum esse tùm adjunct ostendunt, cùm antithesis, v. 8. ait Fr. Junius. Ea dem proverbialis locutio redit Jerem. 48. v. *Fugite, eripite animas vestras, & eritis sicut* atoc *in deserto*.

14. Nunc ergò singula excutiamus, si verum fortè eruere liceat. Dardar, vi vocabuli significa re potest, plantam vel liberè, suâ sponte, nascen tem; unde & *Deror* hirundo avis libera, quæ ni dulatur inter homines liberè: vel rotundum ca put tollentem; nam *Dur* Pilam significat, ut Bo

chartus

chartus in Canaan. p. 786. & huic ſanè carduus perquàm ſimilis, farctus quaſi tomento: qui & inter ſpinas in agris frugum loco naſci amat, & ſuper altaria caput efferre poteſt, quæ duo tribuuntur noſtro *Dardar*. Neque longè recedunt, qui ex Thalmudicis exponunt *Crocum ſilveſtrem*, ut apud Buxtorff. qui Fullerum l. 6. Miſcell. cap. 1. de hoc vocabulo pluribus egiſſe monet. Videat, cui ejus copia eſt. Sunt autem carduorum varia genera, quæ depingit Dodonæus P. 5. l. 5. cujus *Eriophoro* cap. 5. hæc deſcriptio noſtra proximè convenire videtur. Per Crocum ſilveſtrem autem videntur Rabbini indicare *Cnicum*, ſivè *Chartamum*; noſtri quoque wilde Saffran vocant. Hinc celebre *Diachartamon*, medicamentum hydragogum, pro hydropicis. Deniq; *Lappa* quoque quæ major, & Græcis Ἄρκειον, quod hirtum hiſpidumq; urſi caput præferat, optimè quadrat. Nota eſt ex rotundis ſuis echinis, quibus obvios apprehendit & tenet, inde φιλάνθρωπος dicta: folia habet ampliſſima, flores purpureos, ſemen quale Cnicus, quod intra globoſum illud echinatumque capitulum latens, dehiſcente illo cum lanoſis pappis ſuis vento avolat. Græcis etiam προσώπιον & προσωπὶς, quod foliis ejus hiſtriones faciem tegerent, ne agnoſcerentur. Conjungit Poëtarum Princeps, Georg. 1. v. 152.

--- Segnis horret in arvis
Carduus, intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſilva,
Lappaq; tribuliq; interq; nitentia culta,
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Equidem Vulgato interpreti hîc digitum tollo, putoq; ferè, *Dardar* radice germinatâ significare pilam ejusmodi echinatam, & intùs lanosam, *frequentem* in unica stirpe. Etsi fieri potuit, ut Hebræi omnes ejus generis plantas, quibus talis fructus est, unico vocabulo comprehenderint,

15. Kimmosch. Arabicè *Cumeis*, urtica, à *Kum* & *maschasch*, quod exsurgat ut contrectet & palpet. Quod tamen & spinarum ingenium est. Distinguitur à Charul, quod etiam Job. 30. v. 7. legitur: *Inter arbusta rudebant*, & *subter* Charul *congregabantur*. LXX. ὑπὸ φρύγανα ἄγρια διῃτῶντο: Vulgat. *Esse sub sentibus delitias putabant*: alii, *sub vepreto aliquo*; sub *carduis*, aut *arboribus aculeatis*; Tremellius, *sub urticâ pungebantur*, id est, urebantur, ut pusulæ ex earum contactu orirentur. Lutherus: unter den Disteln sammleten sie. Apud Zephaniam c. 2. v. 9. in comminatione ultimæ vastitatis, est *Mimschak Charul*, locus derelictus, sive urticis, sive carduis, vel ut habet Vulgatus: *Siccitas spinarum*; Luther. wie ein Nessel-Strauch. Hîc ut jam apparet, Interpp. ex incertis incertiores nos relinquunt. Equidem ex loco Jobi cap. 30. colligo: *Charul* non esse *urticam*. Sermo ibi, ut contextus & Interpp. plerique indicant, est de infelici habitatione pauperrimorum hominum, qui in cavernis petrarum, sub arbustis sibi receptum quærebant contra frigus & æstum, adeò ut & sub *Charul* vel se contraherent, vel *exulcerarentur*, crebris puncturis, vide Coccejum ibid.

ibid. Sub urticis fugitivi, pulsi patriâ, extorres, latere nequeunt, nec eò usque crescunt illæ, ut habitaculum præbere possint. Spinosa hæc sunt, neç facilis est exitus. Quare, dum certiora nos quis doceat, veteres sequi, puto, tutissimum est: ut *Charul* dicantur *Vepreta*, fraudulenter quasi ad se confugientes pungentia, unde Syris *Charàl*, fraudavit: *Kimmòsch* verò maneat *urtica*, aut si mavis, *Chamæleon*: quamvis caussam non reperio; cur hæc potiùs herba, quàm illa? Est autem *Chamæleon*, qui & *Carduus suavius*, alius niger, alius albus, de quibus inter Carduos Dodonæus P. 5. l. 5. cap. 10. & 11. Peregrinus uterque, nec cum Leucacanthâ, sivè Carlinâ, confundendus, quæ nostris Eberwurtz vocatur, ut contra Matthiolum Idem ex Bellonio disputat, c. 8. l. cit. *Quare Chamæleon vocetur, varietate foliorum evenit. Mutat enim cum terrâ colores: hic niger, illic viridis, alibi Cyaneus, alibi croceus, atq; aliis coloribus*, Plinius l. 22. cap. 18. Habet deniq; *urtica* & alia apud Hebræos Thalmudicos nomina, sed æque, puto, incerta. Sic חילפא *Chilpha* quidam exponunt urticam: ut in Proverbiis: *Myrtus inter urticas, myrtus tamen est & dicitur*: &; *Puella, juvencula, competit corolla rosarum*; *Vetulæ corona urticarum*. Vocabulum tamen hoc alibi salicem significat, &c. Urticam in cibum collectam Plinius testatur: *Incipiens ipsa nasci Vere, non ingrato multis, etiam religioso in cibo est, ad pellendos totius anni morbos*, l. 21. cap. 15. *Nemo tamen jure utetur, ut*

 alimen-

alimento, nisi fame prematur: etsi utile sit obsonium ac medicamentum, quod alvum solvat, ita Galenus l. 2. aliment. facult. Multa in hanc rem Renatus Moreau, Medicus doctissimus in Scholam Salernit. pag. 482. & alia de urticâ. Eò fortè respexit D. Lutherus & Tremellius in Job. loc. cit. num. 15. quod famellici illi sub carduis urticas colligentes, uri pungique se non ægrè tulerint. Quod apud Horatium est Libro 1. Epist. 12.

Si fortè in medio positorum abstemius, herbis
Vivis, & urticâ; sic vives protinùs, ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret:

Irrisio est sordidè parci; etsi *urticam* ibi, quia herbis apponitur, & ab iis distinguitur, Cruquius intelligat *pisciculum Siculum*, concoctu facilem, ex Athenæo l. 3. Urtica cur urat? docet Mereau l. cit.

Si premis, haud noceat: leviter si tangis, adur et. Sic Proverbio dicitur: ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν.

16. Aroër, alii ab *Aràh* derivant *à nudando*; q. d. nudatissimam: alii ab *Arâr*, quod in Piel *Ireer* desolavit, destruxit, ut Schindler. ex Jerem. 51. v. 58. Hinc *Haarear*, Psalm. 102. 18. *derelictus*, solitarius: & *ariri*, sterilis, ἄτεκνος, Gen. 15. 2. Levit. 20. 20. Vi vocabuli igitur est Aroer planta nudatissima, sterilis, foliis & fructu spoliata, derelicta, solitaria, &c. in Targum *Acubitha*, quod Rabbini à *Dardar* non distinguunt, & aculeatam plantam dicunt esse, cujus fructus

fructus foris spinosus; interius edulis sit; Carduus Scolymus, Artischocke / vide Buxtorff. in Ps. 102. Targum apud Schindlerum habet *Demiztharjon*; est autem *Zithri*, Satureja: *Zuthra*, aridus, deformis Satyrus; ex Græco utrumque. Doctioribus tamen & priscis Interpretibus Myricæ non sine caussâ placuerunt.

17. *Myrica*, seu tamarix, apud pigras & stagnantes aquas nascitur, fructum quasi florem ferens, compage muscosum. Ægyptus & Syria alteram gignunt mitiorem, silvestri cætera similem. Fructum parit gallæ proximum, &c. Dioscorides l. 1. cap. 99. *Ad lienem præcipua est, si succus ejus expressus in vino bibatur. Adeoq; mirabilem ejus antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, ut affirment, si ex eâ alveis factis sues bibant, sine liene inveniri. Vulgus infelicem eam arborem vocat, quoniam nihil ferat, nec feratur unquam. Genera duo: Silvestris, planè sterilis, & altera mitior. Hæc fert in Ægypto, Syriâq; etiam abundanter, lignosum fructum; majorem gallâ, asperum gustu*, &c. Plinius l. 24. cap. 9. vide l. 13. c. 21. *Tamarices in Ægypto indifferenter nascuntur, cùm humidis tùm siccioribus locis; ut illarum silvulæ perinde in aridioribus locis reperiantur, atq; in humidis litoribus. Ea autem ullâ excrescentiâ, quam Gallam nominavimus, adeò onustæ sunt, ut parùm absit, quin rami præ pondere rumpantur*, Bellonius 2. Observat. Singul. cap. 28. Myricâ Magi passim ad multas superstitiones abutebantur: inprimis ad Vaticinia. Hinc μάντιν, *divinatricem* dixit Nicander:

vide ejus Scholiasten & Mylium in Horto Philosoph. &c. Ægyptii Sacerdotes eâ coronati festum Jovis celebrabant. Apollini consecravit Græcia, qui & in Lesbo *Myricæus* dictus, quod Virgam Myricinam manu gestaret. Hinc & Myricas suas carmina pastoralia dixit Virgilius:

Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.

Et patere hinc potest, cur infelix habita fuerit myrica, atque apud Hebræos jam olim in maledicto? Non tantùm quod nasci gauderet, in desertis, vastisque locis; essetque sterilis, & solitaria, inculta, neglecta; verùm etiam propter Magicum abusum. Nam quibus abuti solebant Magi & Idololatræ, ea exsecrari solebant & abominari Judæi. Quare Jeremias hominem maledictum Myricæ comparavit; & quidem nascenti in deserto, siticuloso, salsuginoso solo, in quo nihil aliud generari queat. Loquitur enim de Silvestri.

18. Huic cùm simillima sit *Erica*, non peccârunt, qui pro *Aroër* ericam, Heide/interpretati sunt. *Ericen Græci vocant fruticem non multùm à myrice differentem, colore roris marini, & penè folio. Hoc adversari serpentibus tradunt*, Plinius l. cit. ex hujus flore *mel* conficiunt apes reprobum, Dioscorid. cap. 100. l. 1. *Ericeum* vocant. Genus quoddam Ericæ baccas fert juniperinis similes, ut docet Matthiolus ibid. Inde fortè *Aroër* nonnullis *Juniperus*. Ad scopas, quibus domus everruntur, myricæ & ericæ vulgaris usus est, Plin. & Matthiolus. Quod & ipsum ad exsecrationem pertinet. Unde etiam intelligitur, quomodo

modo Ps. 102. 18 *Ecclesia* humilis, despecta, abjecta, se myricam dixerit: quasi purgamentum quoddam, scopis everrendum, 1. Cor. 4. 13. *Exverras* dixerint fortè Latini vetustiores, ut apud Festum in *Everriator*. Cùm talis mens ad Deum ardentissimas preces effundit, fit, quod dixit Virgilius, ut

pinguia corticibus sudent electra myricæ.

In aquosis & in desertis, contrario quodam usu, hæc Virgulta nascuntur: unde & Hieremias dubia morum atq; insincera myricis comparavit, ait Ambrosius 3. Hexaëm. cap. 16. Alia in Arboreto diximus.

19. Supersunt 6. in hoc capite *Alga* & *Arundo*. Alga Suph dicitur, in quâ repositus est infans Moses, Exod. 2. 3. & capite implicito obhæsit Jonas, cap. 2. 6. Unde *Mare Suph*, quod ab Erythrâ Rege, Esavo scilicet, qui & Edom sive Erythra, vulgò *Erythræum*. Nomen habet *ab extremitate*, quod nascatur in extremis maris, & ideò tàm algam, quàm juncum, caricemq; significat: aut quod citò hæ plantæ consumantur & finiant. Hinc Proverbium: *Vilior algâ*. Dicitur *ab alligando, quod alliget pedes, vel ab algore aquæ*, Isidorus. Inter *maris ejectamenta est, quæ ventis expelluntur, salo exspuuntur*, Apulejus Apolog. vide plura apud La Cerdam Eclog. 7. in illud:

Horridior rusco, projectâ vilior algâ.

Describit genera Plinius l. 13. cap. 25. & 32. cap. 6. *Laudatissima, quæ in Cretâ juxta terram in petris nascitur, tingendis etiam lanis, ita colorem alligans, ut elui postea non possit.* Φῦκ⊗ θαλάσσι⊗ dicitur,

citur. *Fucus Marinus*, de quo Dodonæus P. 3. l. 5. cap. 20. *Nymphæam* quoq; Apulejus vocavit *algam palustrem*, &c.

20. Arundo, *Canna*, ex Hebræo nomen retinuit: idq; πολύσημον. Nam præter plantam palustrem, aromaticam significat, de quâ suo loco; & calamos artificiales, & alia, quæ apud Ravanell. & similes reperiri est. De *ferâ arundinis* dixi Volum. 2. S. Analect. l. 1. cap. 5. *Taurus expulsus regno memoris Paludis in secreta profugit latibula*, Phædrus fab. 30. Psalm. 68. 31. sic per epexegesin statim explicatur. Potuisset alioqui de Crocodillo intelligi, qui Ægyptiorum, quorum versu seq. mentio, insigne fuit. *Nisi baculo arundineo Ægypti*, Proverbium, 2. Reg. 18. 21. Esa. 36. v. 6. Ezech. 29. v. 6. exponit Zehnerus Cent. 4. Adag. 29. Dixi suprà, & hodiè ex arundine Indicâ, quæ & νάρθηξ, fieri scipiones: Elegantes quidem, sed fragiles. Auxilium ficulneum, stramineum: quod adeò non sustentat calabundum, ut & fallat innixum, & latus suffodiat. *Arundinem quassam non confringere*, Esa. 42. 3.

Hæc est sola salus animæ, & spes certa, dolenti;
Vulnera cum lacrymis Medico reserare superno,
Qui solet allisos sanare, & solvere vinctos,
Quas satos nec vult calamos infringere dextrâ,
Nec lini tepidos undis extinguere fumos.

Paschas. de Solitar. Convers. *Moveri sicut arundo in aquâ profluente*, est vivere in perpetuo metu & motu, 1. Reg. 14. 15. Nam neque fluxus aquæ

can-

cannam sinit quiescere, & qualibet aurulâ agitatur ejus Coma. Sic inconstantes arundinibus similes --- *quas leniter afflans*

Aura susurrantis possit confundere venti,

Matth. 11.6. Verùm hæc satis, & ad finem properat oratio. Addo

CAP. VIII.

De Vestiariis & Coronariis aliquid.

1. SAcram Rem vestiariam an quis accuratè explicârit? nescio. Materia ex plantis ferè sumpta celebrat *Bad*, *Buz*, *Pischta*, *Schesch*; ad tincturam pertinent *Argaman*, *Thekelet*, *Thola*, *Schani*: Fullonibus serviebat *Borith*. Res intricata est, & difficilis explicatu; majore curâ & industriâ digna. Nisi fortè, ad intelligendos profanos auctores, operæ pretium est scire rem vestiariam Græcorum & Romanorum; Hebræorum Sacram, ad rectiùs intelligendam Scripturam θεόπνευστον, parum referre putamus, aut nihil? Ego, quoniam nec tam eruditus sum, nec tàm otiosus, ut possim τεῖναι τὸν νοῦν εἰς τὸ ἀκριβές, ut aliorum studia excitem, de his pauca & quæ ad manum sunt commodabo. 1. Bad, unde fortè nostrum, Wad/Leinwad/quando vel nomini vestis, vel verbo induendi, jungitur *linum linteumve* significat: *Semper*, ut notat Marinus, *regitur ab alio nomine*, & adeò adjectivi vicem

vicem tenet: etiam cum verbo *Labàsch* jungitur, quod est, *induit*. Sic sæpè legitur Tiara lini, itemque baltheus, Ephod, tunica, feminalia, vel subligacula: & indui lineis, *Baddim*. Hinc hoc plurali nomine etiam *vectes* & proceri rami rectique indicantur, idque tùm & affixa recipit, & in regimine ponitur. Sed & *Vates*, nomine ex Hebræo fortè derivato, ut visum Avenario, *Baddim* dicunt, aut quasi *linigeri*, quales Isiaci in Ægypto, aut allusione ad verbum *Bada*, quod est *mentiri*.

2. Unde jam 2. quid à Pischta differat *Bad*? apparet. *Pischta* crescit in agris, vastaturq; calamitate θανάτῳ, Exod. 9. 31. DEI & Naturæ opus est, non artis, Ose. 2. 5. 8. habet culmos, vel calamos, λινοκαλάμην, Flachs/Stengel/ qui in Sole siccantur, & postea malleo stupario tunduntur, ut ex Plinio docui in Atrio cap. 46. Sic Josuæ, 2. v. 6. hinc linum quod manibus operantur bonæ matresfamiliâs, Prov. 31. 13. unde & *vestes* texuntur, de quibus peculiaris lex DEI: *Ne fiant ex lanâ & lino intertextis*, Deut. 22. 11. & retia, Esa. 19. 9. usus quoq; ad ellychnia est, Esa. 42. 3. & 43. 17. Matth. 12. 20. λίνον τυφόμενον, pro quo in quibusdam LXX. editionibus, est καπνιζόμενον. Estq; Linum aliud καθαρὸν καὶ λαμπρὸν, Apoc. 15. v. 6. aliud ὠμόλινον, crudum, crassumque, impolitum, quali pauperes & rustici vestiuntur, Sir. 40. 6.

3. Sed & à Schesch & Buz differt 3. *Bad*. Quod vel inde apparet, quia 1. femoralia jubentur fieri *Habbad*, lintea, *Schesch*, bysso retortâ, ἐν βύσσῳ

κεκλω-

κεκλωσμένης, Exod. 39. v. 28. *Bad* itaque includit *Schesch*, ut genus speciem, vel naturæ bonitate, vel arte & præparatione præstantem: sic *Schesch* dicitur *Parium Marmor*, candidissimum & splendidissimum, Cant. 5. 15. Esdr. 1. 6. At 2. *Buz* peculiare lini genus est, de quo, ut & de cæteris, mox distinctius. Thargum pro *Bad* aliquando *Buz* ponit, ut indicetur linum præstantissimum, ut 1. Sam. 2. 18. & ubi Moses habet, femoralia *Habbad*, ibi Ezechiel habet, *Pisthim*, cap. 44. 18. ut & *Pischta* sub *Bad* contineatur. Sic etiam pro *Schesch* Chaldæus habet *Buz*, tanquam idem sint: & *Cannabis* Thalmudicis dicitur *Bizbuz*: quin & pro *Pischta* in Chaldæo est subinde, *Kitthan*, ut Levit. 13. 47. 48. unde Catthune, Leinwad; *Linum Romanum* fortè vocant Thalmudici, de quo accipiunt dictum R. Jochanan: *Si quis à Patre relictos nummos velit citò dilapidare, vestiat se vestimentis lini, vasis utatur vitreis & conducat operarios, nec sedeat apud ipsos.* Hæc scilicet

--- *ad paupertatem trita frequensq; via est.*

4. Buz ut ipsum vocabulum innuit, *Byssus* est. Domus *Abboda Habbuz*, est domus operantium byssum, der Leinen-Weber / 1. Paralipom. 4. 21. *Byssus, qui Hebraicè Schesch, ab eximio candore marmore æmulo dicitur, perpetuò à Chaldæis Buz appellatur* &c. Arias Montan. in Aarone suo. Varia linorum genera describit Plinius l. 19. cap. 1. *Asbestino, sic dicto, ex argumento naturæ, quod ignibus non absumeretur, ex quo Regum olim funebres tunicæ, corporis favillam à reliquo separabant ci-nere.*

nere, principatus, ut ait, *in toto orbe defertur.* Sed hoc è lapide Caryſtio depectebatur, ut ibid. Dalechamp. nec huc ſpectat. *Proximus* honor *byſſino, mulierum maximè deliciis circa Elim in Achajâ genito; quaternis denariis ſcripula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* De hoc Pauſanias: *Inter agri Elei miracula byſſus eſt: nec enim alibi uſpiam in totâ Græciâ naſcitur: tenuitate quidem nihil inferior eo quem Hebræorum terra parit: minus tamen flava*, in Eliac. Priorib. Credidit ergò byſſinum Hebræorum aureo colore fuiſſe. At Interpp. noſtri candidiſſimum faciunt. Lipſius ad 2. Annal. Taciti Obſervat. *Byſſina, Serica, & Bombycina* non rarò ab auctoribus profanis confundi: hoc autem intereſſe; quod *byſſus* è terrâ naſcatur, ut linum; *Sericum* lana ſit arborum, quam Seres, lanicio ſilvarum nobiles, foliis depectant, ut Virgil. & Plin. *Bombycina* deniq; telam eſſe vermium, hæc ille pluribus, pag. 50. m. Sed malè diſtinguit Serica à Bombycinis. Nam *apud Seras vermes ſunt bombyces in arboribus, qui in aranearum morem fila tenuiſſima deducunt: unde eſt Sericum, ita Servius.* Nec ſanè apud Seras hodiè, id eſt, Sinenſes, aliud reperitur Sericum. Ipſe Poëtarum Princeps à goſſipino, quod arboris fœtus eſt, diſtinguit. De hoc enim præmiſit:

Quid nemora Æthiopum molli canentia lanâ referam? de illo ſtatim ſubtexit:

Velleraq; ut foliis depectant tenuia Seres?

Foliis, inquit accuratè: nam ex foliis mororum ſuſpendunt telas ſuas orbiculatas bombyces.

Tra-

Tractat hanc Quæstionem diligenter ibid. La Cerda & Bonfrerius ad Genef. cap. 41. v. 42.

5. Certum habeo *Byssina* S. Scripturæ, propriè dicta, *non fuisse Serica* sive Bombycina. Quid ergò? *an è gossipio:* de quo Plinius: *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alioqui gossipion vocant, plures Xylon, & ideò lina inde facta Xylina. Parvus est, similemq; barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec ulla sunt eis candore molliiiâve præferenda. Vestes inde Ægyptii Sacerdotibus gratissimæ,* l. 19. cap. 1. Colligit hinc Bonfrerius ad Exod. c. 25. v. 4. *Linum Ægyptium* non esse aliud, præter *gossipium*, & lineas illas Sacerdotum vestes fuisse Xylinas. Sed ut Plinius l. cit. quatuor recenset genera lini Ægyptii, cum regionum nominibus: à quibus hoc Xylinum clarè distinguit: ita Vestes Sacerdotales in Ægypto non fuisse è gossipio, sed ex vero lino docet Apulejus: *Lini,* inquit, *mundissima seges, inter optimas terræ fruges terrâ exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoq; in rebus sacris usurpatur,* 11. Metamorph. *Gossipinas tamen gratissimas fuisse,* Plinio assentiar.

6. Ut certiùs constet *quid Buz sit*, quærendum est; *quid differat à Schesch?* Ac differre quidem, etsi Chaldæus confundere videatur, rectè probat Bonfrer. l. cit. in Exod. ex eo, quod Sacerdotum & Levitarum vestes è diversâ fuerint materiâ, teste historiâ Josephi l. 20. c. 8. At Sacerdotum fuerunt ex *Schesch*, ut Exod. 28. v. 5. 6. & 39. 27. & sqq. Levitæ verò induti erant *Buz*, 2. Paralip. 5.

v. 12. Præstantior igitur, rariorque *Schesch* quàm *Buz.* Itaque Tremellius quoque *Schesch* posuit *linum Xylinum*; D. Lutherus, weisse Seiden. Atque hoc *Schesch* vel fuit simplex, vel ex filo contorto, gezwirnet/ Exod. 26. 1. unde & nomen quidam derivant; *à sex filis*: ut *Bad*, quod *simplex & solitarium* significat, sit è filo simplici textum; *Schesch* verò, *ex retorto*: sechsdrätig. Et tali materiâ oportebat fieri femoralia Sacerdotum, ne per *nebulam* quasi *lineam* quid turpe transluceret. Nam Schesch alioqui tenuissimum erat: ut in sericis vestibus: *in quibus subtiliter textis nihil erat, quo defendi corpus, aut pudor posset: quibus sumptis mulier parùm liquido juraret, se no[n] esse nudam: ut ne adulteris quidem plus sui in cubiculo possint ostendere, quàm in publico*, ut cu[m] Seneca dicam. *Ventum* ideò *textilem* appellavi[t] P. Syrus.

7. Sed adhuc quærendum restat, cùm *Schesc[h]* aliud fuerit, quàm *Buz*, sivè byssus propriè dicta; *an ergò fuerit Sericum* sivè bombycinum? quo[d] placuit D. Luthero: *an gossipinum?* quod Franc. Junio: *an neutrum, sed verè linum?* Credo, ho[c] potius: nam quæ femoralia Moses jussit fieri e[x] *Bad*, & quidem *Schesch retorto*, Exod. 39. v. 28. eadem Ezechiel & cætera ornamenta Sacerdotalia verè linea fuisse indicat, ex *Pischta*, quod propriè linum esse docui, cap. 44. v. 17. 18. Nam quod & Sericum posteà Thalmudici fortè dixerunt *Linum, Pischta*, & quidem cum epitheto, *Romanum*, quia à Romanis Constantinopoli temporibus Justiniani texi cœpit, ut apud Zonaram est; mer[a] catachresis est.

8. Qua-

8. Quare, ut tandem sententias colligam, puto, usque dùm meliora discam: 1. *Schesch* on tantùm præstantissimum lini genus fuisse, d & singulari arte è subtilissimis filis contor- uplicatum. Genus fortè, quale illud in Acha- circa Elim, de quo diximus: nam & simile lebræorum fuisse, audivimus è Pausaniâ. Ar- s verò specimen prodidit Plinius, qui refert *in hodiorum insulâ, in Templo Minervæ, pro mi- aculo ostensum Amasis, Ægyptii Regis thoracem, ujus singula fila constiterint CCCLXV. filis*: in- er se, puta, contortis, l. 19. cap. 1. Jam 2. *uz* non genere toto, sed specie lini, & artifi- io texturæ differebat; Linum tamen verum, Syriæ indigenum, vulgariq; & crassiore can- abino longè præstantius. Vulgus laneis ute- atur vestibus, quas Sacerdotibus & in Tem- lo ministrantibus prohibuerat DEUS: Vilior x populi rudibus illis lineis, aut cannabinis, de uibus Sirac. 40. l. c. Josephum *vestibus Schesch* duit Pharao, Gen. 41. 42. David se *pallio Buz*, Paralipom. 15. 27. Aulæa candida, carpasina, hyacinthina pendet *ex funibus Buz*, & purpu- eis, Esther. 1, 6. Mardochæus regaliter prodit *mictus Buz & purpurâ*, cap. 8. v. 15. Artifices *ργοὶ*, qui operarentur Byssum, *Buz*, & lina, in alæstinâ celebres, 1. Paralipom. 4. 21. & 2. c. 2. 14. Aramæorum itaque mercimonia erant ter alia, *Purpura & Buz*, Ezech. 27. 16. Fa- usque Tyriorum tantus luxusque fuit, ut Vela avium facerent, pro vexellis, acu picta *ex hesch*, & quidem *Ægypti*, quod si de gossipio

M accipi

accipi velis, non refragabor. Denique inter summa, ac planè maximâ fortunâ digna, ornamenta recensetur vestiri *Scheschi vameschi*. Ezech. 16. v. 10. 13. hoc est juxta LXX. βύσσῳ καὶ τριχάπτῳ, vel ψυλαφητῷ. Juxta alios *bysso & subtilibus*, Serico, &c. *Meschi* alii à *Musch* aut *Muschach* derivant, quod esset vestis tenera, *palpabilis*; weich zart/ sammeten/sic Græci: alii à *Maschah*, extraxit, & interpretantur, vel *Sericam*, quod Seres vermiculi extrahant ex ventre suo fila; vel *Conchyliatam*, quæ murice ex aquâ maris tracto tincta est, ut Avenarius: credo longiùs petita, & an Serica sivè bombycina jam tùm Judæis nota fuerint? ambigo.

9. *Byssi* tamen vocabulum *in Novo Testamento* puto latiùs accipiendum, ut omne genus subtilissimarum ac præstantissimarum telarum, quibus solis ditissimis ac nobilissimis vestiri mos fuit, contineat. Scilicet Scriptores Sacri usi sunt vocabulo Byssi, tanquam nummo. Sic autem tùm vulgò dici solebat, non solùm elegantissimum illud *Achaicum Linum*; sed & aliud simile *Indicum*, de quo Jul. Pollux l. 7. cap. 17. *Byssus lini quadam species apud Indos. Nunc verò apud Ægyptios. Ex arbore lana quadam fit, ex quâ vestem confectam lino maximè similem esse quispiam dixerit : solâ densitate exceptâ : densior enim arbori fructus innascitur, nuci similis, triplici munitus cortice : quâ diremptâ, postquàm nucis instar floruit, interius quod lanam refert eximitur : hinc subtemen conficitur, cui lineum stamen subtendunt.* Hoc est quod diximus gossipium. De eodem

eodem Philostratus l. 2. cap. 9. Indi accolas fluvii vestibus uti λίνα ἐγχώεια, & calceamentis βύβλα, Papyraceis: *nobiliores verò indui bysso: nasci hanc in arbore, quæ albæ populo similis sit altitudine, foliis verò salici: inde profectam in Ægyptum ad multiplicem sacrorum usum*: Colorem tribuit φαιὸν, *subfuscum*. Zosimus l. 1. Histor. Veneri Aphocitidi à Syris inter alia donaria oblata refert ὑφάσματα λίνεά τε καὶ βύσσινα, & ex alia materiâ præstantiore. Differt ergò *à lino*, juxta hujus temporis usum: Sed & *à Serico* distinguitur Apoc. 18. v. 12.

10. *De colore* pauca addam: nativum Byssi, propriè dicti lini, *flavum*, aureumve fuisse videtur indicare Pausanias. Nostrum quoque priusquam insolatione, crebrâq; irrigatione candidetur, rufescit. Quanquam & aliud præstantiusque genus est, Cinereum, sive φαιὸν, quale byssum gossipinum Philostrati, Silberfarb. Variis tamen aliis coloribus imbuitur. Olim inprimis purpurâ. Unde *Byssina*, Hesychio, *Purpurea*: Totiesq; Byssus & purpura junguntur, ut & Luc. 16. v, 19. ubi vide ex Bocharto Walæum. Ita *Byssum genus quoddam plantæ*, ait esse Auctor Etymologici, *quo tincta vestimenta byssina dicantur*. Divitem Epulonem, ait Basilius in Catenâ LXV. PP. Corderii, imitatum vestimenta, *quibus Sacerdotes pro mundo supplicaturi induebantur: quæ suis coloribus elementa significabant, quibus omnia constant, Nam Byssus pro terrâ ponitur, hyacinthus pro aëre, purpura pro mari, & pro igne coccinum*. Hæc ille ex Philon. *Byssus*, inquit, *terram significat, è qua*

nascitur : hyacinthus aërem nigricantem suapte naturâ : aquam purpura, quod hac tinctura è mari petatur : Ignem deniq; color coccineus, lib. 3. de Vitâ Mosis, & de Congressu quærendæ Erud. Grat. Sed de coloribus Biblicis alius est agendi locus.

11. Borith, bis legitur: Jerem. 2. 22. *si laveris te* Bannéter, *& multiplicaveris tibi* Borith. Et Malach. 3. 2. *Ipse tanquàm* Borith *Fullonum*. De hoc posteriore loco, & *de S. Fulloniâ Messia*, dixi non pœnitenda in Quinquagenâ Festali. In priore habent LXX. ἐν νίτρῳ, & πόαν *herbam*. Vulgatus : *si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith*. Hieronymus ait : *Hanc herbam Fullonum, juxta Palæstinæ ritum, in virentibus & humectis nasci locis, & ad lavandas sordes eandem vim habere, quàm nitrum*. Chrysostom. in Catenâ notat : *Hebræorum Borith, Syrorum linguâ dici*, Ἀλάαν, *Græcorum*, Δορύκνιον. Credo, scholion esse. *De Dorycnio* Dioscorid. l. 4. c. 70. sed nihil tale : somniferum esse scribit, & copiosiùs haustum mortiferum &c. Matthiolus, quid sit? frustrà se inquisivisse. Dicitur etiam *Dorycnion*, πύρεθρον, Bertram/Seiffer-Wurtz/de quo Dodonæus P. 3. l. 1. cap. 22. Nostra *Saponaria* vulgò nota est, & flore pleno in hortis colitur, Seiffen-Kraut. Quomodo saponem hodiè Syri, ex herbâ quâdam, ab Arabibus *Schinan* dictâ, coquant? docet D. Rauhwolff in Itiner. p. 37. Illud pium & elegans in Malachiæ loc. cit. habet Cyrillus Alexandrinus *Sacerdotum Aaronicorum* φόρημα *fuisse*

fuisse stolam juxta legem : sed electis in Christo, & ad spirituale Sacerdotium ordinatis, inquit, ἄμφιον ἐστὶ λαμπρὸν, ἱεροπρεπὲς, καὶ ἅγιον, αὐτὸς ὁ Χριστός. Hic induendus est fide per imputationem, & quotidianâ pœnitentiâ per vitæ innovationem. Alioqui nos nec nitrum, nec herba ulla, nec smegma, mundabit, neque

--- *omnibus undis ablaet Oceanus.*

Quod Origenes in Jeremiam docet ; *Quædam peccata nec nitro nec herbâ emundari posse, quorum utrumq; sit in Verbo Dei ; quare reservari, ut igne & gravioribus tormentis expurgentur* ; id etsi, pro more, repetit Hieronymus, non tamen probat. Duplicem enim errorem ab universâ Catholicâ Ecclesiâ damnatum continet : Novati alterum ; *Non omnia peccata purgari posse pænitentiâ* : alterum Platonis : *Esse pœnas quasdam infernales post hanc vitam purgatorias*, quibus tandem expientur peccata, quæ pœnitendo hîc non emendata aut emundata fuerunt. Quantò rectiùs Chrysostomus & Theodoretus ? Indicari ; *legalibus ceremoniis, & externis operibus non posse impetrari peccatorum remissionem. sed opus esse pænitentiâ, & verâ ad Deum conversione.*

12. Supererat, ut *de Coronariis herbis* adderem nonnihil : Sed in Floribus jam hunc usum attigisse sufficiat. *An Judæi coronare capita soliti fuerint?* Disputavi in Volum. 1. S. Analector. De collo suspendere serta consuevisse, ex Cant. 1. v. 13. docui in Passionali, *de Fasciculo Myrrhæ.*

Sic

Sic & Christiani olim: *Sane, quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire,* &c. Minutius Felix in Octavio. *Tàm contra naturam est, florem capite sectari, quàm cibum aure sonum nare,* ait Tertullian. de Coronâ Milit. Plura in Acerrâ dedi l. 1. p. 114. *Coronabantur* apud Gentiles *epulantes*, ut Sap. 2. 6. *Bacchus amat flores,* Ovid.

Sic juvat, & multo mentem vincire lyao,
Et caput in vernâ semper habere rosâ,

ut de se Propertius, de quo abusu multa Stukius l. 3. Conviv. cap. 16. Sic quoq; *sacrafacturi* tàm capita sua, quàm victimarum, quin & Deorum suorum, & ipsas Templorum, ædiumq; suarum januas, ut Actor. 14. 12. Coronabant, de quo ritu Idem de Sacrificiis &c. Nobis promissa est *Corona amarantina,* 1. Petr. 5. 3. de qua dixi S. Analect. Volum. 1. Capite extremo. Est autem alter *amarantus purpureus,* de quo Plinius l. 21. cap. 8. *Est spica purpurea verius, quàm flos aliquis, & ipse sine odore. Mirum in eo gaudere decerpi, & latiùs renasci: mirumq;, postquam defecêre cuncti flores, madefactus aquâ reviviscit, & hibernas coronas facit: Summa ejus natura est in nomine appellato, quoniam non marcescat:* alter *aureus* de quo Idem l. cit. cap. 25. *Elichryson, quod alibi Chrysanthemon vocant, ramulos habet candidos, folia subalbida, abrotono similia: ad Solis repercussum, aurea lucis in orbem veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marcescunt: quâ de caussâ Deos coronant illo, quod diligentissimè servavit Ptolomæus*

Rex

Rex Ægypti. De hoc plura in Analect. loc. cit. Uterq; Germanis non ignotus. Priorem vocamus, Tausendschön/ Floramor / & in hortis frequens est. Posterior similis est, quæ dicitur *Stoechas Citrina*, creberrima ad Rhenum, præsertim inter Spiram & Wormatiam, ut verè Dodonæus, Rhein-Blume dicitur, &c. Nostra corona & de gratiâ Christi purpurea est, & de gloriâ aureâ. Sed --- *non certanti, non est speranda corona.* Et ut Ambrosius in Luc. 4.

NEMO POTEST, NISI VICERIT, CORONARI.

Vel ut Minutius:

NEMO PRÆMIUM PERCIPIT, ANTE EXPERIMENTUM.





LIBER TERTIUS.

HORTUS AROMATICUS.

CAP. I.

Aromata in genere Biblica, & Nomenclator.

1. ARoma Græci derivant ab ἄρ & ὄζω, unde ὀδμὴ, quod sit εὐωδίασμα μυρεψικὸν, juxta Suidam. Mihi potiùs ab Hebræo, *Rum*, extollere, offerre; unde *Romà*, elatio, & *thrumà*, oblatio. Antiquissimus enim usus fuit, ut offerrentur aromata DEO ad suffimentum. Stukius derivat ab αἴρω, tollo, effero, quod odores tollantur in altum, de Sacrif. p. 138. sic ab eâdem radice, *Rum*, *Aram*, Gen. 10.22. à quo *Aramai* Syri, Genes. 26.5. & *Arumàh*, Judic. 9.40. Sic. Exod. 20.6. jubet DEUS tibi offerri à populo ad S. Tabernaculi apparatum *Thruma*, spontaneam oblationem, & inter alia duo specierum aromaticarum genera, בשמים *Besamim*, ad oleum unctionis: & הסמים *Hassammim*, ad suffimentum: Vulgatus doctè distinxit; *Aromata in unguentum, & thymiamata boni*

boni odoris. Græci modò ἡδύσματα, modò θυμιάματα vocant: Thalmudici, modò ex Græco φάρμακα, *Isspharmekin*; modò ex Hebræis fontibus, *Bosem*, *Busma*, à *Besam*, suave & jucundum esse, unde forsan nostrum, Bisam/Moschus; aut & *Sam*, *Samma*, quod *pulverem* aromaticum significat, quem distinguunt: inter pulverem *mortis*, venenum, & *vitæ*, alexipharmacum. Hinc ajunt: *Qui legi dat operam propter ipsam, ei fit aroma vitæ*, ὀσμὴ ζωῆς, *qui non propter ipsam, ei fit aroma mortis*, ὀσμὴ θανάτου, 2. Cor. 2. 15.

2. Sunt igitur Aromata sacra alia *liquida*; alia *arida*, quæ in pulverem redigi possunt: & ex usu alia *unguenta*; alia *odoramenta*, suffimenta; alia denique *condimenta*. Hinc Exod. 30. 23. & seqq. jubet Deus sibi parari 1. *Sacrum unguentum*, & quidem de *Bessamim Rosch*; Græci habent ἡδύσματα, cum appositione ἄνθος, de flore aromatum de præstantissimis, quod ingrederentur; *Mor deror*, myrrha liberè fluens; *Kinnemon-Bessem*, Cinnamomum aromaticum, puto potiùs unguentarium, Zimmet-Oel: *Kane-Bossem*, Canella, calamus aromaticus, vel in unguenti formam solutus; & *Kidda*, pro quo Græci ponunt nomen Ἴρεως, alii Casiam; 2. *Sacrum suffimentum* thymiama, quod jubet confici ex *Sammim*, ad odoramenta idoneis, qualia proponit & præscribit, *Nataph*, stacten; *Schecheleth*, onychem; *Chelbena*, Galbanum: & hæc quidem vocat *Sammim*, aromata fortè sicca, arida: quibus denique adjicit *Lebona*, λίβανον, & quidem διαφανῆ, thus purum. Ex quibus puto elucescere,

quid intersit inter Beſſamim & Sammim? quod Interpretes non extricant. *Beſſamim* jubet Deus ſimpliciter ex arte miſcere, *unguentando* quaſi *unguentum*, ut liquida fuiſſe oporteat: at *Sammim* jubet contundendo comminuere, ut fiat *Ketorèth*, ſuffimentum, odoramentum, arte pharmacopæi, pigmentarii, ſic commixtum, *quaſi ſale conditum* ſit, vide Buxtorff. Lex. Hebr. in *Malàch*, ſalivit.

3. Satorem datoremque hujus boni Deum etiam pagani agnoverunt, eiq́ue fructum ſacraverunt, ut poſtea ſingulatim dicemus. Cùm Dionyſium Jupiter in Arabiâ è femore ſuo edidiſſet, ſponte ſuâ terram odoramenta iſta profudiſſe, fabulabantur:

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν λιβάνῳ κομόωσιν ἄρουραι,
Οὔρεα δὲ χρυσῷ, ποταμοὶ δ' ἑτέρωθι θυηλαῖς.

Unde etiam nunc rura ſacro ſunt thure referta,
Et montes auro, & fluvii libamine multo,

Dionyſius Perieget. v. 950. Quin & perſuaſum fuit ex odore *Deorum præſentiam* agnoſci: *ſpirare enim Arabiæ felicis germina*, & εὐωδίαν quandam θαυμαστήν; poſtquam

--- tenues ſeceſſit in auras:
Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe Deam, Ovid.

vide La Cerdam ad 1. Æneid. v. 407. Neque dubium eſt, poſſe Diabolum vel aërem odoribus bonis inficere, vel olfactum decipere: ut adeò fragile argumentum ſit, quod cadaverum Lipſana jucundè fragrent, ad probandam Sanctitatem. Neque narium indagine ſancti deprehenduntur; quomodo C. Plotii Planci latebram Salernitanam

nam percussoribus prodidit odor unguenti: sic enim sagax horum cura abditum fugæ illius cubile odorata est, Plin. l. 13. cap. 3. Valer. Max. l. 6. cap. 8.

4. *Caussa Ministra* Tellus est. Non tamen omnis fert omnia.

--- Croceos Tmolus odores,

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Hinc *mercatores Seba & Rhegma* Tyrum advehebant *præstantissima aromata*, per sinum Persicum, Ezech. 27. 22. Bochartus in Phaleg. l. 4. capp. 5. & 7. *Ismaëlitæ* in Ægyptum ex Arabiâ *Necoth, Zeri, & Lot*, de quibus valdè dissentiunt Interpp. Genes. 37. 35. De *Bdolach*, bdellio, ejusque natali solo, Gen. 2. 12. Arabia felix eo nomine celeberrima; unde Manlius dixit:

--- terram ferentem

Delicias, variaq; novos radices odores, &c.

Ibi locus Ἀρωμάτων ἐμπόριον, in Peripl. Arriani Maris Erythr. & Ἄρωμα, urbs Æthiopiæ, ap. Stephan. vide Stukii Notas ad Arrian. l. c. Inter pretiosas Mysticæ Babylonis merces, recenset S. Johannes, κινάμωμον, καὶ θυμιάματα, καὶ μύρον, Apoc. 18. 13. quorum copiâ abundabat tùm Roma, ut docet Ribera & Corn. à Lap. *Hæc erat materia luxus, è cunctis maximè supervacui*, Plin. 13. cap. 3. Addunt Complutens. & alii Codices in Apocal. l. cit. post λίβανον, *Amomum*.

5. Ad *præstantiam* spectat cura Regum, qui *inter thesauros reposuerunt aromata & unguenta*, quibus æquè ac auro, argento, gemmis, gloriarentur, Esa. 39. 2. & 2. Paralip. 32. 27. Regumq; hæc

hæc *dona* fuerunt, ut 1. Reg. 10. 2. 10. & *merci monia* è longinquo petita, ibid. verſ. 25. Ezech. 27. &c. Sed & *à Regibus ſerebantur*; unde Salomonis Horti, colleſque & *areolæ aromatum*, Cantic. 4. 6. cap. 5. verſ. 1. 2. 13. &c. in quibus præter alia naſcebantur, *Cepharim*, Cyperi; *Neradim*, nardi; *Carcom*, crocus; *Ahaloth*, ligna aloës, Cant. 4. 12. *Balſamum* Judææ gloria fuit. De quibus deinceps. *Aromatarius*, qui talia vendebat, & ex iis unguenta aut pulveres odoratos conficiebat, dicitur רכל *Rochel*, & רקח *Rokeach*, Exod. 30. 25. & deinceps, Cantic. 3. 6. 1. Reg. 10. 15. Apothecker: Vulgatus hîc habet, *Scruta vendentes*, pro *Rochlim*: illic *pigmentarium*, alii pharmacopolam. Puto hoc intereſſe, quod *Rochel* ſit inſtitor, mercator, Materialiſt; *Rokach*, confector, pharmacopæus, Apothecarius, pigmentarius. Nam *Rechullàh*, mercatura eſt; at *Rekàch*, conditura, miſtio aromatica, ut *Vinum Rekach*, quod Hippocraticum & *aromatites*, claret, Cant. 8. 2.

6. *De uſu Sacro* ad ſuffitum & unguentum jam aliquid dixi. Utriusq; confectione & uſu, extra ſacrum, graviſſimè interdixit Deus, Exod. 30. l. cit. Porphyrius 2. de Animal. abſtin. antiquitus herbas, & quidem ſimplices ac domeſticas, adolere morem fuiſſe, in honorem Deorum: poſtea aromata transmarina quæſita: θύειν idem eſſe quod θυμιᾷν, inde dictas θυσίας, θυμέλας, θυηκλὰς: nec alia fuiſſe ſacrificia, præter ποπάνων καὶ καρπῶν. De hoc more ſuffiendi multa Stukius de Sacrif.

pag.

pag. 139. & seqq. & nuper Clar. Joh. Saubertus de Sacrif. cap. 24. Et ut in Templo omnia vasa & instrumenta, ad religionem Deo sacrata, per unctionem; sic mos obtinuit etiam apud Gentes, ut simulachra, & apud Romanos, ut signa militaria ungerentur, de quo Lipsius ad 1. Annal. Taciti, num. 106. Nostrum spirituale *thymiama* preces sunt, Apoc. 5. 8. Psalm. 141. 2. *Unguentum*, quo Deo sacramur, Spiritus Christi est, ejusque charismata, 2. Cor. 1. 21. 1. Joh. 2. 20. de utroq; vide Pelargum in Exod. l. cit. & de thymiamate inprimis Cluverium in Apocal. loc. cit. Pertineret hæc consideratio ad Tractatum *de Sacris Ceremoniis*, earumq; ratione. Materia amplissima, & dignissima pio ac erudito ingenio.

7. *Usus profanus* aromatum latè patet, æquè ac luxus, cui nec modus est, nec remedium. *Vestes* jam olim in Judæâ, ut & lectulorum *peristromata, odoribus aromaticis imbuta* constat ex Psal. 45. 8. ubi vestimenta Regia odorata *Myrrhâ, & Ahaloth & Kezioth*: Proverb. 7. 17. *Perfudi lectulum, Myrrhâ, Ahalim, & Cinnamo.* Cant. 3. vers. 6. *Quæ est ista adscendens è deserto, sicut columna fumi*; quod in sacro suffitu faustum habeatur, è quo preces & sacrificia litâsse conjectabant, qui dicebantur θυοσκόοι qui & λιβανομάντεις & καπυροσκόποι: *Suffita myrrhâ, thure, & omni pulvere pigmentarii?* Sic *capita* in lætitiâ balsamo, nardinoque & aliis unguentis *perfusa*, Psal. 23. 5. Eccles. 9. 8. Joh. 12. 3. *Cur Regiæ pellices futuræ puellæ*, lege ac more Persarum, *toto anno in Gynæceo curârint cuticulam*; sex mensibus quidem pri-

mis

mis *unguento myrrheo*; sex alteris variis *Bessamim* unguentis & *thamruke* mulierum, lotionibus, mundationibus, quibus hic sexus uti solet! Esther. 2.12. Sanctius ibid. caussam fuisse putat *fœtorem quendam*, sivè hircum alarum, in solo cœloque calido quasi *nativum*. Judaicæ Sponsæ lotionibus & unctionibus dabant operam, ut Rhut. cap. 3. v. 3. sed & conjuges, ut Susanna, & quæ ad viros accessuræ essent, ut Judith. cap. 10. 3. De Græcis nota Socratis sententia est: *Fœminæ, ac præcipuè sponsæ, egent unguentis, eaq; non prater decorum olent*, in Convivio Xenophontis. Sophocles in Cretensibus: *Venerem finxit unguento perfusam, ad speculum se contemplantem: Palladem oleo ungi & exerceri.* Persas meritò *madere unguento*, dixit Plinius, *ut accersitâ commendatione, ingluvie natum, virus extinguant*, l. 13, cap. 1. Quod alibi explicat: *Parthorum populis ora fœtere à juventâ, propter indiscretos cibos* l. 11. cap. 53. Hinc tamen non probatur! Virginibus, virum non expertis, fœtorem illum ex solo cœlove calido adhæsisse. Vetularum exoletarum sunt istæ *nasorum pestes*, de quibus Horatius in Epod. 12.

Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis?
Polypus vitium narium: hinc Polyposus; qui nares habet fœtentes; At *hircus odor axillarum instar hircorum fœtens, qui pudor in libidinosis, ex sudore, pilis alarum inhærente, gravis percipitur*, sic Vetus Horatii Commentator editus à Cruquio. Neque hircus ille, *mala bestia* dictus Catullo, vel myrrhino aliisque unguentis videtur extingui,

de

de quo Aristot. Problem. 9. Sect. 13. vel annuâ curatione opus habere. Cinaræ, cardui nostri, escatilis, radix vel decocta cum vino bibitur, vel parti, huic fœtori opportunæ, in emplastro apponitur; sic ajunt tolli, ut Lambinus in Horat. l. cit. Mihi tota hæc curatio ad Persicum luxum pertinuisse videtur. Eò spectabat, quod quidam *frigidis calidisq; unguentis lavarint*, ut Caligula ap. Sueton. cap. 37. Quod *cuilibet corporis parti sua propria idonea unguenta adhibuerint*, ut Antiphanes docet apud Athenæum l. 15. & ante 12.

Lavit is in aureo quodam solio: unguento
Ægyptio pedes linit & manus:
Phœnicio malas & papillas:
Sisymbrino verò utrumq; brachium:
Amaracino comam & supercilia:
Serpyllino genua & cervicem.

Apud eundem Athenæum plura de hoc luxu, & inter alia ex Posidonii 8. Historiar. apud Syros morem fuisse in epulis Regum, postquam convivis datæ essent coronæ, ut quidam cum utriculis unguenti Babylonii ingressi, mensam circumirent, coronasque accumbentium sic procul stantes irrorarent, ut aliud tamen nihil adspergeretur. De Persico luxu in abusu unguentorum vide Brisson. de Reb. Persar. p. 227. Quod ad rem inprimis est, narrat Bellonius Obser-vat. l. 3. cap. 34. *Asiaticas fœminas*, balneis & unctionibus crebris, adeò cutem lævigare & erugare, *ut holosericum se quis manibus tractare*

ſtare exiſtimet : huicque ſtudio maximam impendere operam, etiam Ruſticorum uxores : de quo ibid. plura.

8. *De uſu condimentario* in S. literis nihil memini me legere, niſi quod *vina aromatibus condita* jam dixerim, Cant. 8. 2. Ipſa etiam *unguenta in potus addita*, refert Plinius l. 13. cap 3. cibis etiam mixta docet Stukius l. 2. Conviv. c. 15. extr. ubi plura de Unguentis. Quæ nunc in quotidiano uſu ſunt aromata, ad condiendos peregrino ſapore cibos, olim vel rara, vel ignorata, in S. Literis neque nomen habent; uti *Piper*, quod Thalmudiſtæ ab acrimoniâ; aut quod cibis inſpergi ſoleat, *Pilpel* vocant: *Zingiber*, ζιγγίβερι, quod Arabes ſcribunt *Zangibel*, apud Bochart. p. 599. Thalmudici apud Buxtorff. *Ginbera*. ex Germanico puto, Ingwer: Sic *Caryophyllum* dicunt *Giroffle*. Denique *de uſu ad funera*, & exequialem uſtrinam, locus eſt 2. Reg. 16. v. 15. & de corporum defunctorum unctione noti Geneſ. 50. v. 2. Joh. 19. v. 39. de utroque ſuo loco deinceps commodius.

9. Ex dictis facilè conficitur Catalogus Aromatum Biblicorum. Nomina vulgatioremque ſignificationem, & loca S. Scripturæ potiora notabo,

1. אהלים *Ahalim*, lignum aloë: bis legitur, Numer. 24. 7. & Proverb. 7. 17. *Ahaloth*, idem, Pſal. 45. 9. Cant. 4. 14. de his in Arboreto.

2. ברלח *Bdolach*, bdellium, Geneſ. 2. 12. Numer. 11. 7.

3. חלבנה, *Chelbena*, galbanum, Exod. 30. v. 34.

4. כפר

4. כפר, *Copher*, Cyprus, Cantic. 1. v. 14. & ap. 4. v. 13.

5. כרכם, *Carcam*, Crocus, Cant. 4. 14.

6. לבנה, *Lebonàh*, Thus, Exod. 30. 34. Leit. 2. 1. 15. cap. 24. 7. Cant. 3. 6. cap. 4. 6. & 14. alibi sæpius.

7. לוט, *Loth*, quid sit incertum, Gen. 37. 24. ap. 43. 10.

8. מור, *Mor*, Myrrha, Exod. 30. 23. Ps. 45. 9. sæpius.

9. נכאת, *Necoth*, Genes. 37. 24. & 43. 10. & xpuncto Aleph. 2. Reg. 20. 13. & Esa. 39. 2. aroata, incertæ significationis.

10. נרד, *Nered*, Nardus, Cantic. 1. 12. cap. 4. 13. 14. Marc. 14. 3. & Joh. 12. 3.

11. צרי, *Zeri*, *Zori*, opobalsamum, Resina, Genes. 37. 24. cap. 43. 10. Jerem. 8. 22. cap. 46. 11. ap. 51. 8. Ezech. 27. 17.

12. קדה, *Kiddah*, Casia, Exod. 30. 24. Ezech. 7. 19.

13. קציעה, *Keziah*, Casia, & plurale *Keziotb*, ob. 42. 15. Psal. 45. 9.

14. קנה, *Kane*, Canna, calamus aromaticus, Exod. 30. 23. Jerem. 6. 20. Ezech. 27. 19. Cant. 4. 14. Esa. 43. 24.

15. קנמון, *Kinnamon*, Cinnamum, Cinnamonum, Exod. 30. 23. Prov. 7. 17. Cant. 4. 14. Apocal. 18. 12.

16. שמן, *Schemen*, Balsamum, nativum aut

 facti-

factitium, Psal. 133.2. Prov. 7.2. Amos. 6.6. 2. Sa
14.2. Psal. 141.5. &c.

17. Huc pertinet נטף *Nataph*, stacte, bal
mum stillans, Exod. 30. 34.

18. שחלת *Schecheleth*, onyx, Exod. 30. 34.

His adde *Aloën*, ex Joh. 19. 39. *Schinon*, Le
tiscum, Fragm. Daniel. 13. v. 54. *Amomum*, ex qu
busdam codicibus, Apoc. 18. 12. &c.

CAP. II.

De Ahalim & Aloë.

1. ACtum de his jam Arboreti cap. 43. u
ostensum; aliud esse in Vet. Testament
Ahala, quod aloën veteres verterunt; aliud i
Novo *Aloën*, ex usu communi, aliqua adde
non pigebit.

Ahalim esse arbores, Judæis olim jam n
ignotas, ex Numer. 24. v. 6. colligitur, 1. Qu
Cedris junguntur, 2. Quia Deus dicitur *conseviss*
& plantâsse. Quàm pulchra sunt *Ohalecha* ta
bernacula tua Jacob? sicut *Ahalim*, quæ נט
plantavit Jehova, & sicut Cedri super aquas
ubi elegans Paronomasia, inter *Ohalim* & *Ah*
lim. Verbum *Nata* propriè significat plantare
etsi ad alia transfertur, per Metaphoram. A
bores à DEO plantatæ dicuntur, ut Arbores D
præstantissimæ: quas nullâ humanâ industri
DEI manus excitavit, aluit, educavit. Confir
matur ex Cant. 4. 13. ubi post *arbores thuris &*
Myrrha, recensentur *Ahaloth*. Eaque, cum ali
aro-

romatiferis in Salomoniis Hortis crevisse, in-
icatur. *Usus* fuit ad unguenta, ac odoramen-
i, quibus vestes & lectuli adspergebantur. Ps.
5. 9. Prov. 7. 17. Quibus locis quoque appa-
et, nihil *inter Ahalim & Ahaloth* interesse. Nam
troque genere & arbores dicuntur, & ex ligno
onfecta odoramenta. Nisi fortè in sexu quasi
liqua fuit differentia. Sic *thus aliquod mascu-
um: sed religioni tributum, ne sexus alter usurpa-
tur*, aut fœmininum diceretur, Plinius l. 12.
ap. 14. Radix vocabuli est *Ahal*, tetendit, ex-
endit, ut tentoria solent Scenitarum Arabum.
unt autem arbores patulæ & opacæ nativæ sce-
æ. Et inde Arabicè *Aheli*, familia; sub eodem
entorio.

2. Hinc jam quæstio est; *Quid sint Ahalim?*
ebræi in Thargum, & Baal Aruch vocant, *Ak-
aloin*, quod est ex Græco *Xylaloë*. Nec aliam
oën intellexerunt LXX. & Vulgatus; aliique
terpp. & stat adeò pro hac interpretatione au-
oritas cum antiquitate. Sed *quid Xylaloë?* Pri-
us, ut notat Bauhinus, sic appellavit *Aëtius*. Sed
m olim Aloën dixerant LXX. & secutus sine
ubio Aëtius antiquiores; ex quorum scriptis
rofecit, ut docet Photius in Excerptis Cod. 221.
c autem appellavit quod aliàs *Agallochum*. Li-
num id esse arboris constat; incertum qualis:
egant ulli hominum visam; quod in Paradiso
lo crescat, & inde fragmenta fluminibus deve-
antur. Fabulæ argumentum ex Num. 27. &
ant. 4. ll. cit. petitum, manifestum est. Illud
men non negant docti, ramos fluminum inun-

dationibus raptos deferri Serapio *fructum ferre rotundum, piperis modò, & rubentem refert.* Garsias, *arborem oleæ instar esse, interdum majorem: è Malaccâ ramos cum foliis sibi allatos: fructum aut florem videre non contigisse, & difficulter observari posse, frequenter isthic grassantibus Tigribus: recens dissectum lignum nullâ odoris fragrantiâ gratum esse: siccatum odoratum fieri.* De Tigribus æque puto fabulam esse, ac de Paradiso. Invidia & avaritia hominum talia commenta est multa, ut aliàs quoque audiemus, ut bona sua celarent, & augerent pretia. Ex Indiâ hodiè solâ affertur, optimum ac sincerum, ex Sumatrâ & Malaccâ: Olim quoque *ex Arabiâ*, ut Dioscorides meminit l. 1. c. 21. Viderat olim Bileam è Mesopotamiâ oriundus, non tantùm in Patriâ, sed etiam in Moabitidis confiniis, ubi tunc versabatur, Num, 22. 1. ac credibile est, ex nominis etymo; Arabes illos sub gratâ ejus umbrâ tentoria sua figere consuevisse. Nam sub arboribus & olim & nunc gaudent habitare, frigusq; captare & auram. Inde ergò ad unguenta petebatur lignum eo tempore, arborq; ipsa, cum aliis exoticis, in Paradisos & Aromaticos hortos Salomonis translata est. Hodiè vel divinâ maledictione, vel neglectu culturæ defecit, ut de Cedris Libani dicebam in Arboreto. Illud ad rem est, quod notat Scaliger: *Quod Agallochum præstantissimum habetur, non est necesse ad suffitus adoleri flammis: solâ præsentiâ cubile, aut cœnaculum, quantum quantum sit, odore compleri*, Exerc. 142. Sect. 6. Adde Pinedam de Reb. Salom. l. 5. cap. 4. Sect. 9. satis *de Ahalim.*

3. Alo

3. Aloë verò vulgaris usus & notitiæ est. Studiosis catapotia non infrequentia, & salutaria. Nam, ut rectè Celsus l. 1. de Re Medicâ, c. 2. *Imbecilli Stomacho omnes penè literarum cupidi sunt.* *Namq;* ut Idem in Prologo, *Literarum disciplina, ut animo præcipuè omnium necessaria, sic corpori inimica est.* Itaq; *dejectio alvi crebrâ ductione molienda est, & omnibus catharticis miscenda aloë: quia medicamenta stomachum ferè lædunt,* Idem, vide Atrium meum, cap. 81. Nota hæc vis aloës etiam gulonibus. Qualem nobis describit Parthenium Gregor. Turonensis l. 3. Hist. c. 36. *Fuit,* inquit, *in cibis valdè vorax: sed quæ sumebat, quo celerius ad manducandum commoveretur, sumpto aloë velociter digerebat: sed & strepitus ventris, absq; ullâ auditorum reverentiâ, in publico emittebat.*

4. *Nomen* Græcum ἀλόη, Latini, Germaniq́ue retinuerunt, ut & Thalmudici, *Aloin* dicentes: Syriacum tamen origine esse conjicio, ex Patria plantæ. Chaldæus Interpres, Job. 9. 30. *Saponem,* quo manus mundantur, & vestes, אהלא *Ahala* vocat. Arabes tamen, Persæ, & Turci hodiè aloën nominant *Cebar*, ut notat Garsias l. 1. c. 2. *Chabbura*, plaga, vel ulcus est sanie tumens, tumex: *Kebura*, sepultura. Ad utrumq; aloës usus est. *De Patriâ* Galenus l. 6. simplicium: *Quæ in magnâ Syriâ nascitur, aquosior est, & facultatis imbecillioris; ita tamen desiccat, ut vulnera conglutinet. In regionibus calidioribus, ut Cœlesyriâ & Arabiâ, multò est melior; Optima Indica* &c. Hæc est, quam *Socotorinam* dicimus, à *Socotorâ*, maris Æthiopici, non

procul à sinu Arabico, Insulâ, ubi copiosissimus & laudatissimus proventus, succusq; ille per totam insulam passim extrahitur, & inde per universam Europam defertur. Nam *quæ in Asiâ nascitur, succi parum idonea est: nec eâ utuntur nisi ad vulnera recentibus foliis*, Dioscorid. & Plin. *Forma* plantæ nulli incognita; nam ut plurimis Italiæ locis in fictilibus vasis, spectaculi caussâ, alitur, ut apud Matthiolum l. 3. cap. 22. Sic & in hortis nostris visitur, etiam florigera aliquando. *Usus* succi extracti in multis, sed *principalis alvum solvere, cùm penè sola medicamentorum, quæ id præstant, confirmet etiam stomachum, adeò non infestet ullâ vi contrariâ. Efficacior si potâ eâ sumatur cibus. Et si difficiliùs concoquantur cibi, bibitur à cœnâ modico intervallo. Devorantur & pillulæ*, &c. Hæc Plinius l. 27. cap. 4. Probat Garsias loc. cit. hanc sumendi rationem, eamq; sequi ait Medicos Orientales. Vide apud eundem plura. Inter alia, ut Mesves auctor est, *additâ myrrhâ, à putredine vindicat, non modò viventium, sed & defunctorum corpora.*

5. De hoc usu locus est Joh. 19. v. 39. ubi duo quæsitu digna: 1. *Quale illud μίγμα fuerit*, quod ad sepulturam Domini attulit Nicodemus? 2. *Quo fine allatum fuerit*? De 1. *Quale*? Resp. σμύρνης ἢ ἀλόης. De Myrrhâ suo loco. De Aloë disputat Salmasius, non fuisse succum illum Catharticum, de quo modò; sed pulverem arboris aromaticæ istius, de quâ priùs. De utraque Aloë Isidorus: de illâ in herbis; *Aloë, herba amarissimi succi*: de hac inter arbores: *Aloa in Indiâ atq; Arabiâ gignitur*,

ur, *arbor odoris suavissimi, atq; summi: deniq; li-num ipsius vice thymiamatum adoletur altaribus, nde & nomen traxisse videtur.* Ridiculè si ab lendo, adolendo. Ac communis quidem inter-pretum sententia est, de succo herbæ hîc agi. Nonnus contrà de aromaticâ accepit. Huic fa-et Salmasius; sed argumenta, quæ affert, non videntur rem conficere. *Sola,* inquit, *unguenta & aromata ad unctionem & pollincturam cada-verum adhibita, nec ullum locum fuisse medica-mini, qualis Aloë vulgaris & Medica.* Atqui Aë-tius, quem adducit ipse, lib.6. Νεκρῶ σμύρνιον his notat speciebus constitisse; *Aloë, Myrrhâ, Gummi, Sarcocollâ, Acaciâ, Opobalsamo.* At Sarcocolla, Acaciæ succus, ipsumque gummi, medicamina sunt, qualis Aloë vulgaris, ejusdemque faculta-tis & usus in Medicinâ: *exsiccatoria* quippe & *emplastica.* Cætera argumenta momenti minus habent. Alia atque alia unctui mortuorum aut pollinctui adhibita olim, sive more Gentium, sive pro copiâ, aut dignitate. Quâ de re multa Kirchmann. de Funerib. l.1. cap.7. & 8 & Spon-danus in S. Cœmeter. l. 1. p. 3. cap. 3. Varia quo-que in Ægypto condiendorum corporum ratio fuit, ut docet Bellonius l. 2. c. 47. de Mumiâ. In Judæâ ditiores & qui dignitate præstabant, myr-rhâ & aloë mixtis condiebantur: nec μίγμα hoc parcè adhibitum, sed magnificè ut corpora cla-rorum in eo quasi natarent, aut tota obduceren-tur; quomodo apud Assyrios *melle perfundeban-tur:* apud Persas *cerâ circumlinebantur:* apud Æ-thiopes *Gypso inducebantur.* Sic *beatuli* apud Ro-

manos *crassis lutati amomis*, obliti & inducti, apud Persium Satyr.3. *lutati* Satyricè dixit. Nam hoc ad summam ignominiam spectabat: sic *statuarum tituli lutati* de more, ut Lampridius in Heliogabalo. Ad similem ignominiam pertinebat, quod C. Cæsar Vespasianum tùm Ædilem jussit *oppleri luto*, Sueton. cap. 5. in Vespas. &c. Et hoc puto est, quod posteriores Latini dixerunt, *corpora aromatum constrictione solidata*, vide l. c. Spondanum;

... quæ tumulis bene condita, saxa reservant,
Aut Arabum solidans pulvis, odorq; tenet,

ut canit Orientius. Magis hoc clarescet, si intellexerimus, quem in usum allatum fuerit hoc μίγμα, Hoc est II. quod quærebamus. Respondet autem S. Johannes; *corpus Domini*, curatores funeris ejus, *accepisse, & ligâsse cum aromatibus*, his ipsis, Myrrhâ & aloë, quæ & ipsa in aromatum censum refertur per catachresin non usitatam: quanquam & alia affuisse, nescio an negandum sit? ligatio verò fiebat ὀθονίοις, *fasciis* ex Sindone scissâ factis, ad eum ferè modum, quo infantes ligari solent; ita enim solebant Judæi, ut & Græci, ἐνταφιάζειν. Non igitur simpliciter unxerunt aut obiter; sed totum corpus, manus, pedesque unguento hoc spissiore circumlitum, & obductum, fasciis constrinxerunt. Hoc totum est περιστέλλειν, quod Latini dicunt *pollingere*: vide hæc apud Walæum ex Casaubono ad Luc. 23. vers. 53. & aliis, ad Joh. 19. loc. cit. adde Casaubon. in Persij Satyr. 3. loc. cit. Et hinc, puto, apparet, cur *Myrrha addita fuerit aloë?* non tantùm,

tùm, ut corpora à putredine tueretur; sed etiam ut spissamentum esset unguenti, & glutinum quasi, quo corpori adhæresceret: quâ de caussâ gummi quoque & sarcocollæ ferè duplum, addi solebat cæteris aromatibus & unguentis. Alia longè *ratio* fuit *Ægyptiorum* in curandis funeribus per *Paraschistas & Taricheutas*, quam accuratè describit Herodotus & Diodorus Siculus, & ex iis nuper Gerardus von Stöcken / Centur. 1. Amœnit. Histor. cap. 50. *An ad istum morem Ægyptii* ἐνταφιασταὶ, sivè *Medici, curarint corpus Jacobi*, Genes. 50. 2. ut, secto latere per Paraschistas, exempta fuerint intestina, locusque postea aromatibus fuerit repletus? Quæ ratio habitu fuit sumptuosissima: non expedio. Credo Judæos hanc incisionem religione quadam aversatos: Nam & apud Ægyptios Paraschistes, ut exsecrabilis, lapidibus petebatur; & integra suorum corpora condiebant, condebantque Judæi. Quare aliâ ratione usi videntur isti Medici, ut interanea eduxerint, corpore integro; fortè *per clysterem alvo infusâ cedriâ*, qua de ratione Herodotus & citati modò. Addo unum & quidem III. alium fuisse *usum aromatum & unguentorum in Combustione exequiali*, quæ celebrari solebat Judæis in Regum funeribus, ut 2. Paralipom. 16 14. & cap. 21. 19. Jerem. 34. v. 5. ubi multa de Ritu sepulturæ Regiæ. Summa est: 1. *Regum cadavera non fuisse cremata, sed Regum majorum suorum illata sepulchro*, Cryptæ scilicet subterraneæ; & quidem *in lectulo suo aptè composita*, multis unguentis ac odoramentis referto; ad eum

modum, quo *Phœnix* credebatur *in nidulo suo emori*, & à sole comburi, quo allusit Arabiæ Rex Jobus cap. 29. 18. de quo dixi S. Analect. Volum. I. Aromaticum hoc sepulchrum Phœnicis describit Auctor carminis, Lactantio vulgò tributi. 2. *Supra sepulchrum posteà incendebantur odores* : ut in Rogis alibi cum cadaveribus. Ea fuit *hominum etiam in morte luxuria, ut quæ Diis intellexerat genita, adhiberet urendis defunctis. Periti rerum asseverabant Arabiam non ferre tantum annuo proventu, quantum Nero novissima Poppeæ suæ die concremaverit*, &c. Plinius l. 12. cap. 18. De quo more plura Kirchmann. & Spondanus cit. Deniq; 3. *Honore tamen isto privabantur indigni Reges*, damnatiq; publico judicio: quod more non absimili in defunctos Reges exercebant Ægyptii apud Diodorum Siculum, lib. 2. &c. Plura fortè de Myrrhâ deinceps.

CAP. III.

De Bdolàch, Bdellio.

1. GEnes. 2. v. 11. 12. Describitur terra *Chavilah*, quam Pison flumen circumeat, *quod aurum ferat optimum, & Bdolàch, & lapidem Onychem*. LXX. habent: ἐκεῖ ἐστιν ὁ ἄνθραξ & lapis ὁ πράσινος: Latini, *Bdellium*, ut & D. Lutherus. Sic Num. 11. 7. *Man erat sicut semen* Gad. *coriandri, & oculus ejus, sicut oculus Bdolach*. LXX. τὸ εἶδος αὐτοῦ ὡς εἶδος κρυστάλλου. Vulgat. *Erat man quasi semen coriandri, coloris bdellii*, &c.

Chal.

Chaldæus vocabulum Hebraicum retinet. Quæritur; *Quid sit?* Hebræi gemmam, aut pretiosum unionem interpretantur, coloris candidissimi, margaritam, cryſtallum, adamantem, *Gemmam* non eſſe, ex eo probat Marinus, quod ab *Eben* lapide pretioſo apertè diſtinguatur, Geneſ. 2. loc. cit. Quare ipſe conjecit *ebenum* ſic dici, coloris buxei formis. Rationem conjecturæ non addit. *Margaritam* eſſe putat etiam Schindlerus, de quo Benjamin Tudeleſ. in Itiner. *In Catipha reperitur bdellium. Et in XXIV. menſis Niſan ros quidam in aquas decidit, quem collectum incolæ involvunt, ac concluſum in mare conjiciunt, ſuâ ſponte demergendum ad fundum usq; maris. Medio autem menſe Tiſri, duo homines funibus in mare ad fundum usq; demiſſi, reptilia quædam collecta in auras deferunt, è quibus ſciſſis & ruptis lapides illi proferuntur.* Sic ille indoctè margaritarum genituram deſcribit, de quâ ſuo loco. Præmittunt, qui ſic ſentiunt, Manna coloris pellucidi & candidi fuiſſe: inde inferunt, bdellium eſſe margaritam. Facit fortè ad rem aliquid, quod radix *Badàl* ſignificet, *ſeparavit*, diſtinxit. At, ut Marbodeus, de Gemmis cap. 61.

Tollitur è conchis ſpecies memoranda marinis,
Unio, dictus ab hoc, quod ab una naſcitur unus;
Nec duo vel plura unquam ſimul inveniuntur,
&c.

Verùm neque certum eſt manna perlucidum & candidi coloris fuiſſe: neque conſequens, ut ideò bdellium ſit unio. Sed & Chavila regio, quam Piſon totam circumfluit, India Orientalis non eſt,

ad

ad mare margaritiferum: nisi hoc intelligas *Sinum Persicum*, ubi celeberrima ista margaritarum piscatio, vide Stukium in Periplum Maris Erythr. Ariani pag. 57. Plin. l. 6. cap. 25. & l. 9. cap. 35. Denique Bdellium non ait Moses in flumine Pison, aut in mari, in quod ille se exonerat, sed in terrâ reperiri: vide Hopkinsonum de Paradiso.

2. Potior itaq; sententia Vulgati Interpretis. Est autem *Bdellium lacryma arboris Arabicæ, aut Saracenicæ*, ut apud Dioscoridem aliter & aliter legitur. *Nominatissimum tamen in Bactriana: nascitur etiam in Media & Babylone. Arbor nigra est, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici, naturaq́. Gummi alii brochon, aut bolchon*, fortè bdolchon, *alii molachram, alii maldacon vocant*: quæ nomina corrupta sunt: Arabes *Molachil*, aut *Molachal* dicere, ajunt, ut Dalechamp. &c. *Esse autem debet translucidum, simile ceræ, potiùs*, ut apud Dioscoridem, *taurino glutini, odoratum, & cum fricatur pingue, gustu amarum citra acorem. Bactriano nidor siccus, multiq́ candidi ungues*: pro quibus verbis est apud Dioscoridem, εὐώδες, &c. ἐοικὸς ὄνυχι, de quo disputant Medici, vide apud Matthiol. l. 1. cap. 69. cætera ex Plinii l. 12. cap. 9. descripsi. Arrianus in Periplo maris Erythræi *in Arabia quadam regione* τὴν ἤπειρον οὐδὲν ἕτερον φέρειν, ait: βδέλλαν autem vocat, *& cum costo, nardo, lycioq́* ferè conjungit, atque à gemmis distinguit. *Fuisse inter præcipuas merces Arabicas* indicat, de eâ plura in Scholiis doctissimis ibid. Stukius pag. 38. Plura Matthiolus & Clusius

fius in Annotat. ad Garfiam de Aromat. l. 1. c. 8. Incertum tamen quid hodiè fit? & an legitimum ad nos exportetur? Quanquam non defint, qui illud effe putent, quod *Anime* appellatur, defcriptum à Monarde de Simpl. Medicam. *Lacrymam effe arboris, candidam, lucidamq;, thuris granis fimilem, fed craffioribus, afferriq; fragmenta transparentia majora, ut quidam fuccini fpeciem effe fufpicati fint.* Olim Judæis notiffimum, ufitatiffimumq; fuiffe oportet, etfi poft Mofen nulla ejus fiat mentio.

3. Ut magis de Bdellio, quale fuerit? conftet, *de Manna* pauca addam. Confentiunt autem doctiffimi Interpp. ἀερόμελι effe, quod *rorem Syriacum* appellet Cornelius Celfus. Id autem *mel aërium* duplex eft, *liquidum* & *concretum*, quod tamen fole confpecto facilè liquefcit. Liquidum Arabes *tenerjabin* vocant. *Concreto Libani montis accolæ etiam hodie pro cibo utuntur, citra ullam alvi dejectionem. Ejusdem naturæ eft manna in multis Europæ locis, ac præcipuè in Polonia. Hæc affatim ad nos defertur, eaq; maximè gaudent Judæi, qui inde placentas conficiunt, quarum tamen efu nihilo laxiores habent alvos*, ita Ifaacus Voffius in Pompon. Melam. l. 3. cap. 7. Jofephus quoq; fuo ævo frequens manna teftatur cœlo cadere folitum in eâ ipsâ folitudine Arabiæ, in quâ peregrinati Ifraëlitæ, l. 3. Ant. cap. 1. Dixi plura ex Curtio & Galeno l. 3. Acerræ Philolog. *Formâ* fuit illud *parvum, rotundumq;* fimile grano Coriandri: *Colore album*, fimile pruinæ, & bdellio transparenti, Exod. 16. v. 14. 31. Putant ta-

men

men subflavescens fuisse, qualis color in succino est, & puto, in bdellio fuit. De Polonico Cornel. à Lap. ad Exod. cap. 16. *Vidi*, inquit, *grana, suntq; instar milii, sed longiora & rubicunda, pultesq; inde confectas gustavi: sapor est, qualis pultis ex panico.* Scilicet, quia manna nihil est aliud quàm ros melleus concretus, ortus ex terræ aquæque habitu, ex nocturno frigore coacto & densato; pro terræ, aërisque & cœli statu; alias atq; alias recipit qualitates. Hæc pluribus Franc. Vallesius, Levinus Lemnius, Connimbricenses, Bonfrerius in Exod. & alii.

CAP. IV.

De Loth, Necoth, & Zeri,

Genes. 37. 24.

1. ISmaëlitici Mercatores è Gileaditide ferunt *Necoth, Zori, Loth*, in Ægyptum; LXX. habent, θυμιάματα, pro quibus σύραχα posuit Aquila, ῥητίνην & στακτήν. Vulgatus: *Aromata, resinam, & stacten.* Vatablus: *Opobalsamum, ceram, & lacrymam myrrhæ.* Tremellius: *Myxaria, opobalsamum, & ladanum:* ubi Fr. Junius in Notis: *Myxaria* Arabibus dicuntur *Nuketa*, teste Æginetâ, Aëtio, Psello, & Actuario, voce proximè ad Hebraicum *Necoth* accedente: *Opobalsamum* cum R. David Kimhi interpretati sumus: *Ledum* verò vel *Ladanum*, Onkelon Chaldæum & Arabes secuti: nam quod Hebræi *Loth* vocant, Chaldæus *Letum*, Arabes *Laten* vel *Laden* nominant. D. Lutherus:

:herus: Würtz/ Balsam und Myrrhen. Ut, si ieri potest, ad liquidum perveniamus, singula :xaminabimus.

2. Loth semel adhuc legitur, Genes. 43. 10. ıbi Jacobus filios in Ægyptum profecturos jubet nunus secum ferre, aliquid de optimis Terræ Canaan fructibus; inter alia hæc Tria, de quibus hîc igimus. Ubi LXX. pro *Loth* iterum habent *Stacten*, ut & Vulgatus: pro *Zori*, utrique *resinam*; oro *Necoth* illi θυμίαμα, hic *Storacem*. Lexicographi magis intricant: alii *Mastichen* interpretantur, alii etiam *Castaneam*, argumento radicis. Nam *Luth*, & *Laath* significant, *operuit*, *abscondit*, *involvit*: undè λανθάνω, & lateo. Hinc concludunt, Loth esse aliquid involucro tectum, fructum terræ: à pistaciis tamen & amygdalis distinctum, ut Genes. 43. l. cit. ubi post Loth statim ponuntur istæ nuces. Quæ ratio magnam habet verisimilitudinem. Accedit quod neque stacte, neq; ladanum, neq; mastiche, inter opes terræ Canaan proprias videantur recenseri posse. At enimverò Loth Gen. 37. l. cit. inter ea refertur, quæ non è Canaanæâ, sed à Nabathæis aut Sabæis per Gileaditidem delata, inde in Ægyptum deportabantur. Quidquid tamen sit; Jacobus, posteriore hoc loco, indicat non minùs *Noth*, *Necoth*, *&* *Zori*, inter decantata Canaanitidis bona fuisse, quàm *mel*, *&* *pistacia*, *&* *amygdalas*. Denique nec apud Interpp. quicquam certi invenio. Suum cuiq; pulchrum, & sequuntur celebriores quiq; antiquos LXX. ac Vulgatum, auctoritate moti, ratione nullâ.

3. Quid

3. Quid ergò? *An* 1. *Stacte Loth est?* Vereor, ne obscurum explicetur per æquè obscurum. Nam & de Stacte non minor controversia est. Vocabulum Græcum ἀπὸ τοῦ ϛάζειν, *stillatitium liquorem* significat: Et κατ' ἐξοχὴν, *Myrrha*, ut suo loco audiemus. De Myrrhâ stillatitiâ dubito, an Loth dicta fuerit? habet enim ea stacte alia propria, etiam apud Mosen, nomina. *An ergò* 2. *Ladanum?* nam & hoc stacte est, & quidem fruticis, quem Ledon sivè Gistum vocant; teneriores ramulos ita tegens & quasi incrustans liquore suo odorato ac transparente, ut procul etiam conspici, odorque percipi possit. Hoc itaque Loth dici poterit, ab involvendo: sivè quod ramulos ita involvat; sivè quod caprarum, hircorumque cistum depascentium, barbis & villosis cruribus; unde depexum in offulas cogitur, ut est apud Dioscoridem l. 1. cap. 110. Plura de hoc Plinius l. 12. cap. 17. & hæc inprimis ad rem: *Ideò in Ladano caprarum pilos esse: Sed hoc*, hunc colligendi morem, *non alibi fieri, quàm in Nabathæis, qui sunt ex Arabia contermini Syriæ*. Non puto quicquam dici posse, quod magis nostris locis conveniat. Sit ergò *Loth stacte*; sed non illa, quæ per excellentiam hoc nomen meruit, Myrrhæ puto, liberè stillatitia: verùm involuta caprarum pilis, aut cisti ramos involvens, *Ladanum* dicta. Nasci autem Cistum & Ledon in montanis circa Hierusalem quoque testis est Bellonius l. 2. Observat. cap. 81. Adeò omnia conveniunt. In Hispania hodiè Ledi varias species reperiri refert Clusius, & describit l. 1. Hispan. Stirp. cap.

ap. 36. Quærant tamen 3. Docti, quoniam Loth ucibus annumerari docuimus, & pro Castaneâ aberi, *annon potiùs Balanus myrepsica sit?* Glans st unguentaria dicta, & *Myrobalanon*, nascens nguento, magnitudine avellanæ nucis è nucleo, dendo inutili, exprimitur *oleum balaninum*, meicinis celebre, & vel ideò nobile, quod veteraens non fiat rancidum. Latet fructus involucro liquarum tectus. Arbor ipsa frequens Arabiæ, t in Palæstinâ quoq; nascens, ut docet Bellonius 2. cit. cap. 61. & 78. &c. Plura Plinius l. 12. c. 21. ad Dioscorid. l. 4. cap. 154. Matthiolus. Sanè, t *Letham* Thalmudicè dicitur Loth, sic Rabbiis *Lothan, glans* dicitur apud Schindler. Dixi *de oth* quæ occurrebant.

λ. Necoth præter duo jam citata loco legiur aliis duobus, sed parùm immutatum, ut in Iniculo monui cap. 1. num. 9. Videlicet 2. Reg. 20. t Esa. 39. ubi Hiskias Regis Babyloniæ Legatis icitur ostendisse את־בית נכתה *eth-Beth necoho*, ubi LXX. habent, τὸν οἶκον τοῦ νεχωθά, retento vocabulo Hebræo. Symachus: τῶν ἀρωμάτων, equutus hunc Vulgatus: *Domum*, aut *cellam romatum*. Tremellius: *Gazophylacium*, ut & D. Lutherus: das Schatz-Hauß; alii, *domum desierabilium*, rei suæ pretiosæ, &c. *Omnia collectanea aromatum vocantur Necoth*, ait R. Salonon. vide Buxtorff. Lexic. Hebr. Chaldæus tanen pro eo posuit שִׁיף *Scheaph*, quod ajunt *ceam* significare, aut idem quod *Scheiph*, id est, *pobalsamum*. De Myxariis dixi in Arboreto. Nec lla apparet ratio, quâ investigari possit, quid

propriè significet hoc vocabulum? Nisi fort *à Caàh*, aut *Cathàth* derivârint veteres, qui *th miamata* interpretati sunt; nam istæ radices si gnificant *contundere, conterere*: ut intelligamu sic dici, *pulveres aromaticos contusos*. Reposuiss Reges inter pretiosissima *aromata exotica*, jan dixi cap. 1. Romanis etiam morem hunc fuisse abusus & profusio indicat. *Adrianus*, apud Spar tianum, *Romæ, post cæteras immensissimas volupta tes, in honorem socrus suæ, aromatica populo dona vit. In honorem Trajani balsama & crocum pe gradus theatri fluere jussit*, &c.

5. Superest Zeri, quod & Zori legitur, & quidem præter loca Genes. 37. & 43. citata, te apud Jeremiam, cap. 8. 22. *Nunquid* Zori *nonn in Gilead?* LXX. ῥητίνη, Vulg. *Resina*, alii *Opoba samum*, D. Lutherus, Salbe. Sic cap. 46. 11 *Accipe resinam, frustrà multiplicas medicamin* Et cap. 51. 8. *Resinam adhibete dolori ejus, si fort sanetur*. Et Ezech. 27. 17. *Judæa & Israël Oleu & Zori, resinam*, Oel und Mastich / D. Luth. *at tulerunt in mercatum Tyri*. Ex quibus certu est, *Zeri* aliquid resinosum esse, ad medicament vulneraria, emplastica, utile: cujus in Palæsti nâ, Judæâ, & inprimis Gileaditide, quæ Nab thæos Arabes respicit, magna fuerit copia. Rab bini *Theriacam* interpretantur, Genes. 37. 25 alii *Opobalsamum*: R. Salomo scribit idem es quod *Natàph*, quod propriè *guttam, stillam, st ctten*, significat. In Targumin *Zeri, Natàph*, & *Ketàph*, pro Synonymis habentur: Est autem קטף *Ketàph*, resina vel gummi quoddam, quo

aveh

vellitur, *decerpitur*, *vindemiatur*. Fortè ra-
nulis sic arctè *adhærens*, ut colligi nequeat, nisi
li defringantur. Sic *Laccam* colligi testis est
arsias lib. 1. Aromat. cap. 8. *Lycium* fit ex-
ahi, ramis minutim concisis, & elixatis, Idem
ap. 10.

6. Equidem, cùm omnia curatiùs expendo,
i eam venio sententiam; his tribus vocabulis,
on species, sed genera diversa aromatum indi-
ari: & quidem cruda adhuc ferè, nec dùm arte
lyrepsicâ purgata ac præparata; qualia aroma-
riis ac unguentariis, ab Arabiæ & Palæstinæ in-
lis collecta, vendi solebant. Quare ut *præpa-
ta* distinximus in *Bessamim*, liquida ex quibus
ixtis unguenta varia conficiuntur; & *Sammim*,
ida ex quibus contusis fiunt pulveres & thy-
iamata; ita puto *nondum parata* liquida vel
oth esse, vel *Zeri*: arida verò *Necoth* dici. Sunt
item *Loth* dicta, quæ ita destillant, ut vel im-
iro aliquo adhærente *involvantur*, è quo ta-
en, sine arte, solâ diligentiâ explicari possint;
l statim à mercatoribus *involvi* debeant, ne
agrantia evanescat; qualia sunt Stacte, Lada-
imque inprimis, ut dixi: *Zeri* quæ & *Ketàph*,
adhærendo, & *decerpendo*, quæ sine Myrepsicâ
trahi nequeunt; quales sunt resinæ ferè, o-
niaque olea & unguenta factitia: *Necoth* verò
ida, quæ *contundenda & comminuenda* sunt.
De singulis deinceps plura dicenda erunt.

Hac ratione Interpp. facilè
conciliantur.

CAP. V.

Species & unguentum Sacrum, Mo
Kinnemon, Kane, Kidda, Exod. 30.23.

1. EX quibus confici debuerit hoc unguen-
tum? suprà dictum est cap. 1. Inter e
Mor, *Myrrham* esse constat, de quâ in Passion
meo olim *de Fasciculo Myrrhæ* pleraque expos
Nomen habet origine Hebræum, à *Marar*, am
rus fuit: unde *Meròr*, Mœror, tristitia, quasi am
ritudo animi: & occasio fabulæ, de Filia Re
Cinyræ, ex mœrore pœnitentiæ, in hanc ar
rem mutatâ: Ovid. 10.

Quæ quanquam amisit veteres cum corpore se
sus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore gut

Est autem Myrrha *lacryma arboris*, nondùm la
exploratæ. Theophrastus l.9. cap.4. Hist. Pl
refert: *Thuris arbore minorem, humilioremq; e*
folio aculeato, ulmeo simili; caudice duro, cont
toq; juxta terram, ac surâ hominis crassiori &
Alios tamen terebintho similem tradere. Dios
rides l. 1. cap.67. *Ægyptiæ spinæ*, sivè Acaciæ,
esse similem, è cujus vulnere defluat lacryma
subjectas tegetes: eam verò quæ circùm caudic
concrescit esse meliorem. Plinius l. 12. cap. 15. S
tivam provenire, multùm silvestri prælatam: al
tudinem ad quinq; cubita esse, nec sine spinâ: fol
olivæ, verùm crispius & aculeatum: Juba
atri, inquit, *alii Junipero similem dixerunt*, &
Ex recentioribus Garsias l. 1. Arom. cap. 6. *P*
rin

ima, ex Arabiâ, ad nos affertur myrrha, quæ Indis Bola dicitur, (ut olim Ægyptiis, vide Passionale neum citat. ex Plutarcho de Iside) *tùm etiam ex egione Abexim, quæ Æthiopia est. Qualis verò t arbor, quæ eam profert, aut quâ ratione resina liciatur, nunquam scire potui.* Bellonius l. 2. Observat, c. 80. Circa Ramam, non procul ab Hierusalem, refert *Acaciæ quoddam genus copiosè provenire, aliumq; fruticem spinosum : quem*, inquit, *veteribus haud quaquam descriptum fuisse arbitramur : Suspicamur tamen Myrrhæ arborem isse ; contorto est caudice, denso, horrentibusq; inis obsito, foliaq; habet Acaciæ similia, sed paullò ajora.* Species varias, bonitate & pretio differentes describunt Dioscorides & Plinius : Differunt etiam locis, ubi proveniunt : quas inter *Troodytica* primas habet, quæ hodiè Abyssina ; secundas *Arabica & Sabæa*, in quâ regione *montem* scribit Theophrastus, partim *thuriferum*, partim *myrrhiferum*. Et Plinius dixit : *Myrrham ac us in iisdem silvis premixtâ arbore nasci*, l. cit. heoprastus ad duo summa quasi genera reducit : *Stacten* & *Plasten*. Arrianus ex Emporio rabico *Muza* ait exportari ἐντόπια, inter alia ύῤῥαν ἐκλεκτὴν, καὶ στακτὴν Ἀβειρμιναίαν. In quem cum hæc notat Stukius : Στακτὴ εἶδος σμύρνης ττότατον, Dioscorid. l. 1. cap. 64. *Pinguedo est rentis Myrrhæ, cum exiguâ aquâ tusæ, ac posteà elo expressæ : quæ hodiè omnium sententiâ, Sepionem imitantium, est Storax liquida vulgò di: quâ odoratissimâ, pretiosissimaq; ad paranda na odorifera, & suffitus passim unguentarii*

 utun-

utuntur. Sic Plinius : *Sudant, myrrhæ arbori sponte priusquam incidantur, Stacten dictam, cu nulla præfertur. Hanc nonnulli volunt esse Zor &c.* Pro *Abirminaâ* putat legendum esse *Smyr naam*, vel *Aminaam*. Sed de *Styracis* arbore jam in Arboreto dixi, & de Myrrhâ, *Ober Mina* dictâ mox ex S. Literis audiemus. De Usu Myr rhæ satis actum est in Passionali, nec libet repe tere, vide Plin. Dioscorid. & in eum Matthiolum Hæc, quoniam nostro proposito inserviunt, ai notâsse sufficiat.

2. Mor undecim vicibus legi, notat Marinu in S. Literis. Epitheta differentiam indicant. Di citur enim â Mose Exod. 30. h. l. *Mor - Deror myrrha libertatis*, quæ vel sponte fluat, vel a adulterio & corruptione sit pura & immun *Mera Dakja*, Chald. id est, pura, incorrupt Thalmudici tamen quidam *Muscum* interpretar tur ; quod ex animali liberè currenti optimu colligatur ; Captum enim parum & minus od rum præbere. Rabini *Musack*, Arabes *Mos* vocant, â מסך *Masach*, miscuit : *Animal M schi* esse capram silvestrem ajunt. Vide Scalige Exercit. 21. & 211. ubi etiam de *Cato Zibeth* Cantic. 5. v. 5. & 14. legitur *Mor Ober, myrr transiens*, quam *digito & labia stillare* dicuntu ubi LXX. habent σμύρναν πλήρη, *plenam*, ut ap Ambros. Symmachus, πρωτείαν, *Aquila*, ἐπιλεκ Sirach. cap. 24. v. 20. Ἐκλεκτὴν, quæ dat εὐωδί latè transeuntem. Vulgatus : *Probatissimam primam* : sicut *argentum transiens* dicitur, qu pr

robatum est, per manus hominum transiens, ut und gangbar / Vatablus: Vel, *quæ labitur* in- ɛr digitos, Idem: *Myrrhinum liquidum*, Tre- ıell. fliessende Myrrhen / D. Lutherus. Credo oc simplicissimè: nam ex Myrrha fiebat *Sche- ıen Hammor*, oleum myrrhinum, de quo Es- ıer 2. & suprà cap. 1. num. 7. Ipsa per se sic- ior est, ut in pulverem redigi possit. Hinc --- *ulvis Arabum corpora solidans*, exsiccando, ut x Oriente audivimus, cap. 2. num. 5. & de Do- is Magorum Natalitiis Prudentius, Hymno de piphan.

Regem, Deumq; annuntiant
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi: ac myrrheus
pulvis sepulchrum prædocet.

lem in Hymno Exeq. Defunct. de sepulturæ hristianæ ritu:

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est:
Adspersaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

t hæc est ipsa Arriani *Stacte Aberminæa*, myr- ıa scilicet liquida, fluens, Minæa de quâ Plinius 12. cap. 16. à regione Minæorum in Arabiâ Fe- ce. Et jam video Clariss. Bocharto idem ferè lacuisse, qui addit: eandem Myrrham apud ioscoridem dici *Gabiream*, ut litera *Ajin* for- ùs aspirata legatur velut G. Significare autem oc epitheton, *lacrymantem*. Denique ut Ar- anus *Myrrham electam à stacte* fluente *Minæâ* istinguit, sic Siracides loc. cit. cap. 24. 20. &

O 4 aliis

alii: quoniam *Stacte*, non est ipsa Myrrha, sed liquor ex eâ expressus, ut apud Dioscorid. Sed de Stacte iterum deinceps, confer Bochart. Phaleg. l. 2. cap. 22.

3. *De Patriâ* Myrrhæ jam diximus. Præstantissima *in Troglodytide* nascebatur, unde & *Sabæi petebant transitu maris*, sinus Arabici, Plin. l. c. huic tamen par, aut proxima Sabæa, Minæa. In hac regione *mons* ille fuit, *consitus Thuris & Myrrhæ arboribus*, de quo plura Theophrastus. Ad eum montem celeberrimum allusisse videtur Regum Sapientissimus: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, Cantic. 4. 6. & verisimile, ad instar illius Sabæi, in hortis suis aromaticis sibi propè Hierusalem similem plantavisse, vide Cantic. 6. 1. & 8. vers. ult. Ad montem myrrhæ autem accessit Sponsus animarum nostrarum patiendo, ad collem thuris resurgendo: *ut per myrrham mortem significet; per thus verò divinam naturam*, ita Theodoretus. Meliùs alii; qui *per myrrham* crucem & mortem, *per thus* preces accipiunt: utrumque in Passione conjunxit Dominus, & ad utrumque sponsam invitat; Mixtim hæc crescunt, nec separari debent. --- *Raræ fumant felicibus aræ*. Sabæi justissimè inter se degunt, nec arbores suas custodire opus habent: fructus tamen thuris & myrrhæ in delubrum Solis deferunt, quod apud eos sanctissimum habetur; ibi ab armatis militibus custoditur, & mercatoribus venum datur, quod ex collecto thesauro præsentaneâ pecuniâ emunt: pretii tertia pars cedit DEO, *Theophrastus*.

stus. Nos omnem hunc censum mortificationis, pœnitentiæ, precum, soli nostro DEO offeramus, à Sexaginta armatis custodiendum, Cant. 3. 7. Matth. 6. 19. *An etiam Myrrha Palæstinæ indigena fuerit?* dubitatur, vide dicta num. 2. hoc capite. Silvestrem fuisse, ex Bellonii conjecturâ audivimus. Et testatur Plinius: *Arabes non dedisse ex Myrrhâ portiones Deo; invidiâ; quoniam & alibi nasceretur.*

4. *Usus* Myrrhæ fuit ad *unguenta;* sacrum hoc, & profana, ut dixi cap. 1. liquide scilicet: aridæ verò ad *suffimenta*, Cant. 3. 6. ad *odoramenta*, poma odorifera, Bisam-Kugeln / Bisam- oder Balsam-Knöpfflein / Büchselein / &c. utriusque ut puto: ut & ad ἐνταφιασμὸν, de quo cap. 1. cit. Sic *Vestes* Sponsi spirant *Myrrham, Aloën, & Casiam*, Psalm. 45. 9. Indicatur, *etiam carnem Domini divinâ gratiâ refertam fuisse*, Basilius in Scholiis. *Vestem vocat corpus ejus, Myrrham crucem & mortem, unde odor vitæ.* Theodoretus: Vel *vestimenta sunt sancti ejus, electi, & tota Ecclesia, quam sibi velut vestem exhibet sine rugâ & maculâ*, Augustinus: vel Verbum Evangelii & Sacramenta, &c. Huc pertinet *myrrha de liliis destinans ex labiis Sponsi*, Cant. 5. 13. *quia Christi passionem loquuntur*, Ambrosius de Virg. Instit. cap. 14. 1. Cor. 1. 23. quæ ut lilia, mentem recreat; ut myrrha, à putredine peccati præservat. *Non potest regnare peccatum, ubi mors Christi animo circumfertur*, Origenes in cap. 6. ad Roman. Sic cùm pessulum cordis nostri reducit Christus, manu suâ affundit *myrrham pœniten-*

tiæ; quâ *digiti fluunt* fidelium, qui moti actique à Domino, & ipsi agere incipiunt, Cantic. 5. 5. *Manus Domini, actio est*, Theodoret. *& Spiritus ejus consubstantialis*, per quem agit: qui digitus DEI dicitur; Tres Patres. Hic cùm per foramen cordis immittitur, *desiderium sui inflammat*, ut incipiat sponsa surgere ad aperiendum: dumq; pessulum apprehendit, ut obicem removeat, *stillant digiti myrrhâ Domini, ex contractu ejus fluente*, donec *januam aperiat Sponsa per fidei affectionem*; ita iidem.

5. De suffitu locus est Cant. 3. 6. ubi ænigma pastorale de Conversione Gentium: *Quæ est ista, quæ adscendit è deserto, sicut Virgula fumi*, instar palmæ sursum tendentis, & in aperto aëre se diffundentis; ut solent thymiamatum odorati fumi ex altari, cùm DEO accepti sunt, rectà sursum ferri; *fumi*, inquam, *ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii? Pigmentarius*, ait Hugo de S. Victor. l. 2. Erudit. Theolog. cap. 110. *est Christus: pigmenta, virtutes: myrrha, mortificatio carnis: thus, mentis devotio: universus pulvis pigmentarii, virtutum omnium multitudo*. Confer Bernhard. Serm. 59. Parvor. De odoramentis illud: *Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur!* Cant. 1. v. 13. Hebraicè fasciculus, *Zeròr* dicitur, *à colligando*. Propriè videtur significare fasciculum ex foliis vel ramusculis, aut floribus, myrrhæ constrictum, *Cornel. à Lap.* sed vix puto in hunc usum de collo suspendi potuisse, cùm non sine spinis fuerit, ut diximus. Vocabulum

bulum Hebraicum propriè loculum, vel marſupium, notat, quo ſpecunia colligatur. Et Arbores *myrrham vulgò coëmptam in folles*, ſivè ſacculos, *conſarciunt*, Plin. loc. cit. Huc reſpexiſſe Salomonem arbitror. Itaque ex LXX. habent ἀπόδεσμον τῆς σακτῆς. Chriſtum in Paſſione ſua videri ſibi, ait, ſimilem folliculo tali, propter amaritudinum abundantiam, odoris fragrantiam, pretii & utilitatis præſtantiam. *Hæc medicina hominum tanta eſt, quanta non poteſt cogitari!* ait Auguſtinus. Vide quæ de hoc faſciculo dixi in Paſſionali. Deniq; de corporum defunctorum conditurâ & loco, Joh. 19. 39. cap. 2. ſatis dictum eſt. Tantum de Myrrhâ.

6. Sequitur Kinnemon. Ter legitur; hîc Exod. 30. 23. ubi cum epitheto dicitur *Beſſem*, ut de liquido dici intelligatur: & Proverbior. 7. 17. ubi adultera inter alias illecebras ait: *Se lectulum ſuum vel perfudiſſe, vel ſuffumigâſſe potiùs Myrrhâ, Xylaloë, & Cinnamo:* & Cantic. 4. v. 14. de quo loco mox ſeorſim. Ex quibus locis hoc tantùm habetur, ſpeciem fuiſſe aromaticam, in hortis Salomonis cultam, ad unguenta & ſuffitus expetitam. Denique inter merces Romæ κινάμωμον numeratur, Apocal. 18. v. 13. Poſſunt hæc omnia noſtro vulgari Cinnamomo applicari: Verùm quodnam *veterum Cinnamomum* ſit? an à *Cinnamo* differat? an idem ſit quod noſtrum, *Canella* dictum? imò an in rerum natura extet, quale probatiſſimi veteres deſcribunt? Labyrinthus videtur, quem ingredi non libet; egredi peritiſſimi harum rerum Medici necdùm vix potuerunt.

runt. Videat, cui vacat, Matthioli prolixam Disputationem in Dioscorid. l. 1. cap. 12. & 13. Garsiam in Horto lib. 1. Aromat. cap. 15. & ibid. Clusium in Notis, Scaligeri Exercit. 144. & inprimis, qui omnia collegit, Jonstonum l. 3. Histor. de Arborib. Aromat. cap. 4. &c. Nec tamen ἀσύμβολος discedam; pauca è veteribus annotabo, de Cinnamomo & Cinnamo; tùm & nonnulla è recentioribus de vulgari nostro: ac denique dicam de hoc Biblico.

7. Primus Cinnamomi reliquorumque Aromatum in Arabiâ meminit Herodotus l. 3. *Quomodo aut quâ in regione gignatur? nescire Arabes: Putare tamen ibi nasci, ubi Dionysius educatus sit*, de quâ fabulâ aliquid cap. 1. suprà num. 3. *Ipsas Cinnamomi festucas afferri à prægrandibus avibus in nidos suos, quos è luto struant locis præruptis & inaccessis: Eas hoc strategemate comparari; solere Arabes juxta nidos cadavera animalium in frusta decisa deponere: iis ab avibus in nidos allatis, hoc ita gravari, ut rumpantur, secumq; in subjectum solum Cinnamomum effundant.* Nec confinxit hæc Herodotus. Nam sic fabulantur Aromatum venditores, ut ex periculi laborumq; in parando magnitudine pretia augerent. Itaque *Thuriferas quoq; arbores observari ab alatis serpentibus; Casiam à nescio quibus feris vespertilionibus* mentiebantur, apud eund. Herodot. l. cit. Ipsum nomen aromatis hujus ex fabula ortum, aut ex nomine fabula. Nam *Kinnen* Hebræis est *nidificare: Kinnim* dicuntur *nidi*. Nisi forte alia fabula hoc spectat, *de Nido Phœnicis Cinnameo*, ut

ut indicat Plinius l. 12. cap. 19. Arabicæ de Cinnamomo fabulæ plures postea mentionem fecerunt, Aristoteles in Hist. Animal, Antigenus Carystius, Dionysius Periegetes, Solinus, &c.

8. Qui certiorem Cinnamomi historiam prodidisse visi sunt, hæc habent: *Varia esse genera; Mossyliticum, quod præstantissimum habetur, Cassia, quæ Mossylitis dicitur, habere quandam similitudinem*, Dioscorid. l. 1. cap. 13. Plinius loc. cit. cum veterum fabulas refutâsset, *Cinnamomum*, ait, *itemq; Cinnamum, nasci in Æthiopiâ Troglodytis connubio permixtâ. Ii mercantes id à conterminis vehunt per maria vasta ratibus*, &c. *Ipse frutex duorum cubitorum altitudine amplissimus, palmiq; minimus, quatuor digitorum crassitudinis, statim à terrâ sex digitis surculosus, arido similis; cum viret non odoratus, folio origani, siccitate gaudens, sterilior imbre, cadua naturâ.* Sequuntur alia de messi, fabulosa æquè, & de speciebus, quæ exscribere tædet, nec in rem nostram sunt: Illud magis; quod *in Palatii Templo se vidisse* ait, *radicem magni ponderis, aureæ pateræ impositam, ex quâ guttæ editæ annis omnibus in grana durabantur.* Galenus l. 1. de Antidotis, *optimum suo ævo rarissimum fuisse, ab Imperatoribus repositum, inter pretiosissima*, testatur: *Perlatam fuisse Romam integram arborem in arcâ, quatuor cubitos & medium longâ, ex Barbarorum terris: fruticem esse ab unâ radice prodeuntem, è quo aliquot, sex septemq; crescant virgulta, quorum maximum pedis Romani dimidium non excedat: totam autem Cinnamomi naturam optimæ Cassiæ quodammodo*

simi-

ſimilem. Denique *in Arabiâ* quondam genitum fuiſſe, nec aliunde ſemper invectum, teſtes ſunt, Strabo l. 15. Diodorus Siculus l. 2. cap. 49. & Arrianus Expedit. Alex. l. 7. in Periplo tamen maris Erythræi, nihil habet. *Apud Sabæos* inprimis, *cum Balſamo, Caſſia, Thure, Myrrha, & Calamo creſcere Cinnamomum*, auctor eſt quoq; Agatharchides cap. 50. in Excerpt. apud Photium, &c. Denique in Syriâ etiam gignitur *Cinnamum*, quod *Caryopon* appellant: hoc eſt, *ſuccus nuci expreſſus: multùm à ſurculo veri Cinnami differens, vicina tamen gratia*, ait Plinius l. 12. cap. 28. Quem locum non puto à Criticis ſollicitandum fuiſſe, qui pro *Caryopon*, quod nucis ſuccum ſignificat, *Camacum*, & pro ſurculo *ſuccum*, aut *maſculum* legi debere cenſuerunt. Mitto multa, non noſtri fori.

9. Quod *hodiè Cinnamomum* habemus, à Caſſiâ ſolo nomine, & bonitate differre ait Garſias. *Canellam* jam olim, à Chinenſibus mercatoribus laudatiſſimum *è Zeilane*; minùs probatam *ex Malavar & Javâ* petitam, Ormuzumque advectam, fabulis illis, quas ex Herodoto audivimus, pretii augendi gratiâ, commendatam: nominibus diſtinxiſſe; priorem Cinnamomum, quaſi *amomum ex China*, ſive lignum odoratum Chinenſe dixiſſe vulgò; poſteriorem *Cais manis*, quod linguâ Malayâ *dulce lignum* ſonet; inde corrupto vocabulo à Græcis *Caſſiam* nomen accepiſſe: nullam hodiè in Arabiâ naſci, ipſos Arabes ex Indiâ petere. *Eſſe autem Canellæ, ſive Cinnamomi arborem magnitudine oleæ, interdùm minorem,*

norem, multis ramis præditam, non contortis, sed rectis fermè: foliis lauri colore, sed formâ, ad Citri folia accedente, floribus candidis, fructu nigro & rotundo, exiguis olivis simili: ipsam Canellam esse *corticem secundum & interiorem, qui ab exteriore repurgatus, inq; laminulas quadrangulas sectus, cùm humi abjicitur, per se ita ut apparet convolvitur*, &c. *Ipsa*, inquit, *radix exstillat liquorem Caphuram redolentem: Sed Rex vetuit radices vulnerari, ne arbores pereant. Truncus interdùm femoris crassitudine repetitur.* Quæ cum eâ radice quam magni ponderis vidit Plinius, quotannis guttas ex se edentem, consentiunt. Nec multò aliter Ludovicus Romanus, & Acosta describunt. Scaliger quædam aliter: *Nullum ferre fructum: Corticem æstu findi, bis in anno deglubi; dulcem primùm, mense posteà perfici: idcircò Caunama dici in Zeilane:* Cau *namq; gnum significare*, nama *dulce*: Galeni illud descriptum nuspiam reperiri, & alia, Exercit. 144.

10. His præmissis *Biblicum Cinnamon* videamus. Id à Cassiâ locis citatis distinguitur. Specie tamen ideò differre non est consequens. Si de Plinio Cinnamo, quod *Caryopon* vocavit, Syriæ indigenum, certi quid constaret, posset cogitari, succum ejus odoratum in unguentum Sacrum Mosaicum venisse. *Nux myristica*, quam nos *Moschatam* dicimus, Arabes à Patriâ, *Jausiband*, id est, nucem ex Bandâ, nec in Syriâ reperitur, & veteribus incognita fuisse creditur. *Balanus Myrepsica*, de quâ suprà, an huc referri possit, nescio. Itaque Plinium mittamus: Sed & Dodonæi sententiam;

tentiam; qui virgulta illa nigra, quæ inter *Caryophyllos* ad nos adferuntur, & ex quibus hi nascuntur, ex Dioscoride probare vult legitimum esse Cinnamomum, P. 1. l. 5. cap. 19. Sanè, quanquam Caryophyllorum *arborem lauri forma & magnitudine* describat Garsias; tamen ad nos virides arbusculæ, flores & fructus suos ferentes, ex Indiâ advehuntur, iis quas Galenus vidisse commemorat, in arculis allatas, etiam minores. Esto interim Mosaicum Cinnamum, Canella ab Arabibus è Zeilane petita, & cum similibus exoticis per Nabathæos in Syriam allata: è cujus radicibus vulneratis stillat concrescens stacte per se, & ex festucis arte aliud *oleum odoratissimum* extrahitur. Hoc puto esse *Kinnemon-Besem*. Si tamen *Cinnamomum olim*, florente adhuc terrâ Israëliticâ, *cibus caprarum* fuisset, abundâsse ibi oportet, quod ex Thalm. Hierosolym. affert Buxtorff. Nos ad alia pergamus.

11. Est autem in ordine proximum Kane. De eo Esa. 43. 24. Dominus: *Non ego*, inquit, *te jussi laborare in* comparando ad cultum meum *thure*, *nec tu mihi argento* Kanitha Kane, *emisti Cannam*: ubi allusio ad etymologiam: ut dicta sit *Kane*, a *Kinjan*, emptione, juxta Schindlerum. LXX. habent in genere θυμίαμα, cæteri *Calamum*. D. Luther. Kalmes. Detestatur Deus Judæorum hypocrisin, qui gloriari solerent de sumptuosis sacrificiis & suffimentis, quibus Deum venerarentur; cum intùs & in cute essent ipsi merum βδέλυγμα. *Non exegi*, inquit, *à te oblationes, nec thura quæsivi. Non calamum, neque*

censum

censum, & diversi pigmenta generis; quorum fumo inebriares atq; satiares: sed obedientiam, quæ est supra Sacrificium, &c. Hieronymus ibid. Huic παράλληλον est illud Jerem. 6. 20. *Quò mihi thus de Sabâ affertis? &* Kane Hattobh, *Calamum suaveolentem*. Vulgat. *Optimum illum*, generis præstantissimi, *de terrâ longinquâ?* LXX. habent κιννάμωμον, vel κινναμον, Aquila & Symmachus: κάλαμον. *Quod thura de Saba veniant, nemo dubitat: unde & illud Virgilianum*; --- centumque Sabæo thure calent aræ. *Calamum autem, quod Hebraicè dicitur* Kane, *pro quo LXX. & Theodotion Cinnamum transtulerunt, de terra venire longinqua, Propheticus sermo testatur: ut intelligamus Indiam, de qua per mare rubrum plura veniunt aromata. Hoc genus pigmenti Medici καλάμου σύριγγα appellant*, hæc h. l. Hieronymus. Apud Ezechielem locus est obscuræ & dubiæ interpretationis, cap. 27. 19. quem enarrat Bochartus in Phaleg. l. 2. cap. 21. Quicquid sit, certum est, in Tyriorum commercio fuisse inter alia, *Kiddah* & *Kane*. In Græcis locus corruptus apparet. Vulgatus habet: *Stacten & Calamum*: alii, *Cassiam & Calamum*. An Javanitæ, qui has merces Tyrum advexerunt, *Græci vagabundi*, circumforanei, fuerint? an verò *Arabes ex Uzal*, terræ Jeman metropoli? Lis est, non hîc decidenda. Superest locus Cantic. 4. v. 14. de quo deinceps.

12. Ex his certum quidem est *Kane* 1. pretiosum aroma esse, quod magno constiterit, ma-

gnoque labore & sumptu ad cultum DEI à Judæis comparatum fuerit: 2. Allatum fuisse, non ex Arabiâ Sabæâ, unde thus, sed de terrâ longinquâ, & ut bene Hieronymus ex Indiâ, & quidem Tyrum, in nobile illud olim Orientis emporium, à Javanitis, sivè illi Græci fuerint, sivè Jemanitæ Arabes. 3. Distinctum esse à *Kinnamon & Kidda:* 4. ac tàm bonitate quàm pretio differens: ut aliud sit *Hattobh*, optimum, quod ex Indiâ petitum; aliud vulgare & minoris pretii, quod in Arabiâ fortè aut & Syriâ natum. 5. Fuisse jam olim & siccum ad suffimenta, & liquidum; *Bossem* cum additamento dictum, ad unguenta, expetitum. 6. In hortos quoque Salomonis translatum. Hæc ex locis citatis satis certa. Dubium; *quid sit?* nam Interpp. modò *Cinnamum*, aut *Cinnamomum*, gute Zimmetrinden/ D. Luther. Jerem. 6. 20. modò *Cassiam fistularem*, ut Hieronym. modò & constantiùs *Calamum* vertunt.

13. Ac *Cinnamum* quidem, propriè sic in S. Literis dictum, non esse, jam audivimus: quia Exod. 30. cap. de quo hic agitur, disertè à Kinnamon distinguitur, ut & Cantic. 4. 14. Et si *Kidda* Casia, vel Cassia est, de quo statim; *Kane* quoque aliud esse oportet: *An ergò calamus?* Ita puto, sed de vero veterum. Nam quem hodiè *calamum aromaticum* dicimus, vernaculâ Kalmes/ radix est, passim apud nos in locis palustribus crescens, omnes veri acori notas habens; *folia iridis, sed angustiora; radices non in rectum,*

sed

sed in obliquum actas, geniculatas, albicantes, gustu acres, odore non ingratas. Est & P*seudacorum florigerum*, gelbe Schwertel / Acker-Wurtz; sed de his h. l. non est agendum, vide Plin. l. 25. cap. 13. & Dioscorid. l. 1. cap. 2. ac ibid. Matthiol. *Calamus odoratus* veterum, quod ipsum nomen indicat, *arundo est*, nec multum absimilis *juncus odoratus : nascuntur in Syria & India, odorum unguentorumq; caussa : nihil à cæteris sui generis differunt adspectu*, Plinius l. 12. cap. 22. & l. 25. cap. 11. Indicus tamen calamus longè præstantior, de quo Dioscorid. l. 1. cap. 17. ubi Matthiolus. Quæ cum descriptioni *Kanè* per omnia conveniant; non reor dubitandum esse, quin *Kane* sit *Calamus aromaticus* veterum. Ille in Asianis & Ægyptiis Apothecis vulgò venalis, per universam Indiam seritur : Arabes *Cassab*, id est, cannam, cum epitheto *Alderira*, aromaticam vocant, Garsias l. 1. cap. 32. Scaliger Exercit. 140. Apud nos rarus inventu, desiitque in usu esse, ex quo *Acorum* ejus vices occupavit. Hoc è Ponto & Bithyniâ in Germaniam venisse notat Clusius, in Append. Stirp. Hispan. p. 522. Nunc in hortis, locis humectis, seritur, & reperi Spiræ propè *Paludem*, quam vocant *Leporinam*; ac hic Ratisponæ in Lacu fossæ alicujus, non procul *à Porta Orientali*: unde aliquot radices in hortum transtuli ante sex annos, quæ quotannis odorata sua folia, per hiemem amissa marcore, iterum protrudunt; latiùs tamen se non explicant, credo propter so-

lum ſiccius. Denique jam olim *oleum è calamo, balſamo, iri, cinnami radice* ſiccis, in oleo maceratis expreſſisque factitatum, docet Plinius l. 15. cap. 7.

14. Supereſt Kiddàh, quod duobus tantum locis legitur, Exod. 30. 24. de quo jam ſuprà c. 1. num. 2. & paullò ante Ezech. 27. v. 19. hoc cap. num. 11. Neque notæ ullæ proponuntur, niſi quod à dictis diſtinguitur, nec epitheton *Boſſem* additur, ut Cinnamo & Calamo; ex quo colligi poſſit, per ſe liquidum quid fuiſſe: & quod in Tyriorum mercatu proſtiterit, allatum à Javanitis. Interpp. quoque diſcrepant. LXX. in Exod. ponunt, pro *Kidda* nomen ἴρεως; apud Ezechiel. loc. cit. pro *Kidda & Kane*, τροχὸν, fortè τροχίσκεις indicantes: Latini à figura minimorum panum, *Paſtillos* dixerunt, ut Horatius l. 1. Sat.

Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum:

Græci aliàs διαπάσματα, ex ſiccis odoribus; ut διαπλάσματα ex liquidis, Plinius l. 13. cap. 2. & l. 21. cap. 9. Cruquius in Horat. Vulgatus modò *Stacten* vertit, modò *Caſiam*: hoc cæteris quoque placuit, ut & D. Luthero, Caſien. Marinus habet in Arcâ, eſſe Cannæ aromaticæ ſpeciem, aliquibus *coſtum*. Sic Buxtorffius; diſtinguere Thalmudicos inter *Kidda* abſolutè poſitum, & cum epitheto *Lebbona*, album: illud eſſe herbam; hoc coſtum. In Targum tamen pro *Kidda* eſt *Kezia*, Caſia. Radix *Kadàd* ſignificat, inclinavit, nutavit,

vit, quod cannis convenit: Arabibus tamen videtur significare, siccavit, vide Schindler.

15. Hic igitur nihil certi apparet; *An Kidda sit Iris, vel Casia, vel Costum*? Quare singula videamus. Nam *Orbiculi* & *Stacte* generalia sunt vocabula: nec *Kidda* Myrrhina stacte est, à quâ Exod. loc. cit. manifestè distinguitur. Ac 1. quidem Iris, à floribus nomen accepit; qui diversi coloris specie quandam arcus cœlestis imaginem repræsentant. Neque longâ descriptione opus habet, eum passim in hortis nascatur, vide tamen Dioscoridem cap. 1. lib. 1. *Radice tamen tantùm commendatur, unguentis & medicinæ nascens, laudatissima in Illyrico*, Plin. l. 21. cap. 7. qui addit, Illyricæ proximam esse *Macedonicam*, & tertium locum habere *Africanam*. Nos Himmel-Schwertel/ & *radicem violaceam* ab odore dicimus: Theophrastus Europæ peculiarem. *De oleo Irino* Dioscorid. loc. cit. cap. 55. optimum esse, quod solam irim redoleat, quale in Pergâ Pamphyliæ, & in Elide Achajæ componatur. Virtus ejus inter alia, quod sit *contra tussim* efficax, & *difficiles vomitiones* adjuvet, perunctis eo digitis, & immissis, &c. Et hinc puto pro *Kidda* LXX. posuisse *Irim*, nam *Kadad* Arabibus etiam *vomuit, tussiendo exspuit*, significat: quasi dicas, radicem vomitoriam, aut contra tussim, Brech-Wurtz/ Husten-Wurtz. Quæ sanè ratio non parum habet momenti. Neque obest, quod Iris unguentaria in Syriâ & Arabiâ fortè peregrina aut ignota videatur: nam cur Jones, Græci mer-

mercatores, in mercatum Tyriorum sivè radicem, sivè oleum afferre nequiverint? Asiæ sanè negatam Irim non fuisse ex Dioscor. cap. 55. cit. audivimus: Lilia frequentissima fuisse suo loco vidimus.

16. Veniamus ad Costum: ejus tria Genera describit Dioscorides l. cit. cap. 15. *Arabicum* optimum, proximum *Indicum*, tertium *Syriacum*. Est radix inter ea, quæ Indis in maximo pretio: fruticeinutili; genera duo, nigrum & quod melius candicans, Plin. l. 12. cap. 12. *Odorum caussâ unguentorumq. & deliciarum, si placet etiam superstitionis gratiâ*, talia emebantur: *nam thure supplicabant olim & costo*, Idem l. 22. c. 24. Nascitur in Patale Insulâ primo statim introitu Indi fluvii, Idem. Hinc ex Emporio, quod Arrianus in Periplo vocat *Βαρβαρικὸν*, ab urbe *Barbari* dictâ, in Ostio Indi, exportari solebat. Garsias l. 1. cap. 35. *Costum* quo hodiè Indi utuntur describit, aliorum tamen qui viderunt fide, *Sambuci effigie, & magnitudine arbuti, flore odorato*: odoris tantam esse fragrantiam, ut nares feriat, & capitis dolorem excitet; de Arabico & Syriaco negat se quicquam comperisse. Quod è Lusitaniâ hodiè Indicum affertur radix est, *violaceum sive Irinum spirans odorem*. Arabes *Cast* vel *Cost* appellant, quod cum *Kidda* satis convenit, permutatis, ut solet, D. & S. D. literis; quemadmodum Z. & D. permutantur. Sed quem vel fruticem vel florem ferat, incompertum puto haberi: fragmenta caulis, radici inhærentia, ferulaceum

laceum quiddam referre, & fungosam medullam continere, scribit Clusius & Garsiam: Matthiolus ex Galeno, *tàm eximii fragrantiaq; esse odoris, ut non minus ad unguenta odorata usus ejus invaluerit olim, quam Molabathri, Amomi, Cassiæ, atq; Myrrhæ,* Supererat *Cassia*; sed quia hæc proprium in S. literis nomen habet, vix adducor, ut credam *Kidda* esse. Differo tamen, in suum peculiarem locum, & *Kidda* reor vel *Iridem* esse, vel *Costum Irinum*; non simpliciter, sed unguentum aut oleum jam compositum: quod de Irino propriè dicto perquàm verisimile; ut in Palæstinam non radix advecta fuerit, sed oleum ex radice alibi, ut in Elide aut Pergâ, confectum. Cur quatuor hæ species aromatum unguentariorum ad Sacrum hoc unguentum fuerint adhibitæ? & quid significarint? explicatu difficile est. Tentabimus fortè cap. seqq.

Cap. VI.

Species S. Thymiamatis, Natàph, Schechelèth, Chelbenà, & Lebonà, Exod. 30. 34.

1. **Natàph in singulari semel legitur h. l. & semel in plurali, Job. 36. 27. ubi significat guttas aquæ: ex radice, *Nataph stillavit.* Unde *Netiphot*, guttatoria; guttos Latini vocabant, vascula oris angusti, in quibus oleum servabatur: hic tamen vascula intelliguntur un-**

guentaria, LXX. σεργγαλίδας, ἀπὸ τῶν σεργγῶν, à guttis, vocant. *Nataph* ergò gutta eſt; verùm non fluida, ſed concreta, ut contuſa in pulverem redigi poſſet, ut dictum cap. 1. ſuprà num. 2. Quidam Rabbinorum *balſamum* vel *opobalſamum* ſignificari putaverunt: quos Paginnus & Lutherus ſecuti. *Sed major*, inquit Bonfrérius ad Exod. h. l. *eſt Hieronymi ex LXX. Interpretum auctoritas, qui ſtacten verterunt.* Reſp. Sed hi quæſtionem non explicaverunt. Nam & iidem modò *Loth.*, modò *Kidda*, nunc etiam *Nataph*, Stacten verterunt; quæ nomine *Myrrha* ſtillatitia propriè gaudet, quæque ab Hebræis *Deròr* dicitur, ut ſuis ll. jam obſervavimus cap. 4. num. 2. 3. & cap. 5. num. 2. 11. 14. Manet ergò dubium: *quænam Stacte ſit Natàph*? certam enim ſpeciem deſignavit DEUS, & à dictis his Loth, Kidda & Myrrhâ diſtinctam. Et quæ cauſſa fuit, ut in hunc cenſum aromatum Balſamum non venerit, præcipua terræ promiſſæ gloria? At niſi Natàph eſt balſamum nullum hoc loco eſt: nec illud vel ad unguentum ſacrum, vel ad thymiama admiſſum. Quid videatur? mox exponam. Nunc cætera dubia examinabimus.

2. Nam quid Schecheléth? Hoc quoque alibi præterquàm h. l. non reperitur. *Schachal* Leonem ſignificat immanem, vel Leopardum. Quid hoc ad noſtrum aroma? quod LXX. ὄνυχα, & Vulgat. *Onycham*, cæteri ſimiliter, aut *ungulam Caballinam*, *blattam Byzantiam*, interpretati ſunt: Lutherus, credo, quia Germanis no-

tius

tius vocabulum non occurrebat, Stacten. Chaldaicum *Schechal* significat, extraxit: Syriacum, *defluxit*, stillavit; unde *Schachalà*, urina. Ad quam significationem respexit D. Lutherus, ut puto. Pro *Schecheleth* in Targum est *Thuphra*, quæ vox *ungulam* notat: ut & Thalmudica *Zipporen*, in Gemarâ; ubi hoc *Ketoret*, θυμίαμα, dicitur fuisse compositum; ex *Zori* resinâ, sivè opobalsamo, *Zipporen*, ungui odorato, &c. Sequitur Chelbena, quod itidem hoc uno loco legitur: at *Chelbon* Ezech. 27. 18. Radix *Cheleb* adeps est, vel pinguedo. LXX. h. l ponunt χαλβάνην, Vulgat. &c. *Galbanum*. Arabes apud Schindlerum vocant *Miah*, *storacem vel galbanum*: Idem ait hoc esse *succum arboris*, *sicut mel nigrum*: cùm *Chalab* propriè lac denotet, & *Chelob* adipem lactei coloris, lacti coagulato similem. Judæi Germani à tetro odore galbanum appellant Teuffels-Koht / putantq; Rabbini hoc suaveolentibus hîc permisceri, ut indicetur, malos esse inter bonos tolerandos. Quod Damasceni dicuntur Tyrum convexisse *Vinum Chelbon*, *& albam lanam*, Ezech. 27. 18. LXX. exponunt οἶνον ἐκ χελβών, & putant aliqui locum fuisse non procul Damasco: Vulgatus verò habet *Vinum pingue*; Hebræi, *vinum novum coctum*. Superest Lebonà, *Thus*, de quo nulla ferè lis est, & crebrò occurrit in S. Literis.

3. Nunc singula consideremus. 1. Natàph argumento vocabuli, *Stacte*, sivè lacryma est, in

genere dicta. Sunt autem præcipuæ lacrymæ ad odoramenta & suffimenta idoneæ, 1. *Myrrha* de quâ cap. præced. ubi diximus, aliam στακτὴν dici; sivè quod spontè fluat, ut visum Plinio, sivè quod pura sit, qualis ex arbore fluxit: aliam πλαστὴν, factitiam vel quod arte componatur; vel adulterina sit. Stacte ex arbore incitâ partim fluit, partim concrescit, ut in pulverem comminui possit. Hanc ergò hic *Nataph* dici posse non negandum videtur. 2. *Mastiche*, quæ est resina lentiscina, de quâ in lentisco deinceps, cur huc pertineat? non apparet ratio: 3. Neq; cur *Bdellium?* de quo suprà: quod in suffitu odorem spirat, quale onychis Indici conchylii testa. 4. Neque etiam cur quod *Belzoinum* vocant, veteribus ignoratum hoc nomine? quod *amygdaloides* appellatur, *Myrrham Troglodyticam* Dioscoridis esse censuit Amatus Lusitanus: Garsias, qui *Benjui* appellat, ab Arabibus *Lovanjoy*, id est, thus ex Jaoa, dici ait, l. 1. aromat. cap. 5. 5. *Styrax*, sivè ut Officinæ jam olim dixerunt, *Storax*, ut & Vulgatus Interpres, Genes. 43. 11. Sirac. 24. 21. quid sit? in Arboreto exposui cap. 10. Stacte quoque est, ut ibid. & in parvas micas concrescit. Optimus pellucet, gummi similis, myrrhamque odore refert. An hic Mosis Nataph sit? neq; cur affirmem habeo, neque cur negem? Restant in hoc censu *thus*, de quo Moses distinctè: & *balsamum* de quo quæritur: *an sit quod Nataph dicitur?* Sed de eo in *Schemen* infrà.

4. In-

4. Interim certum, ex præmissis habendum; si *opobalsamum*, quod ex arbusculâ incisâ manat, & a *Carpobalsamo* ac *Xylobalsamo* factitio differt, quæ ex fructu aut ligno exprimuntur, in thymiama hoc Mosaicum venerit, non de liquido, sed *de concreto & solido* accipi debere, quale ex Lobelio & Bauhino describit Jonstonus, quem vide de Arboribus lacrymiferis l. 6. cap. 4. p. 307. & de cæteris dictis num. præced. de Resinis ibid. cap. 3. p. 345. & seqq. Meminit etiam Plinius, *balsami guttam primò candidam, crassiori similem oleo, aut musto*; cum ætate, quod ajunt ferè quinquennii accidere, *rubescere, simulq́; durescere translucidam*, sed de Balsamo hîc satis. Onyx verò hic nec gemma nec marmor est hujus nominis, sed conchula, aut *conchylii tegumentum*, ut habet Dioscorides l. 2. cap. 8. *quod in India nardiferis paludibus invenitur, suavem ideò spirans odorem, quod conchylia inibi nardi pabulo vescantur. Est autem onyx alius candidus, qui per mare rubrum affertur: alius nigrescens, ut Babylonius. Uterq́; odoris gratiâ suffitur, sed Castoreum quâdam tenus olent. Fœminas vulvæ strangulatu oppressas suffitu excitant, Comitialesq́;*. Eam Actuarius aliiq; βλάττιον βυζάντιον, officinæ *blattam Byzantiam* appellant, ut docet ibi Matthiolus. *Omnium virium imbecillitatem firmat, cordis palpitationi confert, animi defectum maximè juvat, longo morbo dejectos recreat.* Idem ex Actuario & Nicolao Myrepsico. Nomen accepit *quod unguem aliquem referat* figurâ. Unde fortè

fortè & Hebræis *Schechelèth*, à *Schachal*, quod significat, *Leonem mediæ ætatis*, vide pictam effigiem apud Matthiol. loc. cit. Plinius: *Invenio apud quosdam ostracium vocari, quod aliqui onycham vocant: hoc suffitum vulvæ pœnis mirè resistere, odorem esse castorei*, l. 32. cap. 10. Denique quod quidam onychem *ungulam Caballinam* verterunt, ut apud Vatablum errore puto factum esse: nam hæc herba est, quæ Græcis Latinisque *Bechion* & *Tussilago*, nostris Hufflattich/ Roßhueb/ dicitur.

5. De Galbano Dioscorides: *Succum esse nascentis in Syria ferulæ, quod quidam vocent Metopion: laudatissimum thuris habere effigiem, odore gravi*, &c. *Deglutiri contra tussim veterem & difficultatem spirandi, adversari toxicis, fugare serpentes incensum nidore, partus mortuos extrahere, comitiales & vulvæ strangulatu suffocatos suscitare*, l. 3. cap. 81. Plinius de eodem: *Dat & Galbanum Syria in Amano monte, è ferulâ, quam ejusdem nominis resinæ modo Stagonitin appellant: quod maximè laudant cartilaginosum, purum ad similitudinem Hammoniaci, minimeq; lignosum. Sincerum si uratur, fugat nidore serpentes.* Addit denique *Medicinæ tantùm* servire. Quia odore gravi ad suffimenta ingratum esset, ut puto. Sed a DEO ipsomet thymiamati sacro addi jubetur. *Sic Ammoniaco*, ut Paulus auctor est, *usi sunt antiqui in Sacrificiorum suffimentis: unde & à Paulo itemq; Aëtio thymiama cognominatur.*

Est

Est autem Ammoniacum ferulæ quoq; succus, juxta Cyrenen in Africa, propè Ammonis Oraculum: Arbor quæ gignit, *Metôpiôn* dicitur: optimum *thrauston*, masculi thuris similitudine. Galbanum odore refert, nec facultatibus differt, ut Plinius l. 12. cap. 23. & 25. Dioscorides l. cit. cap. 82. & ibid. Matthiolus, docent. Vide La Cerdam in illud Georg. 3.

Galbaneóq; agitare graves nidore chelydros.

Restabat Thus; sed quia frequentissima ejus mentio in S. Literis, proprium sibi caput jure vendicat.

CAP. VII.

S. Unguenti & Thymiamatis explicatio Mystica.

PHilo, in Lib. Quis sit Rer. Divin. Hæres? *Opinor*, inquit, *has quatuor species, ex quibus suffitus componitur, figuram esse elementorum, ex quibus mundus hic universus constat. Nam per stacten aquam, per Onychem terram, per Galbanum aërem, per thus pellucidum ignem significat: siquidem stacte à stillando dicta liquida est; onyx terrestris & aridus; galbanum suaveolens cognominatur, ad significandum aërem, in quo odor locum habet; thuri quoq; nomen pellucidi additur, ut ignem indicet. Mundus verò ipse, compositum ex his opus manè ac vesperi Deo creatori indesinenter agit gratias, seq; totum offert, &c.* Sic Autor Com-

Comment. in Cant. Cantic. falso tributi Origeni, Homil. 1. *Quatuor species unguenti sacri putat significare Corpus Domini, ex quatuor elementis compaginatum;* Myrrham *propriè ejus Passionem & Mortem;* Cinnamomum, *Ecclesiam immaculatam;* sic enim videtur vocabulum κιννάμωμον velle interpretari: Calamum odoratum, *doctrinam Christi ex* Psal. 45. 1. *Lingua enim ejus est calamus scribæ velociter scribentis:* Casiam *calidissimasq; species, fervorem spiritus:* Oleum denique *hujus gratiam, per quam ista omnia unita in unam Mediatoris personam.*

2. Ambrosius Serm. 5. in Psalm. 118. super illa verba: *Nardus Cypri consobrinus meus in vineis Engaddi. Sic locum quærimus,* inquit, *regionis cujusdam, quæ in Judæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur: Si interpretationem, Tentatio Latinè significatur. In illis ergò vineis lignum est, quod si quis compungat, unguentum emittit. Hoc fructus est ligni. Si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet: quùm autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam destillat; sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illacrymabat populum, ut peccata nostra dilueret, & de visceribus misericordiæ suæ fundebat unguentum dicens:* Pater, dimittte illis, quia nesciunt, quid faciunt. *Tunc ergò in ligno compunctus est lanceâ, & exivit de eo sanguis & aqua, omni unguento suavior; accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens; & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat cor-*

è corpore. Est igitur unguentum, juxta Ambrosium, gratia remissionis peccatorum & sanctificationis, quâ per Verbum & Sacramenta ungimur, ut simus Reges & Sacerdotes Deo & Patri nostro. Nec multò aliter Bernhardus in Cant. Serm. 22. Christi quadruplex esse unguentum, eò quod factus sit nobis *Sapientia*, *Justitia*, *Sanctificatio & Redemptio* : *Sapientia*, *in prædicatione*; *Justitia*, *in absolutione peccatorum*; *Sanctificatio*, *in conversatione quam habuit cum peccatoribus*; *Redemptio*, *in Passione quam sustinuit pro peccatoribus.* Hinc orat : *Illumina oculos meos, Domine, ut sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore, & sapiens sum* : *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, & justus sum* : *Deduc me, Domine, in viâ tuâ, & sanctus sum* : *Verum tamen nisi interpellet sanguis tuus pro me, salvus non sum*, &c.

3. Basilius in cap. 1. Esai. *Thymiama nostrum spirituale*, ait, *esse sanctimoniam corporis* : *quatuor aromatum species, elementa significare, ex quibus corpora constant* : *Stacten referri ad aquam*; *onychen ad terram, propter ariditatem*; *galbanum ad ignem, propter calorem fervidum*; *thus ad aërem, propter perspicuitatem* : sic ille secutus aliquo modo Philonem. Gregorius M. 1. Moral. cap. penult. *Thymiama ex aromatibus compositum facimus, cùm in altari boni operis, virtutum multiplicitate redolemus. Neq; enim unaquæq; verè virtus est, si mixta aliis virtutibus non est.* Pertinet huc illud Clementis Alex. Pædagogi

cap.

cap. 8. *Viros oportet non olere unguenta, sed vitæ probitatem: Spiret autem fœmina Christum, qui est ἄλειμμα βασιλικὸν, non diapasmata & unguenta: semper ungatur ambrosio pudicitiæ unguento, sancto gaudens ungine, nempè Spiritu. Hoc suaveolens unguentum præparat suis familiaribus Christus, ex cœlestibus illud componens aromatibus, quo & ipse unctus fuit juxta Davidem*, Psal. 45. v. 8. 9. De Thymiamate Idem l. 5. Stromat. hoc tantùm, secutus Hebræos: *Thuribulum esse Symbolum Terræ, in medio mundi sitæ, ex quâ oriuntur exhalationes.* Alia & recentiorum cogitationes mitto.

4. Inter hæc certum est, *Sacrum Unguentum* esse illud, de quo in Novo Testamento S. Johannes ὁ μυστικώτατος: *Unctionem habetis à Sancto*, 1. Joh. 2. 20. quæ nihil est aliud quàm per doctrinam Evangelii, communicatio Spiritus Sancti, donorumque ejus, quo unctus est Christus secundum humanam naturam ἀμέτρως, Psal. 45. v. 8. Joh. 3. 34. Esa. 11. 2. nos secundum mensuram donationis ejus, 2. Cor. 1. 21. Ephes. 4. 7. 1. Petr. 2. 9. Apoc. 1. 5. & 5. 10. Sic Actor. 10. 38. Sine hoc unguento nihil sanctum est: hujus particeps quicquid est, sanctificatum est, vas gratiæ, dignum Sanctuario Domini. Species quatuor totidem Charismata sunt, ut mox; quæ arte pigmentarii Christi miscentur oleo gratiæ Spiritus Sancti, ut sint unum Charisma: eoq; soli unguntur electi, nulli profani vel reprobi. Sunt autem Charismata illa omnibus electis communia, & solis

is propia; *Sapientia*, in fide,quâ Christum cru-
cifixum amplectimur: hæc nostra sublimior
Philosophia, 1. Cor. 2. 2. & cap. 1. v. 21. 24. *Justitia*, quam fide consequimur, remissio peccatorum, Rom. 4. v. 5. 7. Hinc *Sanctificatio*, per quotidianam renovationem; & tandem *Redemptio*, per consummatam liberationem ac beatitudinem. In his quatuor, tria; Fides, Spes & Charitas, 1. Cor. 13. 13. & septem dona Spiritus Sancti, Esa. 11. 2. comprehenduntur.

5. Si jam singula aromata unguentaria applicare velimus; *Sapientia* erit *Morderor*, Myrrha pura & libera. Nam sacrum hoc unguentum ex contemplatione Passionis Dominicæ per Christum elicitur. Est enim hæc Sapientia fides, cujus proprium proximumque objectum Christus cum merito suo. Fidem hanc relativè cum Christo apprehenso spectatam, cum myrrhâ facilè comparabimus. Collegit de Myrrhâ quasdam veterum sententias Rabanus Maurus, in erudito opere de Universo, quale illa ferre poterat ætas, 19. cap. 7. ubi inter alia in verba Psal. 45. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis*; hæc notat: *Sanctum Domini Corpus quoddam Deitatis fuisse cognoscitur vestimentum. Nam sicut vestitus cooperiuntur membra mortalium; ita & majestas Verbi in fidelium oculis carnis velamine videbatur abscondi: ab eo ergò vestimento, id est, incarnationis arcano, congruè venisse dicitur, Myrrha, Gutta, & Casia: Myrrha, mortem significat. quam pro omnium salute suscepit: Gutta verò,*

quæ dicitur Ammoniaca, duritias curat aliqui necessitate contractas; quæ pulchrè incarnationi Domini comparatur: quia duritiem cordis humani sanctâ prædicatione dissolvit: Casia, quæ à nostris fistula dicitur, redemptio generis humani per aquam baptismatis indicatur; quoniam hoc herba genus aquosis locis dicitur inveniri, &c. Est autem Myrrha ex secundo ordine excalfacientium & desiccantium, Galenus 8. Simpl. Medic. Inter alias *oculorum caliginem discutit, obtusam vocem expedit, gravem moris habitum emendat, capitis vulnera glutinat*, Dioscorid. Eadem in antidotis ponitur contra venena, ictusque venenatorum & pestilentiam, Matthiolus; qui & addit Cosmeticum mulierum, quæ *myrrha fumo excepto faciem erugant, ut juventutem etiam senescentes mentiantur*. Quod pertinet ad locum Ephes. 5. 27. & Cant. 4. v. 6. 7. quem vide. Adscendit Sponsus in montem Myrrhæ & collem thuris, ut Sponsam emaculet & eruget.

6. Jam *Justitia* per unguen *Cinnameum* significabitur. Multa de Cinnamomo fabulati sunt veteres, & pleraque aptè quadrant. In Christi justitiâ tutissimè nidulantur aves cœli. In remissione peccatorum solâ securè aquiescunt. Gregorius Nyssenus in Cant. Orat. 9. inter alia mira & incredibilia: *Ajunt hoc aroma si tantùm attingat ferventem in lebete aquam mox refrigerare: itemq; si balneo calefacto inferatur inflammationem aëris in frigus commutare. Quin & si ori dormientis imponatur, efficere ut ad omnia interri*-

terrogata sobriis & articulatis verbis respondeat, nec tamen somnum excuti. Talia quamvis ficta sint, verique fidem excedant, tamen ait ille, ad mysticam rationem aptari posse *virtutis*; quæ *extinguat omnem perturbationum, libidinis atq; iræ æstum, hominemq; simul soporet, & tamen sobrium servet. Neq; hoc esse insolens S. Literis, ut fabulam aliquam vulgarem assumant, ad illustrationem propositi sui.* De quo plura ibid. non longè à fine Orat. Vis Medica ferè ad eadem quæ Myrrhæ: *Contra venena & bestias quæ virus ejaculantur; tùm & oculorum caliginem discutit, & vitia cutis in facie ex melle illitum detergit*, &c. Dioscorid. *Cinnamomum qui seipsos despiciunt, signat: Quia ut ipsa brevis est arbor, sed odorifera & dulcis; sic & humilitas magnam habet laudem & dulcedinem* apud Deum, Rabanus l. cit.

7. At *Sanctificatio* & quotidiana renovatio per *calamum aromaticum* aptè denotatur. Nam ex specie *arundo* fragilis est, & odore & virtute suaveolens *aroma*. *Calamus enim aromaticus à similitudine calami usualis vocatur. Gignitur in Indiâ, multis nodis geniculatus, fulvus, fragrans spiritus suavitate: qui cùm frangitur, in multas partes fit scissilis, simulans gustu casiam, cum leni acrimoniâ remordente*, Rabanus loc. cit. *Contra aquam intercutem, vitia renum, & urinæ stillicidium bibitur, tussi fumo medetur. Suffitus*, Dioscorid. Deniq; ut *Iris* flos arcum cœlestem æmulatur colorum varietate; sic quoque spem fidelium potest notare, cujus Symbolum arcus est; illam scilicet plenæ *redemptionis*. Quare

 hanc

hanc rectè præfigurat Oleum Irinum aut è Costo Irino extractum, quod & odoris eximiâ suavitate & efficaciâ commendatur *contra horrores febriles, morsusq; viperarum*, apud Dioscoridem. Sanè flos ipse colore cœruleo cœlum ostendit, unde & nomen gladioli cœlestis accipit. Atque hæc de S. Unguento; quod imitati Ægyptii ex sedecim speciebus composuerunt, Kyphi dictum, de quo Plutarchus de Iside & Osir. circa finem: ad suffimentum quidem, sed & ad medicamentum, vide Dioscorid. 1. cap. 24.

8. Quodnam verò *spirituale thymiama* sit? docuit S. Scriptura passim. Totum enim cultum DEI, qui fit prædicando, Sacramenta celebrando, invocando, gratias agendo, sanctè vivendo, thymiamati passim comparavit, Psalm. 141. v. 2. Malach. 1. 11. Apocal. 5. 8. & 8. 3. 4. 2. Cor. 2. 14. Philipp. 4. 18. &c. Hilarius in cit. Psalm. *Primum*, inquit, *natura incensi hæc est, ut in altum se de humilibus extollat, spirans optimè & sese nobis in sensum suaveolentiæ immittens. Dein ex quatuor odoratissimis generibus, in maximam subtilitatem comminutis, componitur; Stacte, onyche, galbano & thure: quæ omnia in formâ orationum fidelium constituta esse B. Johannis Apocalypsis ostendit*, &c. *Quatuor autem genera orationum Apostolus esse significat*, 1. Tim. 2. 1. *Humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ Dei est orari, fidei est postulare, confessionis & laudis est gratulari.* Addit: *Quatuor illa genera odorum ad unum thymiama comparata, singulis*

lis generibus consummandæ orationis posse aptari: Eadem quoque *quatuor Elementorum speciem* posse significare, eo quo diximus modo ex Philone. De his quatuor orationum generibus Cassianus Collat. 9. cap. 9. & seqq. Ut ratio perfectum thymiama sit, requiritur, *Pœnitentia* in deprecando, quæ corde vulnerato emittit lacrymas quasi *Natàph*, id est, Stacten; & *Fiducia* in orando; intuitu Christi Mediatoris, qui quasi *Onyx* aut *Conchylii testula* pro nobis contritus est, Deo in odorem suavitatis; & *Charitas*, in postulando, pro nobis & aliis, respectu indigentiæ nostræ; quod quasi *galbanum* est, odore gravi propter nostram egestatem, suavi tamen & salubri propter efficaciam; & denique pium ac constans animi *propositum* DEO inserviendi, in gratiarum actione; quæ *thus* est fidelium. Sic *oratio nostra dirigetur velut incensum*, nubes rectà penetrans. Quæ ex dictis capite præcedenti facilè illustrabuntur. Addo pro epithecâ: Qui de onyche aromatico exponunt illud Propertii l. 3. Eleg. 9.

Sit mensæ ratio, noxq; inter pocula currat,
Et Crocino nares murrheus ungat onyx;

Oppidò falluntur. Nota sunt *vasa murrhea*, quæ & *murrhina*, & de simili alibi Idem Propertius l. 2. Eleg. 13.

Osculaq; in gelidis pones suprema labellis,
Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

CAP. VIII.

Species Horti Aromatici Salomonis, inprimis Carcum, Copher, Nered, Cant. 4. 11. 14.

1. HOrtus Salomonis aromaticus, cui Sponsam comparat pastorali Idyllio, ut illa de vino dixit: *Omnium unguentorum odor præ tuo nautea est, Tu mihi stacte, tu rosa, tu Cinnamomum, tu Crocum & Casia es, tu Bdellium, &c.* Plaut. Curcul. Act. 1. Scen. 2. fuit *Hortus conclusus*, non tantum sepimento & maceriâ, Esai. 5. v. 2. sed & pessulo obdito. In eo *Fons* erat quoque *obseratus* & signo regio *obsignatus*, ut in Oriente, Genes. 29. 3. & apud Persas Fons regius, è quo solus Rex ejusque Filius primogenitus bibebat, Athenæus l. 12. c. 3. Similis in Hispaniâ juxta Complutum, è quo pro solo Rege aqua promitur, hæc Cornel. à Lap. De horto hoc & Fonte vide Adrichom. & eundem. In hoc educabat Regum Sapientissimus aromatum varias species. Nominantur, 1. *Kepharim*, κύπειροι, Cyperi, 2. *Nered*, νάρδος, nardus, 3. *Karcom*, κρόκος, crocus, 4. *Kane*, κάλαμος, calamus, canna, 5. *Kinnamon*, κιννάμωμον, Cinnamum. 6. Arbores *Lebbona*, Thuris, 7. *Mor*, Myrrhæ, 8. *Ahaloth*, Xilaloës. Plerasq; jam vidimus; contemplabimur igitur solas residuas, & conabimur ænigma solvere.

2. Ke-

2. Kepharim h. l. tantùm & *Copher*, Cantic. 1. 14. leguntur, nec alibi. Dixi satis in Arboreto cap. 28. num. 7. Radix *Caphar* significat *bitumine oblevit*, & in Piel *expiavit*, peccata quasi obtexit, ne videantur. Inde *Copher*, *bitumen*, tectorium; & per Metaphoram, *expiatio*; tùm & *villa*, muro bituminato circumdata, pagusque: ac denique *Cyprus*, arbor odorata, vel quod caphuram, quam Camphoram dicimus, redoleant *Kepharim*, fructus ejus, botri; vel quod fœtores expiet quasi & tegat, ut Marinus in Arcâ, in Chald. *Capper* significat *abstergere*, abluere, immunditiem auferre: quem usum Cyprus, Arabibus *El hanne* dicta, mulieribus Ægyptiis præbet in balneis, ut in Arboreto, & Turcarum passim toto Oriente, ut Bellonius l. 2. cap. 74. Rauhwolff pag. 61. qui eleganter depinxit, floresque Moschum redolere quodammodo notavit. Similis est arbuscula ligustro, Beinenholtz. Nec pluribus opus est. De oleo Cyprino Dioscorid. l. 1. cap. 54. *Malagmatis addi solet & acopis*. Differt ab hac Cypro, *Cyperus*, junci odorati species, foliis porraceis, radice ferè oleis oblongis simili, & confertim in se cohærentibus: quanquam alius quoque sit Cyperus oblongus, alius rotundus, wilder Galgan/&c. Dioscor. l. 1. cap. 4.

3. Nered, Nardus h. l. bis, & semel adhuc Cant. 1. 12. *Quousq; Rex esset* Sponsusque meus *Bimsibbo* in accubitu, *circuitu suo*, adq; mensam orbicularem in triclinio suo accumberet, meque

 respi-

respiceret conversus, *nardus mea dedit odorem suum*, ex veteri consuetudine nardino unguento perfudi illum, replevique locum fragrantiâ, ut Marc. 14. 3. de quo mox. Post adventum Domini Ecclesia bonus odor Christi facta est, 2. Cor. 2. &c. Possis *ad Epulas Eucharisticas* piè transferre, ut simul spectes Domini *beneficium*, Psl. 23. 5. & debitum nostrum *officium*, Joh. 12. 3. &c. Diximus suprà ex Dioscor. c. 6 *Onychas*, ostracia illa, pisciculos aut vermiculos verius, *vesci nardo*, & inde testas concipere suavem illum aromaticum odorem. Sic nos corpore & sanguine Domini nutrimur, ut & corpus nostrum imbuatur odore incorruptibilitatis. *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, vitæ æternæ, quæ corpore & sanguine Domini nutritur?* Irenæus l. 5. c. 4. *Chaldæus* h. l. ænigma refert ad colloquium Dei cum Mose, in Synai, quando ei tradidit tabulas legis, quo interim tempore Israëlitæ vitulum aureum adoraverunt: *Inde*, inquit, *pessimū eorum nomen egressum est: nam cùm priùs odor eorum per orbem diffusus esset, postea facti sunt fœtidi ut nardus*, vel ut *absinthium*; quia nardus cùm situm contraxit, & supputruit, amissâ suaveolentiâ graviter olet, Buxtorff. in Thalmud. ex Matthiolo, confer Corn. à Lap. h. l. Sic *Hirculus* dicta herba, Nardo Celticæ similis, quæ & illam adulterare solet, repeririq; inter ejus venales fasciculos, graviter olet. Ita qui indignè fruuntur hoc sacro epulo, fœtidiores fœdioresque evadunt, non Hirculi, sed Hirci.

4. *Nardus* neque *frutex* est, de Indicâ propriè dictâ

dictâ ago, ut visum Plinio, neque *herba*: nam ut Plinius ipse, *cæteræ nardi herbæ sunt, propter Indicam.* Sunt autem hujus nominis diversæ plantæ, & varia nardorum genera, de quibus in Arriani Periplum diligenter Stukius, quæ nihil huc faciunt. Nardus vera *radix est, si Galeno Medicorum Pythagoræ credis*, ait Scaliger Exercit. 141. Sect. 4. Quod pluribus operosè probat Matthiolus: *Certè radix est, spargens supra solum brevem virgulam seu caulem, tres palmos longum circiter, cùm longissimus est: aliasq; insuper virgulas multò breviores: in summa radice spicæ producuntur; item aliæ per virgulas.* Juxta Gangem oritur; nuspiam in Syriâ; quanquam Dioscorides aliquam *Syriacam* appellarit; sed ut ipse indicavit, non quod in Syriâ proveniat; sed quia in monte Indico, quâ Syriam, sivè Occidentem, respicit, Garsias l. 1. Aromat. cap. 33. Neq; folia profert; sed largam comam, quâ spicæ teguntur, ex quibus radix componitur, ut allium & similia. Spicam Rabbini vocant *Schibbolèth néred*, Arabes ex Hebræo *Sünbal*, cum epitheto *Indi* aut *Atibh*, Schindler. Credo ferè Hebræum nomen accepisse à radice *Radah*, dominatus est, unde *Jared*, Pater Henochi. Indis hodiè dicitur, teste Garsiâ, *Kabzsarà*: quod & olim habere nomen potuit; ex Origine Hebræâ: nam *Kaiz*, fructum æstivum significat, *Kezizot*, fructus abscissos &c. *Sarà* Dominam. Chaldæis dicitur nardus *Rischka*. Cæterum nardi omnes cerebro frigido, jecori & lieni obstructis, stomachoq; conveniunt, utiles Epile-

 pticis;

pticis, Apoplecticis, Veternosis, Cardiacâ laborantibus, Matthiol. De Coronis Plinius l. 21. c. 3. *Eò processit luxuria, ut non esset gratia nisi mero folio: sutilibus mox petitis ab Indicâ, aut ultra Indos: lautissimum quippe habetur è nardi folio eas dari, aut veste serica versicolores unguentis madidas.* Meminit Lucanus l. 10.

Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et nunquam fugiente rosâ, &c.

Quæ de Indicâ nardo accipi nequeunt, de eâ fortè debent, quæ ὀρεινὴ Dioscorid. cap. 8. l. 1. nasciq; dicitur in Syriâ & Ciliciâ, hodiè ignota: *Spica Cilissa* dicta Ovidio, ut notavit Bauhin. de quâ tamen vide Scalig. in 4. Propertii. Sed Plinius tamen disertè, ex Indiâ petitas has coronas ait. Sic & Martial. 13. Epigr. 51.

Texta rosis fortasse tibi vel divite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

5. *De Unguento Nardino* locus est Marc. 14. 3. & Joh. 12. 3. ubi observa: 1. *Ubi* unxerit mulier Dominum? 2. *Quâ parte* corporis? 3. *Quo unguento?* 4. *Quo mysterio? Ubi?* In mensâ accumbentem. Fuêre jam olim unguenta & coronæ conviviorum appendices, & lautissimum fuit, ut -- *puro stillarent tempora nardo*, nardinæq; coronæ imponerentur, de quo multa Stukius Conviv. l. 3. cap. 15. *Quâ parte*? Perunxit primo *pedes*; sed cùm, pro more gentis, antea lavasset, capillisque suis detersisset; Deinde, confracto vase alabastrino, omne effudit unguentum super *caput*. De vase notum apud Ciceronem Proverbium:

bium: *Sunt quibus alabaster unguenti plenus putere videatur.* De Onyche dixi jam, & facit huc illud Horatii ad Virgilium: *Nardo vina merebere: Nardi parvus onyx eliciet cadum.* De pedum unctione Stukius l. cit. *In omnibus talibus non usus rerum, sed libido utentis, in culpâ est*, Augustinus 3. de Doctr. Christianâ cap. 12. Et totum hoc ad mysterium spectabat. *Quo unguento?* βαρυτίμῳ, Matth. 26. 7. Νάρδου πιστικῆς, πολυτίμου, quod vendi potuisset plusquam trecentis denariis, qui hodiè sunt LXXVIII. floreni, seu libræ Turonicæ, ut Franc. Lucas Brug. &c. Sed quænam illa *Nardus* πιστικὴ; nobilis inter Philologos Quæstio est. Vulgatus vocat: *Nardum spicatum.* Observat idem Fr. Lucas in Marc. duplex è nardo fuisse unguentum; *Spicatum*, & *Foliatum*: (σπικατὸν καὶ φολιατὸν etiam Græcis.) *Nardinum sive foliatum constabat omphacio, balanino, junco, costo nardo, amomo, balsamo, myrrhâ*, Plin. 13. cap. 1. At spicatum videtur fuisse, quod Tibullus 2. Eleg. 2. *purum* dixit: Scilicet, non modò non adulteratum, sed & sincerum, impermixtum. Quale fiebat ex Nardi Spicâ Indicâ, verâ, germanâ, non ex aliquâ *Pseudonardo*, cujus se *novem speciem* recensuisse ait Plinius; *tanta*, inquit, *erat adulterandi materia.* Hanc igitur πιστικὴν vocant Evangelistæ, quomodo ab Artemidoro vocatur πιστικὴ γυνὴ καὶ οἰκουρὸς, sic Casaubonus & Salmasius apud Walæum, ubi alii tamen aliter. Novam, sed credo pessimam, expositionem defendit Scultetus in Annotat. ad Matth. & Marc. cap. 80. quam adscribit

ſcribit Joh. Hartungo : Prope Babylonem oppidum fuiſſe, *Opis* dictum, ubi pretioſiſſima nardi unguenta confecta, & inde aliò transportata fuerint ex Athenæo: Legendum ergò eſſe, *νάρδυ ὀπιςικῆς*. Sed correctiones ejusmodi, luſus ingeniorum ſunt. Neque equidem apud Athenæum *Opiſtici nardi* mentionem reperio: Optimum nardinum in Tharſo compoſitum refert ex Apollonii Herophylii libro de unguentis, l. 15. Sed non puto è nardo Indicâ præſtantiſſimâ, verùm ex montanâ Ciliciæ indigenâ. Deniq; ſi de loco unguenti nardini confecti loquuti eſſent Evangeliſtæ, dixiſſent *μύρον νάρδυ πιςικὸν*, aut *ὀπιςικὸν*; quomodo legimus *Nardum*, ſcil. unguentum, *Achamenium: Aſſyrium, Tyrium aut Syrium*, apud Horat. & Tibull. quod vel in his regionibus compoſitum, vel ex illis transvectum ſit: ubi veram Nardum non fuiſſe vernaculam conſtat; quæ à Patriâ dicitur *Indica, Gangitis, Ozenetis, Sambaritica* (de hac dubito, an à loco? nam ipſum nomen Arabicum Spicæ clarè elucet, *Sambalitica*, L, ut ſolet mutato in R. quaſi dicas *Schibbolitica*, id eſt, ſpicata) & apud Arrianum in Periplo *Cattyburina, Patropapige, Cabalite*, à locis circa Gangem incognitis: nuſpiam autem *ὀπιςικὴ*. Quod ſupereſt *de myſterio*, explicat Dominus ipſe: voluiſſe ſanctam fœminam prævenire, ut ungeret Domini corpus ad ſepulturam, & quidem unguento non vulgari, de quo in Myrrhâ & Aloë diximus, ſed pretioſiſſimo; quale deceret corpus, in quo habitaret *πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος*.

Quan-

Quanquam adeò tralaticiæ humanitatis eſſet, pretioſiſſima unguenta rogis infundere charorum, ut indignari potuerit defuncta Propertii Cynthia:

Cur nardo flamma non oluère mea?

& in funere Pſittaci apud Statium -- *Aſſyrio cineres adolentur amomo.* Ac in nido exequiali Phœnicis inter alia etiam ſunt ··· *terra nardi pubentis ariſta.* Satis multa de nardo. Sequitur

6. Carcom, quod uno hoc ſolo loco repe-ritur: Crocum eſſe conſentiunt. Chaldæus Thalmudiſtæ & Arabes etiam *Curcuma*, aut *Curkema* appellant. Differt autem longè *Crocus Indicus* à vulgari. Nam ille *radix eſt intùs crocea, foris Gingiberi perſimilis, foliis milii majoribus, caule foliaceo*, Garſias l. 1. cap. 39. nec multò aliter Acoſta. Vulgò *Indi hodiè ad tingendos condiendosq́ cibos utuntur, ut & Arabes & Perſæ, quod viliori ematur, quàm noſter crocus, qui etiam apud eos provenit. Uſus etiam eſt ad ocularia medicamenta & pſoram.* Quidam à radice Chelidonius non diſtinguunt, putantque ab Avicennâ *Chalidunium* appellari. Matthiolus *Cyperum Indicum* vocat, de quo Dioſcorides: *Aliud Cyperi genus tradunt in Indiâ naſci, gingiberis effigie, quod manducatum Croci vim reddit, guſtu amaro*, &c. l. 1. cap. 4. Verùm de hac croceâ radice pluribus hîc non opus eſt, neque ut Crocum noſtratem, notum omnibus, deſcribamus. *Flos* ſimilis eſt ephemero Colchico, in cujus medio tria, aut & plura aliquando *ſtamina* ſunt, quæ ſola in uſum veniunt,

veniunt, κρονίδες & Croci, ut in Liliis quoque dicuntur. Naturæ singularia sunt plantæ, quod *folio florem expellit, brumâq; viret*, Plin. 21. cap. 6. Caulem scilicet floremque priùs emittit, quàm folium; contra quam cæteræ herbæ, in Brumâ spretis algoribus. In Brumâ spretis algoribus viret; verè crescit & deperditur; totâ æstate inconspicua latet. Sed & *calcari gaudet & atteri, pereundoq; meliùs provenit: ideò juxta semitas & fontes lætissimum*, Plinius loc. cit. ubi vide Dalechamp. *Folio est angusto penè capillamenti in modum.* Seritur bulbis transpositis; tenui solo, nam solidam humum & stercora odit. Facultas Medica multiplex: *Discutit inflammationes omnes, oculorum maximè ex ovo illitum crocum. Qui biberint priùs, crapulam non sentiunt. Somnum facit, Venerem stimulat*, Plin. 21. cap. 20. Miram cum corde habet Συμπάθειαν: digito annulari sinistræ manus si affricetur, confestim ad cor penetrat, lætitiamque affert, usuique immodico risum excitat, etiam lethiferum, *si pondere trium drachmarum bibatur ex aquâ*, Dioscorid. 1. cap. 26. Phthisicis in summo vitæ discrimine, & propemodum animam agentibus, spiritum reducit, vitamque ad aliquot dies prorogat; gravissimas subito irruentes dyspnæas, citra febrim, momento temporis tollit, Dodonæus P. 2. l. 2. cap. 15. Apes, ne aufugiant, 4. Georg.

Invitant croceis halantes floribus horti,

Prima nobilitas croco Ciliceo, & ibi in Coryco monte, Plin. Sed & ut *India mittit ebur, Croceos ita*

Tmo-

Tmolus odores, 1. Georg. Auſtria quoque propè Viennam, nihilò minoris pretii. *Uſus ejus in coronis nusquam* graminis puta: de flore accipio; *coronas è croco muliere ebrietatem*, aut de unguento crocino; ſic Plinius concil atur l. 21. c. 6. & 20. Nam *crocinum ſomnum allicit, & ſæpè phreneticis quoq; ſubvenit affuſum, aut naribus illitum*, Dioſcorid. cap. 53. Nomen Græci ſibi vindicant, ἀπὸ τοῦ κύειν καὶ ἀναθάλλειν ἐν τῷ κρύει, quod creſcat & vireſcat in frigore, Etymol. Auctor. Sed Hebræum eſſe diximus: radix *Karàch* inter alia ſignificat, *Comedere*: hinc *Kerich*, quod comedi poteſt & ſolet, Thalmudicis. Arabicum, quod Itali, Germaniq; retinuerunt, *Zaffrana*, ſi componatur ex *Zaàph* & *Pharàn*, ſignificare poteſt, *iram triſtitiamve demulcens*.

7. *De Kinnamòn, Kane, Mor, Ahaloth*, dictum eſt, de *Lebbonà* mox. Videamus ergò, *cur Sponſam ſuam Salomon noſter tali horto aromatifero comparaverit?* Quomodo *horto* ſimilis ſit Eccleſia? facilè intelligatur, ut & cur *concluſo* ac oppeſſulato? vide Eſa. 5. 2. Matth. 21. 33. Zach. 2. 5. Pſalm. 80. 13. Nec *de Fonte ſignato* laborandum erit: Joh. 4. 14. cap. 7. 38. Joël. 3. 18. &c. Sed & aromata nemo non advertet eſſe varia Spiritus Sancti dona, & fructus, Gal. 5. 22. Sed quid ſingula ſignificent? id ſcire labor & opus eſt. Multa hic ex diverſis Interpp. Cornel. à Lap. certi nihil. Hoc autem 1. velut indubitatum pono, Encomium hoc *ad Eccleſiam* pertinere *univerſalem*. Ea 2. per totum orbem propagata ſimilis

eſt

est Paradiso, horto pomifero, Gen. 2. 9. Ecclesiæ ejus. 3. *Cœtus particulares* quasi mali Punicæ sunt malis granatis onustæ, & aliis *Megadim* pretiosis fructibus circumdatæ, qui deinceps enumerantur. In malo punico autem Sanctorum sub uno capite Christo unio & communio scitè vereque præfiguratur, vide *de Rhimmon* in Arboreto. Sic Rabanus de Universo cap. 6. l. 19. *Mala punica*, ait, *significare Ecclesiam, sive Fidei unitatem & concordiam pacis.* Nam *sub uno mali corio multa sunt grana, ita inter se mutuò conserta, ut se vicissim non comprimant, neq; corrumpant, sed integra conserventur, nisi aliqua in medio putredo nascatur*, Theodoretus. In his cœtibus, totaque adeò universali Ecclesiâ, 4. partim *fructus* sunt inter se ita connexi, ut nullus abesse possit; partim *arbores* aromaticæ, pari lege & ordine consitæ. Fructus 5. sunt *Cypri cum nardis; nardus & crocus calamus aromaticus, & cinnamum:* Species quinque; ubi in fructibus simul intelliguntur ipsæ plantæ, quarum fructus sunt vel radices, ut nardi: vel botri & baccæ, ut Cypri, etsi Oleum Cyprinum propriè è floribus conficiatur, ut apud Dioscoridem: vel florum stamina, ut Croci: vel cortices, ut Calami & Cinnamomi: hujus tamen olim ipsa ligna expetebantur. At 6. arbores sunt *Thuris, Myrrhæ, & Ahaloth*, numero tres, nec steriles, sed præcipuis aromatibus fœcundæ. Jam quæritur 7. *Quid illæ quinq; species fructuum?* Hic alia aliis placuerunt: unum omnibus, dona significare,

quæ

quæ dicimus Sanctificantia. *Quid enim per has diversas aromatum species significatur, nisi sanctarum virtutum odor?* Gregor. M. h. l. eaq; recensent quidam hoc ordine: Fides, Spes, Charitas, Patientia, vel Temperantia, Sapientia cum Prudentiâ. Verùm jam monui; in Horto Salomonio non nudos fructus fuisse, sed & plantas, ex quibus & in quibus isti. Deinde & hoc puto daturos æquos auditores; eam horum videri verò proximam explicationem, quæ non ex communibus horum aromatum proprietatibus sumitur, ut ex quolibet possit fieri quodlibet, v. g. ex Nardo spes, humilitas, prudentia, & pro Dominicâ passione gratiarum actio; sic enim de hoc, & de aliis, alia atque alia Interpp. statuunt: Quamobrem 1. Quia *Copher expiationem* denotat, in Cypro intelligo *Verbum Evangelii*, remissionem peccatorum & gratiam DEI annunciantis: cujus fructus est Fides. Sic ex Cassiodoro Rabanus: *Cyprus arbor aromatica est, significans cælestis gratiæ benedictionem.* At 2. *de Nardo* jam dixi esse Symbolú *S. Eucharistiæ*, per quam in fide confirmati spem concipimus incorruptibilitatis & vitæ æternæ. Sic Nardum dixit Rabanus *typum esse Dominicæ Passionis*, cujus in hoc Sacramento celebratur ἀνάμνησις: quod verè inter omnia DEI dona summum est, ut nardus domina aromatum. Jam 3. *Crocinum* unguentum gratia Spiritus Sancti est, sine quo nec sapit epulum istud mysticum, neque salubre est, omnem tristitiam fugans, de quo Psalm. 23. 5. *Nam neq; frumentum carnis,*

R *sine*

sine vino sufficit sanguinis, neq; caro aut sanguis sine oleo Spiritus Sancti prodest nobis, imò magis officit, Paschasius de Corp. & Sang. Dom. cap. 56. Ita ergo *accipimus panem, qui confirmet cor nostrum; accipimus vinum, quod latificet cor nostrum, & duabus confirmationibus cordis acceptis, exhilarantur facies nostra oleo Chrismatis*, Arnobius in Psalm. 104. Hoc autem Croco inter alia quoq; tribuitur, quod lætum colorem floridumque faciei conciliet. Sic *Crocus charitatis fervorem exprimit*, ut ex Cassiodoro iterùm Rabanus: quæ & calcari atterique gaudet; & ut pati pro Christi gloriâ gestit; sic inter adversa crescit. Inde 4. *Calamus* quotidianæ renovationis, & 5. *Cinnamomum*; dulcis animæ quies, ac *nidulus* quasi, in dulci ligno crucis: in quo & vivere delectat & mori, de quibus suprà cap. 7. num. 5. & 6. & 7. Repete de his dicta, & intelliges, quàm aptè quadrent. Quæ supersunt *Tres arbores aromatica*, ad tres Ecclesiæ Hierarchias spectant; Thus *ad Chorum*, Myrrha *ad Forum*, Ahaloth *ad Thorum*, ut ex dictis dicendisque patebit, de quibus illud tritum:

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora!

CAP. IX.

De Thure, Balsamo, & Casiâ.

1. THuris S. Literæ nobis præbent definitionem, divisionemque, & usum indic-

ac abuſum. 1. *Definitio* naturam, nativumq; ſolum complectitur. Naturâ, lacryma eſt arboris aromaticæ: ſolo, amat colles & in Sabæâ naſcitur. *Arborum thuris* in horto Salomonis aromatifero mentio modò facta eſt cap. præced. Cantic. 4. 14. Pulchras & amœnas, quâ adſpectu, quâ odore, eſſe Siracides innuit, cùm in formâ proverbii ait, cap. 50. v. 8. ὡς βλαστὸς, λιβάνου ἐν ἡμέραις θέρους, id eſt, *ut thus redolens*, Vulgat. vel velut germen, arbuſcula, thuris, *tempore æſtatis*: quo ſolis æſtu icta vehementiùs fragrat, gravida ſucco odorato, ut mox audiemus. De Patriâ, regione thuriferâ, vide Eſa. 43. v. 23. cap. 60. v. 6. Jerem. 6. v. 20. Thuriferos colles, Cantic. 4. v. 6. Illuſtrat hæc Plinius l. 12. cap. 14. *Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem univerſæ*: propria Sabæis &c. *Colles attolluntur alti, decurruntq; & in plana arbores ſponte natæ. Nec arboris quæ ſit facies conſtat. Alii folio pyri, minore duntaxat, & herbidi coloris prodidêre: alii lentiſco ſimilem ſubrutilo: quidam terebinthum eſſe. Cortice lauri eſſe conſtat, quidam & folium ſimile dixêre. Talis certè fuit arbor Sardibus. Nam & Aſiæ Reges ſerendi curam habuerunt.* Sic *& in Carmaniâ, & in Ægypto ſerebantur ſtudio Regum Ptolemæorum.* Ut nemo miretur, ſi ante hos omnes Regum Sapientiſſimus ac ditiſſimus ſuæ ætatis Salomon in Judæam tranſtulit. Inter recentiores nemo certiùs deſcripſit Garſiâ: *arbores eſſe humiles, folia habere lentiſco ſimili[illegible], peculiares eſſe Arabiæ*, lib. 1. cap. 6.

2. *Differentiam* indicat S. Scriptura epitheto, *Lebbonà Zakkà*, quod est λίβανος διαφανὴς, LXX. *thus pellucidum*, purumque, Exod. 30. 34. unde *Zechuchit*, vitrum. Hinc nomen non à λίβω, stillo, sed ex Hebræo, quod propriè *album* significat; unde & mons Libanus, propter perpetuas incumbentes nives. Arabes etiam nunc *Conder* vocant, sicut & prisci, Scaliger Exercit. 149. frequentius tamen, ut notat Garsias, *Jovan*. Nam *Conder* resinam notat. Sic Dioscorides optimum λίβανον ait appellari *Stagoniam*, q. d. guttæ similem, *suaptenaturâ rotundum, & candidum, masculum* Latinis. *Indum autem*, non à solo; sed à colore, *livescere & fulvescere*. Garsias: *Montana*, inquit, *arbor montibus confragosis provenit, optimumq́; thus profert: in planis verò nascens thus profert nigrum, improbum, quo cum aliarum arborum resinis permixto naves picant & oblinunt, uti nos pice solemus. Arbores illius Provincia Regi cedunt, nec cuiquam thus colligere licitum est, nisi Regis permissu. Legitimum laudatumq́; Melato appellant*: fertè à *Millath*, plenitudine, & perfectione. Thus Latinis ἀπὸ τοῦ θύειν, ut Germanis Weyherauch / q. d. Sacrum suffimentum, thymiama. Nam weyhen est sacrare.

3. Sic indicatur *Usus* antiquissimus, ad suffitum & libamina, Levit. 2. v. 4. 12. 15. cap. 6. 15. & cap. 24. 7. unde *Dis gratissimum* dicitur à Diodoro Sicul. l. 2. cap. 49. *Alexandro M. in pueritiâ sine parsimoniâ thura ingerenti aris, pædagogus Leo-*

Leonides dixerat, ut illo modo cùm devicisset thuriferas gentes supplicaret: At ille Arabiâ potitus thure onustam navim misit ei, exhortatus ut largè Deos adoraret. Ipsi Arabes convecto thure Sabotam, ibi *Deo, quem vocant Sabin*, decimas pendunt; nec ante mercari licet. *Sacros* vocant, quibus in arbores jus est; *qui cùm incidunt aut metunt, nec fœminarum congressu, nec funerum polluuntur. Silva divisa certis portionibus mutuâ innocentiâ tuta est, neq; ullus saucias arbores custodit: nemo furatur alteri*, Plin. loc. cit. In populo DEI, *sacrificia* & oblationes, quibus *oleum & thus adspersum*, erant *Sanctum* quid DEO, & gratum: quibus ista non adspergebantur, non erant per se accepta, sed abominabilia, ut ll. cit. & Levit. 5. 11. Num. 5. 15. Qui pro peccato expiatorium sacrum facit, neque securè de gratiâ præsumat, & oleo potius misericordiæ indigere se intelligat, atque indignum esse, qui DEUM precetur. *Petat, quasi non petendo, & speret, sed quasi desperando: dùm & se veniâ indignum confitetur, & tamen solâ Dei misericordiâ fieri posse credit, ut salvetur*, Radulph. Flaviacens. in Levit. h. l. In sacrum hunc usum thus & aromata in Gazophylacio Templi, sub custodiâ Levitarum quorundam, asservabantur, 1. Paralip. 9. v. 29. Nehem. 13. 5. 9. Multa de hoc usu thuris Stuk. de Sacrif. p. 54. & seq. & alii.

4. Hinc *abusus* Idololatricus ortus, cùm Deos nemo sine thure ferè precaretur, ut 1. Reg. 11. v. 8. & cap. 13. v. 1. 2. Paralipom. 28. 25. Ezech.

c. 6. v. 13. & cap. 8. v. 11. Esa. 66. v. 3. 1. Maccab. 1. v. 58. & cap. 2. v. 15. *Iliacis temporibus*, ut putat Plinius, *nondùm thure supplicabatur*, l. 13. cap. 1. *Novella res erat*, ut ait Arnobius, *nec heroicis temporibus quidnam thus esset scitum. Ne Romulus quidem, aut in religionibus comminiscendis artifex Numa, aut esse scivit, aut nasci, ut pium far monstrat*, &c. l. 7. adv. Gent. A Judæis κακοζηλία Diaboli translatus est abusus ad alias Gentes, & inde in Ecclesiâ hæsit: ubi tamen ignorari nec debuit, nec potuit, aliud esse DEO nostro in Christo acceptum thus, alias lacrymas. Ostendi debebat, quod DEUS *non indignè sustineat Panchaicas sibi ardere resinulas. O Pietas, quantus iste est honor, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, & resinâ ex arboris comparatur?* Arnob. loc. cit. Nos offerre decet *opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit; Orationem de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu Sancto profectam: non grana thuris unius assis, Arabicæ arboris lacrymas*, Tertullian. Apolog. cap. 30. Sic prisca censebat simplicitas. *Hoc thus illud est odoris optimi, quod Gentes afferunt Deo & offerunt*, Esa. 60. 6. *dicentes: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, Hieronym. in Esa. h. l. vide eundem in cap. 66. v. 3. adde 1. Reg. 10. v. 2. 10. Jerem. 17. 26. cap. 41. 5. Baruch. 1. v. 10. Sic Magi mysticè offerebant, Matth. 2. 11.

Aurum, thus, myrrham, Regiq́, Deoq́, hominiq́.

De loco Cant. 3. 6. & 4. 11. suprà. Sed & thuris

thy-

thymiama *Symbolum* esse *precum*, gratiarum actionis, & divini cultus dixi, ex Apocal. cap. 5. v. 8. ac cap. 8. 3.

5. Placet hoc argumentum paucis expolire. 1. Ut thus odorata lacryma est arboris Arabicæ; *Sunt autem* τὰ δένδρα τὰ λιβανοφόρα, *ligna thurifera, nec alta nec magna, sudant thus in cortice concretum; ut alia quadam* δακρύει τὸ κόμμι, *lachrymantur gummi*, Arrianus in Periplo Erythr. Sic preces & lacrymæ connexa sunt, Thren. 2. v. 18. Thus 2. duplex est: arborum montanarum *candidum*, masculum: earum quæ in planis sitæ sunt, *nigrum* & improbum, pici simile; Aliter orat Publicanus in angustiis, aliter Pharisæus felix, Luc. 18. 10. Et ut illud non fluit nisi *ab arbore sauciâ*; sic Oratio non nisi è saucio corde, Ose. 6. 1. 2. Bis inciditur arbor, bis metitur thus: *Prior atq. naturalis vindemia circa canis ortum fragrantissimo æstu: autumno legitur ex æstivo partu. Hoc candidum, purissimum. Secunda vindemia est vere, ad eam hyeme corticibus incisis. Rufum hoc exit, nec comparandum priori*, Plinius l. 12. cap. 14. Inter piorum quoque preces discrimen est ingens; fragrantissimas exprimit fragrantissimus æstus, Esa. 26. 16. Psalm. 77. v. 4. nec fumum dant qui cœlos petat, nisi *super prunis* Apocal. 5. v. 8. Esa. 6. v. 6. Pertinent huc *venti*, qnibus agitatæ arbores uberiùs lacrymantur, Cantic. 4. v. 16. de quo S. Analect. Volum. 2. l. 6. cap. 15. Jam 3. si locum spectemus;

mus; Soli Arabiæ & quidem Sabææ thus peculiare fuit;

--- Solis est thurea virga Sabais!

quibus *à mysterio*. ut vult Plinius, vel *à religione* potius nomen, ut & σέβειν, ab Hebræo *Zaba*, religionis causâ convenire. Sabæa Ecclesiæ Typus est, Esa. 60. 6. Deus, quem Arabes *Sabin*, vel cum articulo *Assabinum Jovem* dixerunt, est qui in Ecclesiâ colitur, non hic aut illic, sed toto orbe, Joh. 4. v. 24. Porrò 4. ut oratio sit Sacrum thymiama, accedant oportet alia adoramenta, quæ in figurâ olim præscripta Exod. 30. v. 34. de quibus cap. 7. num. 8. Hæc nobis præbet summus Ecclesiæ suæ Pontifex, qui & preces nostras Deo offert, Apocalyp. 8. 3. ubi Albertus M. *Sancti orationes suas committunt Christo, qui eas Patri offerat: ipse eas reddit acceptas*. 5. Thus olim soli legebant *sacri homines*, Plin. aliter Arrianus in Periplo: *à servis Regis, & ad supplicia damnatis colligi: nam loca esse insalubria, ut & prætervehentibus pestem afferant, & operariis sint πάντως θανατώδη: adde quod ob penuriam cibi non pauci intereant*. Putare possis ad Apostoli verba respexisse, 1. Cor. 4. v. 9. 10. 11. Sic sunt, qui thuriferas arbores DEI curant, thuraque in Gazophylacio custodiunt. 6. De thuris efficaciâ & viribus Dioscorides: *Oculorum caliginem discutere, cava ulcera complere, & ad cicatricem perducere, cruenta vulnera glutinare*, &c. Matthiolus: *Fugare tristitiam, lætificare cor, & convenire omnibus ejus affectibus*. Eadem

præstat

præſtat *manna thuris*, ſed minùs validè. *Micas concuſſu eliſas manna vocamus*, Plinius. *Sanis tamen hauſtum thus inſaniam movere dicitur, & largiùs cum vino potum interficere*, Dioſcorid. vide 3. Maccab. 5. v. 1. 30. & quæ de eo loco dixi in Arboreto cap. 36. num. 5. Quæ ad preces applicare non difficile eſt. 7. Novit infernalis Draco earum vim; itaque quâ poteſt impedit. Sic fabulabantur veteres, *thuriferas arbores obſervari ab anguibus alatis; ſolo ſtyracis fumo ſubmoveri poſſe*, Herodot. l. 3. Styrax crux Chriſti eſt, ut in Arboreto cap. 10. num. 3. vide Geneſ. 15. 11. Denique 8. facit huc, quod in Fabulis quoque eſt, *Libanum adoleſcentem Dei timentem, ſacraq; colentem fuiſſe: qui invidiâ occiſus, in arborem thuris mutatus fuerit*, ut habet Auctor Geoponicôn. Et illud quod Arrianus loc. cit. *in Sachalitico Arabiæ ſinu, thus in cumulos aggreſtum jacere ἀφύλακτον, Deo quodam locum tuente; ut ſi quis vel unicum granum, ſine Regis permiſſu, in navem intulerit, ea loco moveri nequeat, à Dæmone quodam retenta.* Qui precibus piis ſtudet, evadet arbor immortalis, Apocalyp. 22. 2. Eſa. 61. 3. theſaurumque ſtruet, quem rapere nemo poſſit, Matth. 6. 20. Auguſtus, *quo lecti probatiq; Patres & religioſiùs & minore moleſtiâ, ſenatoria munera fungerentur, ſanxit; ut priùs quam conſideret quisq;, thure ac mero ſupplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur*, Sueton. c. 36. Religioſi *Lari* familiari *quotidiè aut thure aut vino ſupplicabant*, Plautus in Aulular. vide Exod. 30. 7. Sed de thure ſatis.

6. Balsamum, varia apud Hebræos nomina habet: Talmudici arbusculam, *Apharsemon*, lacrymam *Opopolsimon* barbarè vocant: Thargum in Cantic. *Balsemon*. Sic *Natèph* & Chald. *Netupha*, explicant opobalsamum, & *Pannàg*, quod esse opopanacem in Herbario ostendi, & *Zeri*, quod resinam suprà: pro eo Chaldæus Jerem. 46. v. 11. posuit שעיף *Scheip*, unguentum vulnerarium, &c. Inter tot nomina, quod mirum, nullum Hebræum apparet, vel proprium; nam *Zeri & Nataph* generalia sunt; vel antiquum; nam *Balsamon*, quod & *Palsamon* scribunt, recentius ac à Græcis mutuatum est: vel vernaculum; nam *Opopolsimon* Græcæ originis esse constat: unde & מסטכי *Stacte*, & פילון *Pilon*, φύλλον, *Malabathrum*, *Tamalapatra* vocant Indi in Oriente, nec in Syriâ aut Ægypto nascitur, de quo Stukius in Peripl. Arriani,& Jonstonus l. 3. cap. 5. de Arbor. Aromaticis. Nec in ullo Canonico Scriptore Biblico distinctum nomen occurrit: apud Siracidem Latinum legitur cap. 24. & Ezech. cap. 27. de quibus deinceps. Putant tamen Interpp. aliquando κατ' ἐξοχὴν *Schemen* dici, & cum epitheto significante excellentiam: unde & fortassis *Balsamon*, q. d. Dominum unguentorum: uti *Nered*, nardus, ut diximus, quasi domina aromatum.

7. Atque id quidem indubium, vocabulo *Schemen* non tantum vulgare oleum appellari; verùm etiam pretiosum aliquando unguentum.

Hoc

Hoc enim illud est *Schemen*, quo convivæ solebant perfundi: de quo David Psalm. 23. 5. *Impinguâsti oleo caput meum*, ἐλαίῳ, LXX. alii unguento. Hoc est *Schemen Sason*, oleum lætitiæ, Psalm. 45. 8. Esa. 61. 3. ubi LXX. ἄλειμμα εὐφροσύνης, ἔλαιον ἀγαλλιάσεως: *oleum effusum*, odoratissimum, optimum, Cantic. 1. 2. quod de Balsamo accipi potest, ut mox: Quod oleum cum *Ketoreth* jungitur, ac *cor lætificare* dicitur Proverb. 27. 9. Ezech. 23. 41. ac cap. 16. 18. ubi in priore loco LXX. habent μύρα, in posterioribus sermo est, de sacro oleo unctionis, quod soli DEO proprium. Confer. Eccles. 9. v. 8. & 10. v. 1. ubi *Schemen Rokeach*, oleum pigmentarii, est unguentum, Vulgat. LXX. habent σκευασίαν ἐλαίου ἡδύσματος. Aliquando tamen *Schemen* præstantissimum quoddam unguentum, & adeò *Balsamum*, significare videtur. Sed hoc duplex est: aliud *compositum*, quod dicitur *Schemen Hattobh*, unguentum optimum, *descendens à capite in barbam Aaronis*, Psalm. 133. 2. de quo suprà ex cap. 30. Exodi: aliud *simplex & purum*; quod fortè *Schemen rosch*, unguentum præcipuum, Psalm. 141. 5. *Reschith Schemanim* primum unguentorum, Amos. 6. v. 6. & aliquando *Schemen tobh*, Eccles. 7. 2. *Schemen Hattobh*, unguentum optimum, quod ab aliis *Bessamim* unguentis clarè distinguitur, 2. Reg. 20. 13. Nuspiam tamen his omnibus locis vel apud Græcos Interpp. vel apud Vulgatum, nomen Balsami reperire est: neque etiam alibi, quod

quod admiratione dignum est: nisi quod Vulgatus posuit, Sirac. 24. v. 20. 21. ubi in Græco nullum vestigium, & Ezech. 27. 17. pro *Pannàg*, ubi LXX. μύρον habent; Aquila, Symmachus & Theodotion φαννὰγ retinuerunt.

8. Quærendum igitur adhuc restat; utinam expressa Balsami mentio fiat in S. Codice? & cur adeò vel obscura, vel nulla? an quod rarum in Judæâ, seroque cognitum fuerit, nec in usu præterquam Regum? Audiamus Scriptores extraneos, quantum quidem huc spectat. *Formam* arbusculæ, de quâ alioquin variant, optimè expressisse videtur Dioscorides: *Esse magnitudine albæ violæ, aut Pyxacanthæ: folium rutæ proximum, candidius tamen & perpetuò virens.* Bellonius l. 2. Observat. cap. 39. accuratè descripsit; *Trium cubitorum altitudinem non superare; eumq́; pedali altitudine est, in multos graciles ramos, anserinæ pennæ caule haud crassiores, fundi findiq́: nisi quotannis putetur, ut vitis, degenerare, &c.* Pluribus Prosper Albinus & recentissimus Jonstonus l. 6. de Arbor. lachrym. cap. 4. *Patria illi Arabia est, ubi & hodiè provenit nullâ culturâ: unde & etiam nunc ramusculorum integri fasces Cayrum deferri solent.* Veslingius. *Balsamum tamen illud, quod ex Arabiâ Memphim plenis lagenulis advehitur, non est lacryma, quantumvis odoris suavitate gratum admodum sit: minimum etenim ejus ex plagâ corticis destillat, maxima pars ligni frondiumq́; decoctione conflatur.* Idem addit: *Non esse nugamentum, quod habet*

Pau-

Pausanias, Arabes olim viperis, circa Balsamum hospitantibus, vim omnem tanquam sacris abstinuisse: Se enim observâsse, quod plures proserpentes illas bestias deprehensas domi suæ, ceu Genios loci, venerati fuerint, victumq; illis suppeditaverint: Quod quidam veterum scripserint, ferro tactum fruticem emori; *non de indigeno, & patriam terram validâ jam stirpe complexo; sed de tenellâ plantâ, & in alieno solo languidiùs adulta accipiendum esse.* Hæc recentiores.

9. Ex quibus de antiquorum narrationibus ferri potest judicium. Josephus de Reginæ Æthiopiæ & Ægypti, quam *Nicander* ait fuisse, ad Salomonem adventu post alia: *Ajunt*, inquit, *quod Balsami plantam, cujus hodiè quoq; ferax est regio nostra, illius Reginæ munificentiæ acceptam ferri oporteat.* Strabo quoque l. 16. *apud Sabæos* natam olim testatur: & Dioscorides suo ævo *in Ægypto*: ubi & hodiè colitur *in Materea horto propè Cairum*, satis tamen negligenter: In Judæâ hodiè nusquam. *In Europam nec lacryma, opobalsamum, nec semen, Carpobalsamum, nec lignum vel cortex, Xylobalsamum, importantur, nisi adulteriis vitiata*, Matthiolus. Nondum tamen desiisse, & in magno esse pretio, docet contra Cardanum Scaliger Exercit. 157. Plinius l. 12. cap. 25. hæc habet præcipua: *Omnibus odoribus præferri: uni terrarum Judææ concessum: quondam in duobus tantùm hortis, utroq; regio: viti similiorem esse, quàm myrto: seri etiam malleolis, & tondere fruticantem. Savière in eandem*

dem Judæi, inquit, *ſicut in vitam quoq; ſuam: contrà defendère Romani, & dimicatum pro frutice eſt. Inciditur vitro, lapide oſſeisve cultellis: ferro lædi vitalia odit: emoritur protinùs, &c.* Viperas ſub umbrâ balſami hoſpitari, ſuccoque veſci, prodit Pauſanias in Bœotic. l. 9. eas, quo tempore opobalſamum colligunt Arabes, fugare Scytalis complofis; occidere verò religione prohiberi: Si quem iciant, plagam eſſe innoxiam, veneniſque expertem. *De Uſu* aliquid ſuprà, & ſi quis plura deſideret, inveniet apud cicatos, Solinum item, & Tacitum aliosq;, Juſtinum, Theophraſtum, &c. Supereſt

10. Caſia, vel *Caſſia*, ut Græcis quoque indifferenter. Sic altera Jobi filiarum *Keziah*, *κασία*, vel *κασσία*, Job. 42. 14. plurale *Kezioth* legitur, Pſalm. 45. v. 10. ubi LXX. *κασία*: Neque alibi. Nam de *Kiddàh* jam dixi cap. num. 14. Radix קצע *Kazà*, ſignificat *abſcidit, abraſit*, vide derivata alia apud Buxtorff. in Thalmud. Schindlerus vertit: *decorticavit*. Ut de *Keziàh* quin Caſia ſit, nulla ſit ratio dubitandi. Eſt autem *Caſia* nomen homonymum: Nam & *herbam* ſignificat coronariam, & *arborem*, aliam medicamentoſam, purgatricem; aliam aromaticam. Herbam Theophraſtus *Cneoron* appellat, quam *Lavandulam* eſſe putant Dodonæus, Dalechampius &c. de qua Virgilius:

Pallentes violas, & ſumma papavera carpens,
Narciſſum & florem jungit bene olentis anethi,

Tùm

Tum Casiâ, atq; aliis intexens suavibus herbis
Mollia luteolâ pingit vaccini calthâ.

Ecl. 2. v. 50. & 4. Georg. v. 30. jubet circum alvearia seri. *Arbor* cujus *pulpa solutiva* medicis in usu est, Græcis dicitur κασσία μέλαινα: ignota veteribus, fert siliquas, de quâ h. l. non agi certum est. *Aromatica* est, quæ nostram fert *Canellam*; sivè quod vulgò hodiè dicimus *Cinnamomum*, de quo suprà. Cortex est, in fistulæ modum: unde & κασσία σύριγξ, *cassia fistula*. De hac Virgil. 2. Georg. v. 465.

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec Cassia liquidi corrumpitur usus olivi.

Propè Arabiam ἀρωματοφόρον nasci dixit Dioscorides, folio piperis: Plinius l. 12. cap. 19. *juxta Cinnami campos.* Sed in totâ Arabiâ non reperiri docet Garsias, & accuratè describit, l. 1. c. 15. nostrumque Cinnamomum esse demonstrat, de quo suo loco. Varia ejus recenset genera & describit Dioscorides: inter optima est, quæ dicitur ab Incolis, Arabibus puta, *Achy*, quod ab *Achu* Hebræorum parum distat, de quo in Palustribus herbis lib. 2. cap. 7. num. 2. & altera, quæ *Zigir*, vel potiùs *Gizir*; *Gazar* autem significat Chaldæis & Syris, *circumcidere.* Inter viliores recensetur, dicta *Darca & Kitto.* *Daraca* scutum, vel pelta dicitur Arabibus, cui fortè similis Casia non fistulæ modo convoluta. *Kitto* fortè *Kiddah* est, quod Casiam interpretati sunt quidam, ut paullò ante dixi hoc num. Neque pluribus hîc opus est.

CAP.

CAP. X.

Paralipomena, de Lentisco, Mastiche, Amomo, & Siracida loco, Cap. 24.

1. Lentiscus *Mastichen* ferens, resinam Lentiscinam, in Chio insulâ frequens arbor, *tantoq; in honore est, ut si quis exscindere ausus fuerit, manu resectâ multetur.* Toti enim ferè Europæ Mastichen Chios sufficit. Quanquam alibi quoque nascatur, etiam in Italia; verùm & rara, neque par bonitate. Baccas fert σχίνδας Hippocrati, dictas, de quibus Aratus in Phænom. & exinde Cicero apud Plinium l.18. cap. 25.

Jam verò semper viridis, semperq; gravata
Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu:
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.

Ipsa arbor Græcis σχῖνος, quasi σχίσις, *fissilis*, quod facile & frequenter findatur in *dentiscalpia*, Matthiolus & Bauhinus ad Dioscoridem 1. cap. 75. Hinc paronomasia illa *in Fragment. Danielis*, de Danielis judicio adversus Susannæ accusatores. Quam Africanus non sine ratione censuit argumento esse, quod ea historia, si tamen vera, à Græculo aliquo conscripta fuerit; quod similem

lem in nomine allusionem Hebræa Lingua non capiat. Ea nec hodiè vernaculum nomen habet Lentisci aut Mastiches. Hujus Græcum exprimunt Rabbini; ut & Hispani, quòd ab Arabibus accepisse articulus docet; *Almastiga* dicunt; vide Buxtorff. Thalmud. Neque quisquam Lentiscum, ut puto, Babylone notam ac frequentem fuisse commemorat. Nam *mastiche* illa, quam Plinius dixit *in India & Arabia* fieri, non Lentisci, sed spinæ fructus est: ut quæ in *Asiâ & Graciâ*, herbæ, Chamæleonis albi, l. 12. cap. 17. ubi Dalechamp. Verùm de his satis.

2. Amomum, Apocalyp. 18. v. 13. *Post Cinnamomum Complutens. & alii codices addunt; qui est frutex in Assyria & Armeniâ, habens florem instar candidæ violæ, colorem ad aurum inclinantem, lignum rufescens, odorem suavissimum: unde Lactantius in Phœnice:*

Cinnama dehinc auramque procul spirantis amomi

congerit, *ut iis nidum, semetipsumq; comburat: & Ovidius 15. Metamorph. ait Phœnicem* amomo succo vivere. *Verùm amomum hîc nec habent Biblia Romana, nec Græca*, hæc ibi Cornel. à Lap. De Amomo &, quod ei nomine ac frutice simile esse ait Plinius l. 12. cap. 13. Cardamomo, lis est inter Medicos, Garsias l. 1. cap. 31. Linguâ Arabicâ *Hamama* appellari refert, quod significet *pedem columbinum*; ramu-

lumque sibi donatum, licet jam siccum, Columbarum pedem, plumatum, puta, retulisse. *Hamam* incalescere significat : *Ham*, calorem. *Hammim*, Termas, *Hammàh*, Solem, unde *Hammon*, Jupiter. Hinc *Hamima* apud Schindlerum Columba, *seipsa dehamimatha*, Stercus Columbinum: Et ratio, cur credita fuerit

Alba Palæstino sancta columba Deo?

Tibull. 1. Eleg. 7. quod scilicet propter naturam calidam Solaris avis haberetur. Inde itaque χάμαμα amomum περιστερεὼν, in Lexico Græco-Arabico, &c. Dioscoridi frutex pusillus est, palmi longitudine, οἱονεὶ βότρυς ἐκ ξύλου ἀντεμπεπλεγμένος ἑαυτῷ, *similis racemo, ex ligno in se undiq; implicitus & convolutus. Friati* pulvis unguentis addebatur, quibus defunctorum cadavera *lutata*, ut diximus ex Persio; quo pertinet illud Ovidii:

Spissaq; de nitidis tergit amoma comis.

3. De Phœnice Ovidius loc. cit. 15. Metamorph.

Una est quæ reparet, seq; ipsa reseminet, ales,
Assyrii Phœnica vocant; nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & succo vivit amomi.

Dixi Jobum meminisse niduli ejus in S. Analectis, Volum. 1. pag. 164. Mihi, *præfiscini!* imitari ingenium & industriam libuit. Sic enim puto decere Bonas Mentes, ut non aliundè vivant. Verbum DEI, sacris literis proditum,

&thus

& thus, & lacrymas, & amomi ſuccum omniaque unguenta, & condimenta ſuppeditat largiſſimè. *Ego*, inquit Sapientia quæ ibi habitat, *ſum, ſicut Cinnamon*, καὶ ὡς παλαθὸς ἀρωμάτων, *ut maſſa aromatum, ut myrrha electa dedi* εὐωδίαν: ὡς χαλβάνη, καὶ ὄνυξ, καὶ στακτὴ, καὶ ὡς λιβάνου ἀτμὸς ἐν σκηνῇ. Vulgatus vertit: *Sicut Cinnamomum, & balſamum aromatizans, odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris: & quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporari habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.* Multa miſcuit, quæ in Græco non apparent, de quibus vide ibi Cornel. à Lap. in Siracid. cap. 24. v. 20. 21. Quicquid ſit, S. Scripturam Nidum quendam Aſſyriæ avis fecit Auctor:

Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaq; cum fulva ſubſtravit Cinnama Myrrha,
Se ſuperimponit, finitq; in odoribus ævum.

Equidem ita vivere opto, ita mori! Denique nunc quoque hortulum hunc herbarium & aromaticum, quaſi nidulum, inter multa acerba & triſtia, variasque tempeſtates vitæ, in quo interim quieſcerem, compoſui, ut quivi, quando ut volui non licuit: Eum, quemadmodum Phœnix *pius fert*

-- cunasq; ſuas, patriumq; ſepulchrum.

Perq; leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores sacras Hyperionis æde reponit;

quam fabulam recenset pluribus Achilles Statius l. 3. de Amoribus Clitophont. & Leucipp. sub finem; in usum juventutis, Theologicis studiis deditæ, LMQ. Soli Justitiæ consecratum hîc liceat dicere,

Ante fores sacras Hyperionis æde repone!

DIXI.




JOH. HENRICI URSINI
SYLVA
THEOLOGIÆ
SYMBOLICÆ,

In quâ

Ducenta Sacræ Scripturæ dicta totidem Symbolis ex rerum maximè cœlestium & terrestrium inanimatarum naturâ petitis illustrantur, additisque pulcherrimis variorum Scriptorum Sententiis breviter explicantur.

Bono Juventutis & quibus erudita Pietas animi pabulum est.

Cum Indice Alphabetico Symbolorum.



Flos Juvenum elegantiorum.

TRia vos ex me ſcire cupere, animus præſagit: Quid feram minusculi? cur mea in eo deſudare voluerit aliquantula induſtria? & quamobrem vos eo dignari viſum ſit? Ne vos per ambages & longa exorſa detineam, accipite. Munuſculum, *Sylva* eſt. Titulus libello non quæſitus, nec faſtuoſus. Non placuit imitari feſtivitates inſcriptionum, aut polliceri *lactis gallinacei haustum*. Qui variam & miſcellam & quaſi confuſcaneam doctrinam conquiſierant, titulos indiderunt libris ſuis, alii *Muſarum*, alii *Sylvarum*, ut AGellius commemorat l. 20. Noct. Attic. cap. 10. hos ſequutus Sylvam inſcripſi libellum hunc meum, & quidem *Theologiæ Symbolicæ*; *Theologiæ*; nam quicquid hîc legetis, vel ad Fidem vel ad Mores ſpectabit, quo in ſpatio Theologiæ ratio omnis decurrit: *Symbolicæ*; quia allatis ex claſſe rerum Cœleſtium & Terreſtrium inanimatarum Symbolis, credenda, facienda, ſperanda, quaſi pingo, & illumino. Non nova eſt hæc docendi ratio, non χθὲς ἢ πρώην inventa. Primus ejus conditor eſt, qui & Mundi, quem ita conſtituit, ut eſſet διδασκαλεῖον ψυχῶν λογικῶν καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον, ut loquar cum

Baſilio

Basilio Hom. 11. Hexaëm. Apulejus de Mundo scitè: *Phidiam illum, probum quem fictorem fuisse tradit memoria, vidi ipse in clypeo Minervæ, quæ arcibus Athenienfibus præsidet, oris similitudinem colligâsse; ut si quis olim artificum voluisset exinde imaginem separare, solutâ compage, simulac totius incolumitas interiret. Ad hoc instar mundi salutem tuetur Deus, aptâ & revinctâ sui numinis potestate.* Itaq; quicquid in cœlo, quicquid in terrâ oculos vestros ferit; sic habetote, quasi picturam, quæ Dei vobis vel notitiam vel cultum aliquo modo coloribus nativis repræsentet, & mente visibilibus ad invisibilia elevatâ cum Hermete illo, quem Ter maximum dixêre, suspirate: *Ubi te quæram Deus? an in iis quæ sursum sunt? an in iis quæ deorsùm? creasti omnia: nec est aliud universa hæc natura, quàm imago Tui!* Hinc veteres sequuti Dionysium, qui tamen non vero nomine Areopagita cognominatur, *duplicem* fecêre *Theologiam*; alteram *Apodicticam*, quæ ex claris & propriis S. Scripturæ oraculis, quid de Deo deq; rebus divinis statuendum sit, demonstrat; alteram *Symbolicam*, quæ id per tropos, similitudines, imagines, & Symbola illustrat. Sed de Symbolorum origine, propagatione, usu & totâ ratione longa dicendi tela est, hoc in loco mihi non detexenda. Ea quæ hîc videtis, omnis generis Scriptores quasi ἐρανισαὶ contulerunt, alia à rerum naturâ, alia à gentium institutis, alia ex Sapientium fabulis & vulgo tritis sermonibus translata.

Nihil in Classicorum autorum scriptis frequentibus

tibus occurrit: hæc apud optimos quosq; *orationum condimenta* ſunt. Plutarchum legite, quem Eunapius Sardianus πάσης σοφίας Ἀφροδίτην vocavit, quantum huic generi inſit lenocinii, quantum illecebrarum agnoſcetis? Nam cur ego vos ad Platonem amandem? cur ad Dionem Pruſæum, cui iſtud orationum aucupium, quo Lectorem capit & tenet, Chryſoſtomo nomen fecit? Quid reliquos memorem, Maximum Tyrium, Lucianum Samoſatenum, & quicunq; apud Græcos eloquentiæ laude floruerunt? Tolle hæc ornamenta ex Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini & inprimis Gregor. Rom. cui M. cognomen additum, monumentis, ſic erunt, ut campus ſine floribus, ut diadema ſine gemis, ut cœlum ſine ſideribus. Quid? quod ipſe Dei ſermo has elegantias non reſpuit: reſpuit verò? cujus σεμνότης vel maximè hoc genere conſtat. Legite quæ de Claſſe Sublimium S. Scripturæ dictorum ſcripſit Chriſtoph. Agricola in Propugnac. ſuo AntiPiſtoriano, aut quæ delibavit ex eo D. Mich. Walther. in Offic. Bibl. §. 166. p. 199. Moſen Ægyptiorum Sapientiam calluiſſe, & inprimis τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ut ait Philo in vitâ Moſis, affirmat Martyrum primiceriusS. Stephanus, loquuntur ſcripta ipſa. Quid David? cujus *Pſalterium eſt*, ut ait Caſſiod. de Divin. Lection. c. 4. *quædam cœleſtis Sphæra, ſtellis denſa micantibus, & ut ita dixerim, quidam pavo pulcherrimus, qui velut oculorum orbibus, & cœlorum multiplici & decorâ varietate depingitur.* Nam Salomonem cur commemorem? quem S. Hiſtoria de omnibus arboribus, quadrupedibus, volucribus,

repti-

reptilibus, & piſcibus diſputâſſe celebrat. Atque equidẽ jam olim legeram Hori, quem Pierius Valerianus & Cœlius Auguſtinus Curio ſequuti ſunt, Hieroglyphica ab Hœſchelio edita; Phornuti, Palæphati, Fulgent. Mythologias, quo in genere palmam tulit Natalis Comitis ingenioſa induſtria, Albrici imagines, Symbola quoq; & emblemata variorũ manibus triveram; at ut ipſe quoq; aliquid ſimile conarer, nunquam in mentem venit. Primus ad æmulandum, --- *ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι*, extimulavit *Nicol. Cauſſinus*, cujus *Polyhiſt. Symbolicus* Coloniæ editus An. 1631. cùm in manus meas veniſſet, & multa jam tùm, cùm primum adſpexiſſem, ſimilia aut alia animo occurriſſent, chartam mundam paſſim interſerendam curavi, cui ſi quid legenti notatu dignum videretur, obiter commendarem. Is enim mihi à multis annis mos eſt, ut poſt graviores curas animo meo nonnunquam aliquod quaſi friguſculum indulgeam, & in agro Dominico delaſſatus ad amœna illa literarum, quibus à puero innutritus eram, deflectam; ſic tamen, ut ſemper Scopum, quem vitæ meæ Deus præfixit, ante oculos habeam, & ſi quid, dùm horis iſtis ſubceſſivis, quas reficiendo animo ſuffuror, apis more modoq; varios authores pervolito, rarum, elegans, jucundùm obſervem, ad aliquem ſacrum locum uſumq; referam. Ergò cum ſuperiore anno inopinatâ chariſſimorum, Conjugis primò ſuaviſſimæ, cum quâ ita vixi, ut in gratiam redierim nunquam, deinde Fratris conjunctiſſimi, morte perculſus, aliquod malorum à bonis literis delinimentum peterem,

fortia tamen & solida, ut fieri amat, fastidirem, è collectaneis illis meis aliquot Symbolorum centurias confeci, duasq; primas nunc tandem exire in publicum jussi; sequentur reliquæ de animalibus, de plantis, cum miscella farragine historiarum parabolicarum, si hæ placuerint. Tibi verò, flos adolescentum delibate, hoc opusculum dono do; primò ut Pietatem vobis bonosq; Mores hoc quasi erudito lusu instillem. Habetis hîc sexcenta ferè sacra & profana, Prophetarum, Apostolorum, Patrum, Philosophorum dicta, omnia sesamo & papavere condita, uti

--- pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore.

Non dubito lecturos vos cum voluptate, dicturosque subinde:

Quàm lepida leveis, composta ut tesserulæ omnes
Endo pavimento atq; emblemate vermiculato!

Interim sese sensìm animis vestris insinuabit Amor honesti, Odium vitiorum. Deinde, ut Ulyssis socios finxit Homerus *gustatâ loto* redire ad navim noluisse; sic spes est vos, libatâ semel amœniorum literarum dulcedine, ad nuces & crepundia & ad reliquas, quibus *multicupida*, ut ait ille. *Juvenilitas* capi solet vanitates, non redituros. Quam jucundum est libero pede ferri per lætissimos Græcorum Latinorumq; hortos, & ex omni qs. pulvillo petere aliquem coronariũ flosculum:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.

Patent Musarum fores; ingredi si libet, licet! De emolumento securos vos esse jubeo. Quid enim? nonne

nonne hic ipſe tam exilis libellus monere poterit, quàm fœdè multi in ſacrarum literarum explicatione hallucinentur, eò quod Græcorum Latinorumq; monumenta olim diligentiùs pervolutare contempſerint? Veſtræ ætati convenit labor iſte, nunc, nunc ſatagite! hæc ſtudia quaſi quædam ſunt προπαιδεύματα, quibus imbuti animi veſtri gravioribus ſtudiis deinceps faciliùs tingentur. *Uti enim qui purpuram volunt, ſufficiunt priùs lanam medicamentis quibusdam; ſic literis aliisq; doctrinis ante excoli animos & ad Sapientiam concipiendam imbui ac præparari decet*, Cicer. in Hortenſ. Verùm eâ de re aliàs pluribus vobiſcum agere licebit. Deniq; cùm oratiunculam, cùm ſani coloris carmen ſcribere voletis, myrothecium hîc habetis, è quo aliqua petere pigmenta poteritis. Videbitis id facere nonnunquã etiam graves Theologos, nec ſine ratione aut exemplo: Etenim: *Si quæ figuræ ſimilitudinem non tantùm de cælo & ſideribus, ſed etiam de inferiori creatura ducantur ad diſpenſationem Sacramentorum; eloquentia quædam eſt doctrina ſalutaris, movendo affectui diſcentium accommodata, à viſibilibus, ad inviſibilia, à corporalibus ad ſpiritualia, à temporalibus ad æterna.* Hæc Auguſtinus Epiſt. 119.

Accipite ergò à me munuſculum hoc levidenſe, pign9 amoris mei, & curæ paternæ, quâ vos complector. Jeſus, juventutis Deo & bonis Literis operatæ Præſes ac Ephorus, fortunet ſtudia veſtra, faciatque ut vobiſcum ſpes melioris olim ſeculi, ſi quod tamẽ ſperare fas eſt, quotidianis incrementis augeſcat. Scribebam in lecto, inter coli & ſpinæ dorſi dolores ſatis acerbos, Spiræ Cal. Jul. A. 1646.

LECTOR BENEVOLE.

SI de erratis condonandis Te convenirem, verendum mihi esset, ne Catonianum illud ingereretur : Næ tu nimiùm nugator es, cùm maluisti culpam deprecari, quàm culpâ vacare ! *Fateor enim aliqua oculos meos effugisse, sed illos nunc negotiorum cumulo in transversum abreptos, nunc dolorum gravitate pressos & conniventes. Quæ quis non bonorum facile condonet ? Sic Typographi errata spero excusata, at mea quonam modo?* Symmachus *pro me erit, quod audit :* Mediocribus scriptis, *inquit*, amicorum benignitas scit favere, alienorum invidia nescit ignoscere, *l.* 5. *Epist.* 185. *Exemplum dabit Excell. Vir Dn. DILHERRUS, & patietur Optimus Virorum, non dubito, judicium suum libello huic meo appendi, quasi* περίαμμα *ac* præfiscini. *Sic autem ille Noribergâ ad me, in suis heri mihi oblatis, auro contrà pretiosis :* Tot calamitatum domesticarum fluctus in Te ingruisse, ex animo doleo, & omnipotentem rerũ nostrarum moderatorem supplex veneror, ut doloribus salutariter medeatur. Levamenta quæ ex amœnitatibus literarum petiisti, mecumq; benevolè communicâsti, omne profectò punctum ferunt, & verè delectant plurimumq; prosunt; Sic, *Ursine*, tuum lambis, *doctissime*, fœtum :

In lucem ut, nullâ labe notatus, eat.

Vix continui me, quin exclamarem : I livor & capias ede ! Tu verò, pie Lector, bene rem gere & fave post ludum ad seria reverenti

--- major post otia Virtus !



THEOLOGIÆ SYMBOLICÆ,

Sivè

Parabolarum ſacrarum SYLVA.

SYMBOLUM PRIMUM.

Mexicanorum DEUS.

I.

TU exaudis precem: hinc omnis caro ad te venit, Pſalm. 55. 2. Proprium Dei audire ſuorum precatus:

Audit Deus cujuslibet lingua preces.

Et mox audit. Teſtantur creberrima Sanctorum exempla ſæpè, *adhuc non erat verbum in ore, & jam auris Domini erat in corde*, ait S. Auguſtin. in Pſal. 32. Id Mexicani Tezcatlipucæ ſimulachro, qui Maximus apud eos Deus habebatur, ſignificare voluerunt. Vir erat cæſarie prolixâ decoratus, crinibus extremis in aurum innodatis, & appensâ aureâ aure, in quâ fumus depictus preces notabat. Quomodo & in ſacris *fumus aromaticus* in aureâ phialâ Deo incenſus in odorem

rem suavitatis, oratio est, Apoc. 5.8. Genes. 8.21. suffimentum Deo gratissimum, si ascendat ut *virgula fumi*, si dirigatur ut *incensum*, Ps. 141. sic qui thura Deo sacrificabant, diligenter intuebantur, quo pacto adscenderet fumus, quas vertigines faceret, quantum se attolleret, Philostratus l. 1. de Apollonio. Vaga illa precum suffimenta, ut canit Paulinus:

Quæ non missa Deo, vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam.

2. Eidem Tezcatlipucæ erat in dextrâ *Speculum*, in quo omnia, quæ ubiq; gererentur, intueri posset, in sinistrâ quatuor habebat *sagittas*: illo omniscientiam significabant, istis quatuor plagas epidemicas, quas & Scriptura vocat *sagittas Dei*, Deut. 32.27.43. Psal. 7.14. Ezech. 5.16. &c.

II.

Apollo Medicus.

Vulnerat & medetur, percutit, & manus ejus sanabunt, Job. 5.18. ubi pro medetur, quod Hebræis est à Rapha, & de vulneraria medicinâ usurpatur, Psal. 60.2. Aquila habet Μοτώσει, quo LXX. usi sunt Ose. 6.1. Μοτὰ verò, ut observat in Oseam Hieronymus, *appellantur linteola, quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant & extrahant purulentias*, nostri Chirurgi vocant, einen Meyssel. De hac Chirurgiâ Dei aliquid innotuit paganis, unde Apollini cognomina *Pæan*, ἀπὸ τοῦ παίειν, à percutiendo, & *Jesus*, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, à sanando. Sic de Deo Opt. Max. apud Oseam

Oſeam juxta LXX. πέπαικε καὶ ἰάσεται ἡμᾶς, Percuſſit & ſanabit nos. Nempe DEUS facit, ut *peritiſſimi Medici*, qui *diſſimilibus morbis curas diſpares præſtant*, &c. Salvian. 6. de Provid. non ut ἀπότομοι Ἰατροὶ, qui vivis oſſa legunt, & totas in viſcera manus demittunt, Nazianz. περὶ εὐλαξίας, Seneca ad Marciam cap. 22. Coactus ad urendum & ſecandum accedit, ut Boni Medici Cicer. 1. Offic. & ut canit Proſper. in Epigr.

--- *Salvandis ipsâ quoq; conſulit ira*
Ut curat Medicus vulnera vulneribus.

Lex enim Chirurgi eſt, *ut vulnera, quæ ad oſſis inſpectionem longa ſatis aut lata non ſunt, aut ſi quà concava non admittunt medicinas, aperiat & ſecat.* Hippocr. de Capit. Vulnerib. *Imperitus medicus eſt, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum, Virus incluſum dùm ſervat, exaggerat*, Cyprian. de Lapſ. *Hinc ſimulachra Apollinis manu dextra geſtabant Gratias, arcum cum ſagittis ſiniſtra, quod ad noxam pigrior & ad ſalutem ſit promtior.* Macrobius 1. Saturn. cap. 17. At nos querimur, obluctamur:

Cumq; Deus medicinam cœlo demittere curam
Dignatur, penitusq; putres abſcindere fibras,
Incuſamus opem teneri, & tabeſcere morbo,
Malumus, antidoti quàm vim tolerare ſeveri.

Proſper. de Provident. Confer 1. Sam. 2. 6. Pſal. 146. 3. Oſeæ. 6. 1. &c.

III. *Fons*

III.
Fons Dodonæus.

1. Quàm citò Lucerna impiorum extinguitur! Joh. 21. 17. At linum fumigans non extinguet Deus, Esai. 42. v. 3. A Deo enim exorsus sum, uti fas est. *Optima namq; ordo est totius vel verbi vel operis; ut à Deo nobis origo sumatur, & in Deo consummatio referatur*, ait Gregor. Nazianzen. in Apologia ex interpr. Ruffini. Addam ergo aliquid dictorũ simile. Dodona celebris Epiri urbs antiquissimo Jovis oraculo, fontem dabet *aquæ mirandæ*, ut canit Dionysius Afer de situ Orbis interpr. Prisciano. Quem meritò veteres dixerunt nomine *Sacrum*. Nam gelidus superat cunctarum frigus aquarum, Accensasq; faces si quis propè duxerit undam, Extinguit flammas, recipit sed rursùs easdem Admoveat dextra extinctam si lampada fonti.

Sic quoque de eodem Plinius, Solinus, & inprimis Mela. l. 2. cap. 3. Sic superbos, cùm sibi lucere videntur ut Luminaria in mundo extinguit fons ille sacer, ex quo omne Bonum. Nam superbia ipsa quoq; *omnium virtutum lampadas extinguit*, ut ait Basil. Seleuc. Orat. 35. in Public. & Pharis. at verò

Quassatos nec vult animos infringere dextra,
Nec lini tepidos undis extinguere fumos.

Paschasius in Carm. de Solit. Convers.

IV. *ARA-*

IV.

ARABUM Lapis quadratus.

1. Ego Dominus & non mutor. Malach. cap. 3. v. 6. Colunt & Arabes Deum, ait Maximus Tyrius; quem verò haud facilè dixerim, sed quod apud eos simulachrum vidi, Lapis erat quadrangulari formâ, Dissert. 38. testatur Pausanias quoque in Achaicis, quòd apud Græcorum antiquiores ἀργοὶ λίθοι, *lapides rudes*, pro simulachris, Deorum in honore habiti fuerint: Rudes, inquam, nam politos, cœlatos, picturatos inter præcipua Idololatriæ instrumenta damnavit Lex. Levit. cap. 26. v. 1. Sed & R. Moses Maimonides testis est; si quis laterem tollat, & dicat: Tu Deus meus es, idololatriæ teneri, & lapidationis reum esse. De Idololatr. Quid in lapide verò divinitatis animadvertisse credamus? aut quo nomine Dei imaginem illo venerati sunt? nisi duritiæ constantis, & in quadrato uniformis ac immobilis? Est enim Deus

--- *Cujus certa stant omnia lege*, & qui
--- *Ipse manens stabilis, dat cuncta moveri.*

Hinc celeberrimum Dei nomen *Adonai*, Adonæum dixêre etiam gentiles, quod sit *Aeden*, Basis & fundamentum, in quo πάντα συνίστηκε, omnia consistant, Col. 1. 17. Quâ ratione à sapientibus Hebræorum mundi *Makum* locus indigitatur, in quo vivimus, movemur & sumus, Act. 17. 28. quiq; omnia portat, immobilis & sustentatus à nullo alio.

V.

Sapientia in quadrato Lapide.

Non commovebitur in æternum! Psalm. 125.1. ut Fortuna *in globo* dedicabatur, sic sapientia *in quadrato*, ut Pighius refert in Themide suâ. Cadere nequit Animus sapiens, fixus in Deo: stat veluti Marpessia cautes! *Hinc Salomon lapides templi quadrare præcepit, ut Magistros Ecclesiæ compositos moribus & immobiles esse animo debere signaret: sicut enim quadratum, quacunq; vertitur parte, stat: sic vita perfectorum, quæ ad lineam veritatis sollicitè directa est, nullis novit tentationibus à suâ stabilitate dejici*, ait Beda in Homil. de Altar. Dedic. *Quisquis in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à bono non revocatur, lapis quadratus est*, inquit Gregor. M. Hom. 21. in Ezech.

VI.

TERMINUS ERASMI.

Positus est homini Terminus, qui præteriri non poterit? Job. 14. 5. Quid autem Terminus? Alciatus eleganter depingit Emblem. 157.

Quadratum infoditur, firmissima tessera, saxum,
Stat cirrhata super pectore imago tenus.

Tale fuit Symbolum anuli Erasmiani, cui adjecerat: *Concedo nulli Terminos!* At in fusili Termino erat: ὅρα τέλος μακροῦ βίου, item Latinè: *Mors ultima linea rerum!* quasi se semper admoneret cum Prudentio:

Insta,

Instat Terminus, & diem
Vicinum senio jam Deus applicat!
Sic ipse respondens obstrigillatoribus in Ep. &c.

VII.

Lapis PROBATIONIS.

1. Portæ Inferorum non prævalebunt! Matth. 16. v. 18. Ponam Jerusalem Lapidem oneris cunctis populis! Zach. 12. 13. Mos est, *ait Hieronymus*, in urbibus Palæstinæ, & usq; hodiè per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis, & Castellis rotundi ponantur lapides, gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium sublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros & caput &c. Sic Ecclesia quasi lapis δοκιμασίας est, ut vocat Siracides cap. 6. v. 22. in quo levando omnes Tyranni experti sunt vires suas, sed non sine gravissima noxa tandem projecerunt, aut potius immotum relinquere coacti sunt. Hoc vult Zacharias, q. d. *Levabunt quidem eam, & pro virium varietate vastabunt, sed necesse est, ut, dum levatur, in ipso nixu & elevatione ponderis, gravissimus lapis scissuram aliquam, vel rasuram in levantium corporibus derelinquat*, hæc ibid. Hieron. in Comm.

2. Sirach. l. cit. Sapientiam & disciplinam ait ejusmodi λίθον δοκιμασίας ἰσχυρὸν, *lapidem probationis gravissimum* esse hominibus ἀπαιδεύτοις infrunitis, quem simulac movere cæperint, illicò abjiciant. *Quàm aspera est nimiùm sapientia indoctis!*

ait v. 21. cap. cit. Ut cibus licet suavis, depravato stomacho ingratus; Sic mundanis Sapientia. *Amara sunt vitiosis & malè viventibus præcepta Justitiæ*, ait Lactant. l. 1. Instit.

VIII.

Sphæra ænea Athletarum.

Patientia parit probationem, Rom. 5. v. 4. ut in arce Atheniensium Athletarum vires massâ ænea gravissima examinabantur, antequam ad agonem fas esset descendere, ut manifestum fieret, quis cui comparandus esset; Sic Deus patientia explorat suorum vires,

--- *quid valeant humeri, quid ferre recusent.*

Bonum virum in deliciis non habet Deus, experitur, indurat, sibi illum præparat, ait Seneca de Provident. Sic Agonarcha Sapientissimus, quem quibus adversariis debeat comparare. Facilis esset infernalibus ἀντιπάλοις, aut Antagonistis victoria, nisi *certamini nostri Clementissimus Arbiter atq; Agonotheta præsidens Christus, & exæquaret colluctantium vires, & immoderatos eorum repelleret ac refrenaret incursus*, ut loquitur Cassianus Collat. 7. cap. 20. & 22. Admonuit ejus rei Hieronymus in Zachar. loc. cit. *In arce Atheniensium*, inquit, *juxta simulachrum Minervæ, vidi Sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Cùm quærerem, quid sibi vellet? responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec priùs ad agonem quemquam descendere, quàm ex levatione ponderis sciatur, quis*

cui

cui debeat comparari. Fidelis est Deus, non patietur vos tentari, supra id quod potestis, 1.Cor.10.13. Periculum jam fecit virium vestrarum.

Explorant adversa viros, perq; aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo!

Ergò διαφόρως & pro modulo virium adversariam potestatem permittit: ut figulus ad certum modum fornacem incendit, vasa sua percocturus; ut bonus Paterfamilias onera jumentis suis οἶδεν ἐπιμετρεῖν novit ad mensuram aliquam imponere: hæc S. Macarius Homil. 26.

IX.

SERAPIS à Sole salutatus.

1. Serapis Deorum apud Ægyptios Maximus, simulacrum erat immane Alexandriæ, ut dextra lævaq; geminos hinc inde parietes perstringeret, levabatur ante illum Solis signum ex ferro fabrefactum, à Magnete lapide inserto laquearibus, quasi ad salutandum, ut refert Ruffin. in Eccl. Histor. Sic Ægyptiorum Prophetæ immensum illud & ubique præsens Numen Dei, significare volebant, cui Sol & universa cœli militia famuletur. De quo David: Laudate eum Sol & Luna! Laudate eum omnes stellæ luminis, Ps.149 3. Quem enim se haberi vellet Serapis Nicocreonti Cypriorum Regi ipse his versibus edixit:

Cælum mi caput est, est venter abyssus aquarum,
Terra pedes, diffusa aures sunt æthere toto.
Cuncta videns oculus Solis clarissima fax est.

vide Macrob. 1. Saturn. c. 20. Porphyrium ex Orpheo apud Euſeb. l. 3. de Præpar. Evang. cap. 3.

2. Sed cùm Julius Firmicus, de Error. Profan. Relig. Ruffinus, aliiq; inprimis nuperi Authores, *Joſephum* credant, quòd in fame ſeptennali Ægyptum ſervaſſet, divino honore cultum & *Serapin* dictum, quod firmant variæ conjecturæ, 1. *à nomine*, quia Serapis dictus videtur ἀπὸ Σαῤῥᾶς, à Sara avia, aut à *Sar*, Princeps, & *Apis*, Bos. 2. *Ab imagine artificiali*, quia pingebatur quaſi Juvenis imberbis, cophinum ſcil. frumenti & panum, in capite geſtans: & *inartificiali*, ſeu nativa, quia per Apim Bovem repræſentabatur, qui fuit illi Symbolum futuræ fertilitatis & ſecuturæ famis, Geneſ. 41. 2. 26. 3. *Ab Elogio Joſephi*, quem Pharao *Salvatorem Mundi* vocavit, loc. cit. v. 45. Moſes Bovi comparavit, Deuter. 33. 17. 4. *Ab Oraculis* Serapi tributis, quæ nihil aliud niſi analecta doctrinæ à Joſepho traditæ videntur, quale illud egregium:

Principiò Deus eſt, hinc verbum, his ſpiritus unus,
Congenita hæc tria ſunt, ſimul & tendentia in unum.

ut alia mittam, de quibus Interpretes in Geneſ. l. cit. inprimis Cornel. à Lapide; rectè proindè ſimulachrum hoc Serapis, quod ex Ruffino poſuimus, ad ſomnium referatur Joſephi, in quo Solem, Lunam & XI. ſtellas ſeſe adorantes, ſibi videre viſus erat, Geneſ. 37. v. 9. In quo ſomnio explicando, hoc certum; Veritatem ejus in Chriſto reperiri perfectam, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur; Mihi, inquit, curvabitur omne genu!

Eſa.

Esa.45. Rom. 14. Phil.2. Sic Augustin, Rupertus, & alii apud Pererium, Gen. 37. l. c.

X.

Simulachrum DAIBUTI.

Non deficiunt in vigiliis suis, Sirach. 43.11. Castra puta cœlestia, & quantò magis Imperator ipse Dominus exercituum? Non dormiscet neque dormiet, qui custodiet Israëlem, Ps.121.4. *Semper agens, semper quietus, amas, nec æstuas: zelas, & securus es, pœnitet te & non doles; irasceris & tranquillus es!* ait Augustinus l. 1. Confess. cap. 4 stultè Epicurus negabat, *Deos quicquam, nec alieni curare nec sui.* Nec Ennius, etsi magno applausu assentiente populo, melius ista:

Ego Deum genus esse semper dixi, & dicam Cælitum,
Sed eos non curare opinor, ad agat humanum (genus!

Quid ita? ***Anne,*** inquit Plin. ***tàm tristi atq; multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusve?*** At at insaniens sapientia! non magis tristi isto ministerio pollui credendus Deus, quàm Sol, qui *tangit stercora*, ut ait P. Chrysolog. *non tamen stercoribus inquinatur*, Serm.35. nec gravari multiplici magis, quàm Idem, quem, etsi laborare videatur, nitendo contra motum primi mobilis, tamen ἀκάμαντα, infatigabilem, dixit Homerus. Fallor? an id Japonum Sapientes indicant, apud quos in urbe Meaco DAIBUTI, Dei id nomen illis est, simulachrum horrendum & immensum ferè visebatur, Viri Japonico more, pedibus decussatis, insidentis rosæ, cujus insana moles colligi hinc potest,

quod genuum distantia erat, palmorum L. humerorum latitudo XXXV. rosæq; ambitus continebat CLXVII. Ita illi mole simulachri, Dei magnitudinem; situ sessionis, quietum in omnia regimen; & rosa ingenti voluptatem beatitudinemq; interminabilem videntur adumbrare voluisse. Refert in Japonic. suis Epist. Franc. Pasius ad Claudium Aquaviv.

XI.

Sol Gigas Centimanus.

Exultavit ut Gigas ad currendam viam: Psal. 19. v. 6.

Artusque, viresque, impetumque,
Centimano similis *Giganti*!

ut eleganter explicat Buchanan. in Paraphr. Admonuêre me Serapis & Daibutus, Solis Giganteâ ferè figura olim culti. Quis enim Serapis? nisi authore Macrobio Sol? 1. Saturn. cap. 20. nec Daibutus fortè alius. Certè non Remphan ille, qui & Ciun, à Judæis in veneratione habitus, Amos. 5. 26. & Actor. 7. 42. Rephan autem, sic enim vocant quidem codices, à Rapha, qui fuit Pater Rephaim, Gigantem significat, ut censet Gyrald. in Syntagm. de Hercule, & Corn. à Lap. in Amos l.c. Quis Swante Vitus sacer Ignis Vandalorum, cui, ut est apud Saxon. Grammat. ingens erexêre simulachrum, omnem humani corporis habitum granditate transcendere? Quis Briareus, qui & Ægeon,

--- *centum cui brachia dicunt*

Cen

Centenasq́ manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusq́ arsisse? &c. Virgil. 10. Æneid.

Quod ut ad locum Psalmi illustrandum facit; ita imaginem Regiæ dignitatis exhibet:

An nescis longas Regibus esse manus?

Imò an nescis etiam multas? Sic *multas aures, oculos multos habere* dicuntur adagio. Vide Erasm. Chil. 1. Cent. 2. Talis Geryon tricorpor. apud Plutarchum in Politic. Quo pertinet, quod Briareus, Gyges, & Cottus Jovis φύλακες πιστοί, *fidi custodes*, ab Hesiodo salutantur, in Theogonia.

XII.

Serapis Comites.

Sapientia non habitabit in corpore subdito peccatis, Sap. 1. 4. Serapi non modò Harpocratis signum addebatur, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentium fieret, ut ex Varrone scribit Augustin. l. 18. de Civ. D. cap. 5. de quo Plutarch. de Iside & Osyr. verùm & aliud tricipitis animantis, quod medio eoque Maximo capite Leonem, dextro Canem, sinistro Lupum exprimeret, easq́; animalium formas connectabat Draco volumine suo: teste Macrob. 1. Saturn. c. 20. Quibus, ut mihi videtur, tria indicabant necessaria ad interiorem Dei notitiam pervenire cupienti, 1. *Lingua taciturnitatem*, & sacram illam ἐχεμυθίαν, in Sacris observandam.

Nam Templum Domini per sacra silentia crescit,
Et tacitè struitur non ruitura domus.

Prosper. in Epigram. Hinc & apud Pythagoram

Primum sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere. Apulejus in Florid. 2. *Memoriæ felicitatem*, quæ in accipiendo rapax, in retinendo tenax, in reddendo fidelis sit. 3. *Vitæ Novitatem*, quam serpens significat, qui se quotannis innovat exuta veteri leberide.

Namq; incompositos humano in corpore sensus,
Disjunctasq; animi turbato fœdere partes,
Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat!

Prudent. l. 2. adv. Symmach.

XIII. & XIV.

Zona Sacerdotalis, Poculum Salutis.

1. Estote prudentes sicut Serpentes, Matth. 10. 16 Deponite veterem hominem, Ephes. 4. 22. Ejus admonebantur Levitici Sacerdotes *Zona sua*, quæ in similitudinem pellis colubri, qui senectutem exuit, texta & floribus variis picturata erat, Exod. 28. Joseph. Hieron. apud Riberam de Templo l. 3. cap. 7.

2. Non longè abit Hieroglyphicum Draconis, simulachris Æsculapii & Salutis subjungi solitum, quod ii *præstent, ut humana corpora, velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant virorem*, ut est apud Macrob. 1. Saturn. c. 20. sic Salus apud *Oeconem in Numismat.* visitur, in Antiochi Soteris numo, dextra præferens poculum, ponè jacebat serpens pelle senectutis exuta. Elegans Typus unici Soteris, Salvatoris nostri, qui

manu

manu præbet *Poculum salutare*, quo in melius renovati, rejuvenescimus sicut aquilæ, &c. vide Ps. 75. & 116. Facit ad rem Prosp. in Resp. 1. ad Obj. Vincent. *Poculum immortalitatis, quod de imbecillitate nostra & de virtute divina confectum est, hoc habet in se quidem, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Loquitur de Poculo Passionis Dominicæ, de quo Matth. 26. 39.

XV.

Hieroglyphicum Felicis.

1. A fructu frumenti & vini sui multiplicati sunt : Ego in pace dormiam & requiescam : Quia tu me Domine solus in tuto constituisti. Ps. 4. 8. 9. 10. Ægyptii, ut ex Cartagena refert Mendoza, ad vera & solida bona indicanda pingebant *Adolescentem*, altera manu *spicas triticeas*, altera *vini poculum* præferentem, & de collo appensum *papaver*, capita puto papaveris, gestantem : indicantes eum, cui panis & vinum esset, securum dormire posse. Tom. III. in 1. Reg. c. 9. num. 7. & 8. pag. 44. Felicem autumabant, non qui plurimum haberet, sed qui minimum cuperet, suaq; sorte contentus tranquillam vitam ageret. Magnæ opes somnum non afferunt, auferunt.

Pectora pauper secura gerit,
Tenet è patula pocula fago,
Sed non trepida tenet ipsa manu:
Carpit faciles vilesq; cibos,
Sed non strictos respuit enses!

Alt

Ait Seneca Tragœd. appositissimè, neque aliter verè felicem describit Siracides, inprimis nostra Vernacula loquens, cap. 40. v. 18. cùm ait: Vitam sorte sua contenti, operaque sua viventis omnibus thesauris, & aureis etiam Persarum montibus proponendam!

2. Sed felicitas ista temporalis est, umbræ somnium & fumi umbra præ illa, de qua David l. c. illum Beatum innuens, qui in solo Deo acquiescens, nil desideret periturorum & fallacium mundi bonorum. Ea beatitudine mactat Christus Dominus noster, suos in Eucharistia convivas, ubi est *frumentum electorum* juvenum, *& vinum germinans* lætoque animo cantare faciens *virgines*, Zachar. 9. 17. ubi omnium malorum, cum sobriâ ebrietate spiritus, bibitur oblivio: Nempe: *Quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur,* ut est apud Cyprian. l. 2. Epist. 3.

XVI.

SOLIS MENSA.

Sapientia proposuit mensam suam, Proverb. 9. 2. Pulchrè Octavian. de Tufo in Sirac. Prolog. p. 28. Quem audire operæ pretium est: *Solis Mensam, Veteres fabulabantur onustam semper cibis, nec deficientibus, quantumvis hinc inde undiq; fame, tanti miraculi accersitis hominibus, spoliaretur: Splendido illo quidem, sed non spreto mendacio! Apollonius enim Thyaneus, ut Philostratus in ejus vita, ad ultimos usq; Gymnosophistas penetravit, ut Solis Mensa tandem aliquando, tot maris*

ris terræq; spatia emensus, accumberet. Domi nos proprius in ædibus, nullo labore, veram veri Solis Mensam, sine ullo hominum ministério, epulis omnibus cumulatam, quibus gratis vesci liceat, Sacras Paginas habemus. Si libeat argumentum exposire, Mensam illam, quæ apud Æthiopes fuit, *famosissimam*, ut vocat Hieronym. ad Paulin. in Prol. S. Script. Solinus sic describit: *Locus apud eos est Heliotrapeza, opiparis epulis semper refertus, quibus indiscretè omnes vescuntur: nam etiam divinitus eas augeri ferunt*, cap. 32. Non aliter Pompon. Mela & alii.. Herodotus noctu appositam à Magistratibus author est l. 3. Quæ injuria ergò jejunos & esurientes communi mensâ arcere? Quod omnibus appositum & apparatum, eò quamplurimos vesci prohibere, quæ individia est?

--- petite hinc juvenesq; senes
Finem animo certum, miserisq; viatica canis!

Sic invitat Structor & Convivator ipse, Esa. 55. 1. Matth. 11. 28. &c.

XVII.
Cœna HECATÆ.

Quæ parâsti, cujus erunt? Luc. 12. 20. Moris fuit apud Græcos, ut in novilunio vesperi, singulis mensibus, divites in triviis *Hecatæ* apponerent *Cœnam*, quæ à pauperibus priùs ferè diripiebantur, quàm deponi posset: qui verò apparabant quidquã inde gustare religione vetabantur, ut nihil ad eos inde rediret præter fumum, & tumultum;

multũ: Testis est Aristoph. in Pluto ejusq; Scholiast. vide Erasmi Adag. &c. Quid? Dives avarus defraudans animumq; Geniumq; suum, aliisque post se, quæ ærumnabili cum labore collegit & comparsit miser, relinquens, nonne Hecatæ cœnam instruit? Talis apud Horat. 2. Sat. 3.

Pauper Opimius argenti positi intus & auri!

Et Artemidorus ille, quem Græcum Epigramma ait, ζῶν βίον ἡμιόνων, Vivere vitam multorum. *Asino balneatoris* comparabant id genus Eudionis olim: alii *Camelis Arabum*, qui per vastas solitudines iter facientibus epulas deportant, ipsi spinis & arido fœno implentur: Chrysost. *ad metalla damnatis*, in 1. Cor. Hom. 23. Cui spes tuas disponis? quis curarum tuarum metet fructus? *nihil auferes tecum de labore tuo*; Eccl. 5. 14. opulentia tua *gloria tua, te non comitabitur*! Ps. 49. 18.

Absumet hæres Cæcuba dignior,
Servata centum clavibus! Horat. 2. Od. 14.

XVIII.

Mensa GAD *&* MENI.

Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Prov. 11, 25. *Gad & Meni*, id est, *Bonæ Fortunæ* & *Boni Dæmoni* mensa poni solebat in auspicium novi anni, de quibus vid. Selden. in Syntagm. de Djs Syris, nunc accipe hæc ex Hieron. in cap. 65. Esa. v. 10. *Est in cunctis urbibus & maxime in Ægypto & in Alexandria Idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis ejus, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum*

-culum mulso mixtum, *vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes.* Optimum auspicium beneficentia! ut sementem feceris, ita metes. Deo fœneras, quod bonis elargiris, non Fortunæ. Nam, ut canit Martialis:

Extra fortunam est, quicquid donatur amicis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Denique qui beneficentiam exercet sacrificium facit gratulationis, Sirac. 35. 4.

XIX.

KNEPH Deus Ægyptiorum.

Creatorem, inquit Porphyrius apud Eusebium, Kneph Ægyptii appellant, cujus imaginem in formâ hominis faciunt colore cœruleo, Zonam tenentem & sceptrum, in capite pinnam ponunt, & ab ore ovum producitur, l. de Præp. Ev. 3, c. 3. *Color cœruleus* cœlestem indicat; *Zona & Sceptrum* Regem, atque illa quoque forsan clementem, sic enim Zona illa aurea, quâ præcinctus apparet Salvator, Apoc. 1. 13. aliis Clementiam, aliis regiam aut sacerdotalem dignitatem innuere creditur: *Pinna*, quæ caput inumbrat, notat τὸ Δυσεύρετον καὶ κεκρυμμένον, quod inventu difficilis, &, juxta Prophetam, sit absconditus Deus, Esai. 45. 15. Quâ de caussâ alis quoq; Seraphinis, & nube ceu veste tegitur, Esa. 6. 2. Ps. 104. 3. Sir. 24. 7. Apoc. 10. 1. Unde Orpheus negat, Deum videri posse:

-- αἰεὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται
-- *Quia stant sacra nubila circum*: ad Musæū.

Fallor?

Fallor? an & eâ de causâ *Kneph* nomen accepit, nam *Canaph*, alam Hebræis, & κνέφας apud HomerumCaliginem significat? *Amun* certè non alia ratione vocabatur, quod occultationem notat apud Ægyptios, ut author est Manethos Sebennita, solentq; ita appellare ἀνωνύμους, quorum nomina vel nesciunt vel edicere nolunt, teste Hecatæo Abderitâ, Plutarch. de Iside & Osyr. Quos Hebræi *Almoni* nomine, ab *Alàm*, mutus fuit, vide Buxtorff. *in Alàm & Serarium* in c. 4. Ruth. Quæst. 2. Denique ne quid excidat, *Ovum* Mundus est, qui ab ore Dei prodiit: partim propter figuram, statuebant enim mundum ὅμοιον τῷ τοῦ ὠοῦ σχήματι, similem figuræ ovali, ut scribit Sanchoniates Berytius antiquissimus Phœnicum Historicus; partim propter naturam: *Cælum enim est testa, vitellum terra, inter duo illa humor, quasi in sinum conclusus aëris, in quo calor*, ut ait Varro in Logistorico, de quo vide Macrob. l. 7. Saturn. cap. 17. & Eryci Puteani Ovi Encomium.

XX

Siclus SAMUELIS.

1. Figuras Siclorum Hebraicorum alii alias exhibent. Qua de re visendus inprimis Serarius in Josuæ cap. 7. Quæst. 5. p. 93. Vulgatissima est illa, quam communis Patriæ Præceptor Philippus Melanchthon pulcherrimis versibus celebravit:

Justa Sacerdotum demonstrat munera Siclus,
Cujus in Hebraïs urbibus usus erat:

In

In quo florescens insculpta est Virga Aaronis,
Quæ monet, ut doceant dogmata pura DEI.
Parte calix *aliâ est* impletus thure *Sabæo.*
Hic offerre preces, ut nova thura jubet.
Attamen ante alios summus facit ista sacerdos,
Immanuel casta Virgine natus homo: &c.

2. De eo Siclo dùm quædam investigo, venit
i oculos hic, de quo agimus, Samuelis Prophe-
æ, nomine inscriptus: spectabatur in altera ejus
arte manipulus Spicarum, vario florum ac fru-
tuum genere instinctus, inter duas urnas, vini,
uto, & olei, medius; altera facies urnam exhi-
ebat similem illi, in qua Manna Cœlifluum as-
ervabatur, addito Lemmate, *Negaltha letsum,*
ireptus es à jejunio! Putatq; Villalpandus de
onder. & Mens. l. 2. Disput. 4. cap. 27. Voluisse
amuelem, istâ monetâ, perennem miræ susten-
ationis in deserto memoriam sic in populo Dei
onservare, ut semper in oculis & manibus versa-
etur, ac recogitarent omnes, omnium alimento-
um, frumenti, fructuum, vini imo quoq; & olei,
elitias uno in isto Mannæ ferculo fuisse conten-
as: Ut Symbolicum hoc Epigramma meritò
ddi possit: Panis de cœlo, omne in te dele-
tamentum habens, Sap. 16. 20. Verissimum
ertè oraculum, de illo qui & Panis & Dominus
e cœlo est, Joh. 6. 50. Qui sanum habetis pala-
um, gustate & videte! Psalm. 34. v. 9. Habuit
rofectò, qui dixit: *Hic panis omnium carna-*
ium saporum irritamenta, & omnium exsupe-
at dulcedinem voluptates! Cyprian. de Cœna

U Dom.

Dom. Facerent illuſtrando argumento, quæ de Manna & ejus omnigeno ſapore diſputant Interpp. ut 1. *An Manna ad votū comedentium mutarit ſubſtantiam*, ut factum ſit capus, anſer, piſcis, vitulina, aut aliud quid pro illorum lubentia: quod ajunt quidam Transſubſtantiationis hyperaſpiſtæ, Gregor. Valentianus, Thomas Bozius, Claud. Sanctelius, &c. Corn. verò à Lap. verè & candidè: *Hæc*, inquit, *ſententia nova eſt & ſolidi caret fundamento.* 2. *An ſentire illam in Manna omnis ſaporis ſuavitatem ſolis piis conceſſum fuerit privilegium*: an commune quoq; cum impiis beneficium? Quorum prius aſſeritur ab Auguſtino, Greg. M. aliisq; vetuſtioribus; poſterius à Lorino in l.c. Sap.16. Corn. à Lap. in Exod.16. & aliis recentioribus. Sed quorſum ego extra oleas?

3. Ne quid tamen excidat, notare poteſt numus iſte Samuelis; Manna divini verbis colentibus & diligenter colligentibus, promiſſam frumenti, vini, & olei abundantiam, quibus nominibus, quidquid ad degendam vitam requiritur, continetur: Ad ſpernentibus *mundos*, *otioſos*, & *innoxios dentes* dare ſolet Deus, Amos.4.6. Oſe.2. v.20.21. Joël.2.23.24. Matth.6.33.

XXI.

Numus Davidis.

Quis ego ſum? & quæ domus mea? 2.Sam.7.18. Quia in numos incidimus, ex ingenti theſauro aliquos inſigniores retinere, operæ pretium eſt. Hos inter Regius Davides, præferens

rens una facie peram & baculum, insignia pastoritiæ rei; altera turres arcis Sionææ, ut refert Christianus Gerson, ex Judæismo conversus, in Thalm. suo cap. 18. Monet verò recordationem pristinæ suæ humilitatis non modò sæpè jucundam, nam *dulcis in bonis miseriarum recordatio est*, ait Latin. Pacat. in Paneg. & *Delectat meminisse mali*, --- Sidonius in Carm. sed & semper necessariam, ne subrepat felicium perpetua comes arrogantia, cui averruncandæ semper illud, quod, ut ait Poëta:

--- è cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν,
Fingendum & memori tractandum pectore!

Ita Mulus ille in fabulis, corporis sui in nitentis lymphæ speculo contemplatus magnitudinem & pulchritudinem, cùm jam ferocire & equi generosi in morem solo insultare inciperet, recordatus asini se filium esse, inflatos spiritus repressit. Plutarch. Conviv. Sap. Quid enim illum memorem, de quo notissimum est istud:

Fictilibus perhibent cœnâsse Agathoclea Regem?

Aut Willegisum, quo authore insignibus Mogunthini Archiepiscopi rota Carpentarii usque hodiè insedit? Notis non immorabor, Conf. Psal. 78.70. Sir. 3.20.21.

XXII.
Numus Mardochai.

De carcere, catenisque quis interdùm egreditur ad regnum, Eccl. 4.14. Exempla eorum, qui hos *versabiles fortunæ motus*. Sic loquitur profanus historicus, *qui ludunt mortalitatem*,

nunc evehentes quosdam ad sidera, nunc in Cocyti profunda mergentes, experti sint, congessit Ammianus Marcellinus l. 14. extremo; retulit duo recentiora *Petrus Messia*, de Matthia Weywoda, qui ex carcere prodiit ad Ungaricum solium, & de Jacobo Lusignano, qui ex Genuensium vinculis arctissimis, quæ eum toto novennio detinuerant, productus est ad regendam Cyprum, l. 2. Sylvar. c. 19. Notissima ex Sacris conditio Mardochæi, qui cùm in cinere se & sacco volutaret, ac jamjam spiculatoris ferrum jugulo suo intentandum opperiretur, ex inopinato Cidari & coronâ regali exornatus, fidem adstruxit illi pervetusto:

Topper fortuna commutantur hominibus.

Neleus apud Festum in Topper, i. e. cito. Dedicavit ille ejus vicissitudinis memoriam in numo, ut dictus Gerson testatur, qui hinc saccum & cinerem; illinc auream coronam exhiberet. Dignum Cimelium, quod semper ex Christianorum collo pendeat! Si te terret hinc saccus cinere inspersus; verte sis numum, exhilarabit te corona aurea. .... *Sic itur ad astra!* vide Psal. 30. 12. Sap. 5. 17. Jacob. 1. 12.

XXIII.

Sirenes in Cœlo.

Laudate Dominum Cœli Cœlorum! Psal. 148. 4. sic exhortatur Regius Psaltes, & faciunt id assiduè. *Plato in Republica, cùm de Sphærarum cœlestium volubilitate tractaret, singulas, ait, Sirenes singulis orbibus insidere, significans motu Sphærarum*

rarum cantum Numinibus exhiberi: nam Siren Deo canens, Græco intellectu valet: (scil. ut si idem ac si dicas Doricè, Σιῷ ἀείδουσα, id est, Θεῷ ᾄδουσα) hæc Macrobius l. 2. in Somn. Scipion. c. 3. Et sanè, *si Pythagoræ credimus, ut par est, cælum quoq; modulationem reddit: non quòd ut lyra pulsetur, aut inflétur ut tibia, sed quòd circuitu suo divina illa Musica, & ea quæ in cælo corpora, congruo aptoq; positu cælestem quandam excitent harmoniam*, ait Max. Tyrius Dissert. 21. Expressit has sententias Angelus Politianus in Nutritiis:

--- nostro major captu sonus exit acutas
Compensans gravibus septem in discrimina voces,
Stellantesq; globos, sua quemq; innoxia Siren
Possidet, Ambrosio mulcens pia Numina cantu.

Quid multa? Mundus magnum quoddam Organum Musicum est, ac verè appellavit Varro:

--- mobilem Divûm Lyram.
Ut citharis modulans unius verbere plectri
Dissona fila movet, vel qui perflantia textis
Labra terit calamis, licet unum carmen ab uno
Ore ferat, non una sonat: &c.
Sic Deus omnisona modulator & arbiter unus
Harmoniæ, per cuncta movet quam corpora rerum.

Canit S. Paulinus in Natal. 9. Felic.

XXIV.

Sibylla per Mundum sparsa.

Cœli enarrant gloriam Dei! Psalm. 19. v. 1. Sibyllam refert Lactantius, Æolico sermonis genere dictam, quasi θεοβουλὴν, *à Consiliis Deorum*

enuntiandis, l. 1. c. 9. *Ajunt verò*, ut & apud Clement. Alex. 1. Strom. *Delphis in curia ostendi petram quandam, super quam sedisse dicitur prima Sibylla, quæ ex Helicone venerat, educata à Musis, cùm esset filia Lamiæ Sidoniæ. Serapion autem in versibus dicit, ne mortuam quidem à divinandi arte cessâsse Sibyllam, & id quidem quod ex ea in aërem recessit post obitum, id esse, quod sortibus divinat & auguriis: è corpore in terram mutato exortam esse herbam, qua comesta bestiæ futurorum notitiam hominibus per exta significent: deniq; animam ejus faciem esse, quæ in Luna apparet.* Hæc ibi. Indicare forsan volebat Serapion, Sibyllam de Voluntate & Consilio Dei sciscitaturo, non esse adeundam petram illam Delphicam, in qua Apollò ambiguè dictis id ævi miseram mortalitatem deludebat, unde *Loxiæ* nomen inditum fuit; cùm totus quasi Mundus sit commune omnium Oraculum, non tam in vulgo facilè, aut profanis pedibus adeundum, nisi si quos juvit

--- à prima coluisse Helicona juventa,
Musarumq; Choris implicuisse manum.

Quanquam hoc Oraculum *& Scytha & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo super terram incedens audire potest. Tacet enim cœlum, sed ipsius adspectus vocem emittit tuba clariorem, per oculos, non per aures, nos docens*, ut habet Chrysostomus Hom. 9. ad Pop. Antioch. ex Rom. 1. 20. & Ps. 19. v. 3. 4. ubi vide Vatablum. Attexo non absimile quid, quod sequitur.

XXV.

Animalium ſermo.

Interroga Behemoth, effera animalia, nihil prudentiæ, nullam cùm homine familiaritatem habentia, & docebit te, ſcil. unumquodquè eorum, ſic enim pluralia diſtributivè poſita apud Hebræos verbo ſingulari conjungi ſolent, Job.12. v.7. De animalium ſermone multi multa. Plato apud Euſeb. l. 12. de Præpar. c. 9. ait: *Homines aurei ſeculi, Saturno imperante, tanta virtutis & ſapientia fuiſſe, ut & cum beſtiis ſermones conferre poſſent.* Baſil. de Paradiſo: Animalia ante lapſum & *audiſſe inter ſe, & ſenſatè locuta fuiſſe*, ſcripſit. *In qua putas lingua ſerpens locutus eſt ad mulierem? Serpentis utiq; ore!* ait Auguſtinus, addens ejus *ſibilum* ſic ab Evà intellectum, quomodo & *hodiè non deſunt, qui latratus canum intelligant, & luporum ululatum, & barritum elephantum, & cantum gallorum*, l. 31. Vet. ac N. Teſtam. De Joſepho Judaicarum Antiquitatum Scriptore, & aliis ſimilia cenſentibus, videantur Interpp. in cap. 3. Geneſ. Loqui inter ſe & conferre ſermones animalia Porphyrius vult confirmare lib. 3. περὶ τὸ ἰῶν ἐμψύχων ἀποχῆς, de Abſtin. Anim. Proditumque eſt intellexiſſe eos ſermones Tireſiam & Melampum, Helenum & Caſſandram, Apollonium Thyanæum, Democritum, Ericum Regneri pugilis filium Danum, de quibus vide Porphyr. loc. cit. Callimach. in lavacro Pallad. Apollodor. l. 3. Biblioth. Philoſtrat. in Vita Apollonii, A. Gell. 10. Noct. Attic. Saxon. Gram-

mat. l. 5. Hist. &c. Quin & illud observo, sermones eos non posse à quoquam intelligi, nisi cui Deus quis aurem perpurgarit, creditum fuisse. Sic Pallas Tiresiæ aures expurgâsse fertur apud Appollodor. l. cit. Visosq; in æde Apollinis serpentes Heleno & Cassandræ aures elambere prodit Scholiastes Eurip. in Hecub. nempè ut intelligerent avium

ἰυξύνετον ξυνετοῖσι βοάν,

Vocem intellectu præditis facilè intelligendam, ut loquitur Euripid. in Iphigen. Tauric. v. 1089 &c. Quid multa? *Circumeat animus tuus per universam Creaturam, undiq; tibi clamabit Creatura: Deus me fecit! nam ipsa Creaturarum species, sunt voces quædam Creatorem laudantium!* in Psal. 62. v. 6. Augustinus.

XXVI.
Cælum CHOSROIS.

Deus ego sum, & in throno Dei consedi, Ezech. 28. 2. ampullæ Regis Tyriorum, qui tandem ex astris delapsus pulvis evasit, & merum NIHIL! ib. v. 19. Ita verius est, quàm quæ Pythia ex Phœbi tripode profatur, quod habet P. Syrus in Mimis:

Citò ignominia fit superbi gloria!

Hinc Flav. Julius Constans semper in ore habebat: *Felix insolens infelix!* Sit exemplo Chosroës:

In palatiis suis circa Persida
In laquearibus cælum habens fabricatum.

Ex

Ex quo tonitrua & fulmina, machinatiq; imbres,
Convivio exceptis Legatis, erumpebant ad stuporem:

Ut est apud Tzezen Chiliad. 3. v. 40. & seqq. Exusta est tandem hæc ignivoma cœli machina ab Imp. Heraclio, sacerq; Persarum ignis extinctus. Ibidem. Ipse Cosroës filii Sirois natu maximi, quem in designatione successoris præteriisset, conspiratione oppressus miserrimo fine superbiam luit, ut est apud Reneccium in Comm. de Regib. Persar. Nam collo & pedibus ferro oneratis detrusus in tenebrosam domum, quam gazæ asservandæ construxisset, auroq; vesci jussus est, tandem per XV. dies integros omnium contumeliis exagitatus, alapis & pugnis cæsus, conspuctus, sagittisq; confectus est. Proh! quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? Esa. 14. 12. 13. 14. Heus Superbe! (dicam cum Ennodio:)

Tu cœlum teneas, me terris linque quietum;

XXVII.

Romanorum Cœnationes versatiles.

Agite, fruamur bonis præsentibus! Sap. 2. v. 2. *Sic cœlum petitur!* Quid enim?

Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror.
Quod voluptates eorum propriæ sunt!

Ait ille in Terentiana Andria. Ita grunniunt Epicuri de grege porci! Qui tum sibi *in Cœlo esse, Jo-*

visq; folium tenere, & ut ait Horatius, *sublimi ferire sidera vertice* videntur, cum Genio indulgent. Hoc demùm illis vivere est.

Sic current albusq; dies horaq; serena
Et molli dabitur victu sperare senectam:

Ut apud Silium ructat Voluptas. Deniq; ad hunc modum Dei vita decurrit, qui

... exemplar lenis mortalibus ævi,
Imperturbata placidus tenet otia mente.

Apud eundem l. 15. v. 46. &c. Fallor? an hanc eorum hominum, si belluis istis, quibus anima pro sale est, hoc nomen convenire possit, mentem tacitè explicabant illa *versatilia cænationum laquearia*, Romanorum olim artificio & ingeniosa luxuria sic coagmentata, *ut subinde alia facies, atq; alia succederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur*, ut ea depingit in Epist. Seneca: *Rotunda* erant, ac *perpetuò* quædam *diebus ac noctibus vice mundi circumagebantur*, *tabulis deniq; eburneis versatilibus sic erant compacta, ut in versatione flores dispergerentur, aut per fistulas unguenta expressa diffunderentur in convictores*, teste Suetonio in vita Neronis. Plura de iis Stukius Conviv. Antiquit. l. 2. cap. 14. pag. 197.

XXVIII.

In COELO foramen.

1. Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creavit hæc? Es. 40. 26. Fabellam Judaicam referunt Petrus Alphonsus Tit. 1. & Petr.

Petr. Cluniacens. l. 2. contra Jud. cap. 5. cujus ex R. Eleasare etiam Galatinus meminit, l. 1. arcan. Cathol. Verit. cap. 7. Deus, inquiunt, cùm cœlum ornaret, & vermiculato stellarum emblemate exornaret, firmamentum non absolvit, sed in parte aquilonari magnum aliquod foramen reliquit, non defectus quidem viribus, quippe

--- immensa est, finemq; potentia Cæli Non habet!

sed singulari providentiæ consilio, ut si quis venientibus fortè seculis exsurgeret, Deum se Deoq; æqualem jactitans, dicere posset: Si Deus es, ut ego, absolve, quod imperfectum reliqui? en tibi illud unicum in uno cœli angulo foramen, hoc exple, & colophonem impone tanto operi, & Deus esto! Nempè nemo Deus, nisi qui & Creator! *Habet Deus testimonia, totum hoc quod sumus, & in quo sumus*, ait Tertullianus 1. advers. Marcion. cap. 10.

Si quis ait, Deus Ipse ego sum, & tamen unicus haud sit
Hic mundum huic similem condens, Meus, inquiat, est hic!
Nec condat, dicatq; modò, sed incolat Idem.

Sic Pythagoras: Justin. M. de Monarch.

2. Recitari potest quoque Apologus hic illis, qui os in cœlum ponere, & Deo Creatori atrum dentem infigere non verentur: Qualis Alphonsus X. cujus blasphema vox fuit; *Se si Creationi interfuisset, multa meliùs ordinaturum fuisse*, cujus tamen, post nonnullas admonitiones frustraneas tandem fulmine in ipso cubiculo Regio palu-

paludamento & purpurâ combuſtis ſeriam egit pœnitudinem. Refert Rodericus Sanctius in Annal. Hiſpan. Scita eſt apud Philonem Fabella: Deum perfecto Creationis opere Prophetam quempiam interrogâſſe, quid deeſſet mundo? iſtum verò reſpondiſſe: nihil omninò præter dignum Laudatorem: atq; eâ de cauſsâ Muſas eſſe in mundum introductas, ut eo quo par eſt ſtudio tántæ molis Architectum celebrarent. De Plantat. Nohæ.

XXIX.

Sol in Navi pictus.

1. Sol & Clypeus eſt Dominus Deus, Pſal. 84. 11. Celeberrimum Dei Symbolum fuit, Sol multâ radiorum luce coronatus, in navi pictus, quæ remis veliſq; adverſo flumine rapta, ferebatur à ſubſtrato crocodilo. Alii aliter explicant: vide Clement. Alex. l. 5. Stromat. Porphyrium apud Euſeb. l. 3. de Præpar. c. 3. Corn. à Lap. in c. 4. Amoſi, unde accepit Cauſſinus, aut ab hoc ille, Polyhiſtor. l. 1. cap. 8. Deum ſentiebant, ut ait Varro, eſſe *animam mundi, quem Græci vocant κόσμον, & hunc ipſum mundum eſſe Deum*, apud Auguſtin. l. 7. de C. D. cap. 6. *Quid eſt Deus? mens univerſi! Quid eſt Deus? quod vides totum & quod non vides!* Senec. Præf. 1. qq. Natur. *Quod eſt in triremi gubernator, in curru rector, præcentor in choro, Lex in urbe, Dux in exercitu, hoc eſt in mundo Deus*, Apulejus de Mundo. Sol ergò Deum ſignificat, ut ſæpè; navis Cœlum, & eſt hemiſphærium

rium hoc concavum navi inverſæ ſimile; nititur autem cœlum aſtrigerum quaſi contra torrentem primi mobilis: Crocodilus animal amphibium, quod in terris aquisq; degit, utriusq; elementi videtur præferre imaginem.

2. Sed aliud quærebam. Vita hæc navigatio quædam eſt. Qui ad ſalutis portum contendunt, non velis modò remisq; conſtantis propoſiti, & ſtudii indefeſſi opus habent, ſed & benignâ irradiatione Solis Juſtitiæ, & quaſi afflatu Favonii cœleſtis. Nituntur enim contra rapacem perturbationum fluvium, & contra infernalis Crocodili vim & fraudes. *Qui magnum fluvium navigio transmeare contendunt, longè ſuperiùs à deſtinatâ ripa navigare incipiunt, quia violentia retorquentur inceſſabili, & velint nolint cum fluvio quodammodo deſcendere compelluntur: Ita & nos, qui mare hoc magnum & ſpatioſum* (quomodo Maximus Tyrius ait, navigare nos δυσέκνευστον πέλαγος, donec Philoſophia ſubjiciat quaſi τοὺς ἑαυτῆς λογισμοὺς, ut Ulyſſi Leucothea τὸ κρήδεμνον) *pertranſire navibus contendimus, ad jugem adſcenſum noſtrum roboremus propoſitum, quia humana torpor negligentia ſemper in deſcenſu eſt.* Gotefridus Comes Cappenberg. apud Serar. in Pari SS. Comitum Tom. 2. Opuſc. cap. 22.

XXX

Cœlum monſtriferum, Luna habitabilis.

Cogitationes Mortalium! Sapient. 9. v. 14. 15. 16.

15. 16. Nemo, nisi qui *Mathematicorum Cœlum* prorsus ignorat, nescit in eo, quasi in Amphitheatro quodam spatiosissima, innumerarum ferarum edi spectacula, in quo exhibeantur non Canes modò & Ursi, & Leones, sed & Equi alati, Dracones immensi, Scorpiones caudâ adulantes, Cancri chelis minitantes, *totq; alia monstra*, uti in Mundo suo Personato Sandæus loquitur pag. 15. *Ut si in silva nobis vicina hospitarentur, conspirandum esset ab agrestibus, ut ea ferro & igni pellerent: In Luna annis præteritis nescio cujus Galilaici perspicilli opera, vidisse se jurarunt montes, silvas, maria, & alia vel splenem Heracliti ventilantia.* Sic quoque non Lucianus modò, sed & veterum plures, quos ille in vera historia sua exagitavit, Lunam à populo Selinæo habitari & Regi Endymioni subjectam esse tradiderunt: quin & urbes atq; oppida in ea tradiderunt: quin & urbes atque oppida in ea esse, fluminaque & alia omnia, quæ in terris, grandiora tamen & modi majoris, delapsumq; inde Leonem Nemeæum, ut Achilles Arateus, Interpres meminit, apud Angel. Politian. in Miscell. cap. 17. Narranda fuisset aurea hæc fabella, illi cuidam Nobili, qui seipsum quasi ad bestias damnaverat, ita *omisso*, ut cum Episcopo Saresberiensi loquar, *officio de nocte ad noctem semper ad bestias pugnaverat*, homo bestialis, ex 1. Policrat. c. 4. qui etiam Cœlum superis omne relinquere volebat, quòd venari in eo non liceret: dignus qui in venaticum canem transiisset! Non dubium est, quin *assem parasset*, fabulatoris pretium.

Adeò

Adeò nihil ſapimus ſupra conditionis noſtræ originem! in terra cœlum quærimus, in cœlo terram! Quod Tityrus ait apud Poëtarum Principem:

Urbem, quam dicunt Romam, Melibae, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem:

Id nobis quoq; de cœlo cogitantibus uſuvenit,

--- *Sic parvis componere magna ſolemus!*

Confer Rom. 1. 21. & 1. Cor. 2. 14. ut & Auguſtinum de Morib. Eccleſ. cap. 21. ubi docet, ex curioſo circa corporea ſtudio fieri, ut aut omnia corporea credamus, aut de incorporeis, non niſi per corporum imagines, cogitare poſſimus.

XXXI.
Sol in Idâ.

1. Mons Idæus, Judicio Paridis notiſſimus, Solem orientem aliter, quàm in aliis terris ſolet adſpici, oſtentat. Namque *ex ſummo vertice ejus ſpeculantibus, pene à mediâ nocte, ſparſi ignes paſſim micare, & ut lux appropinquat, ita coire, ac ſe conjungere videntur: donec magis magisq; collecti pauciores ſubinde, & una ad poſtremum flamma ardeant. Ea cùm diu clara & incendio ſimilis effulſit, cogit ſe ac rotundat, & fit ingens globus: diu is quoq; grandis & terris annexus apparet, deinde paulatim decreſcens, & quantò decreſcit tantò clarior, fugat noviſſimè noctem, & cum die jam Sol factus, attollitur:* Hæc Pomponius Mela l. 1. circa fin. Sol cum maximus apparet, minimam de ſe ſpargit lucem, cùm minimus, maximam; cum ingens

gens globus esse videtur, terræ adhæret, cùm decrescit, attollitur. Vis magnus fieri? parvus esto! vis humo tolli? decresce! Quantò major es, tantò te humilia, Sirac. 3. 20. 21. sed malo aliud præfigere Lemma:

2. Nox præcessit, dies autem appropinquavit, Rom. 13. 12. Nox fuit tempus veteris Testamenti, quin & respectu vitæ futuræ, totum hoc ævum quod *inter Orcum & Solem*, quasi in Cimmeriis tenebris, decurrimus, nox mera est. Quâ de re ex interpretibus Epistolæ ad Roman. quæ multa possem, afferre piget. In hac mediâ emicare cœpit & lucem aliquam ad veram vitam emergentibus præferre Sol Justitiæ, *Deus de Deo, Lumen de Lumine.* Sed primò quidem velut sparsis per temporum intervalla & Prophetarum munia, ignibus. Qui paulatim collecti, sub reditum Populi Dei ex Babylone, pauciores evaserunt, tenebris interim invalescentibus. Una ad postremum flamma clarissima effulsit, quam Orbi Præcursor Domini, ille

--- *Evangelii sacra janua metaq; Legis*,

ut Johannem Baptistam salutavit, Paulinus prætulit.

Posthæc in terris visus est! ut huc traham illa Baruchi, quæ Patres ferè Soli nostro accommodarunt, cap. 3. 37. Ac deinceps descendendo per seculorum memoriam, usque ad hæc nostra, decrescens, magis magisque, circa hoc mundi crepusculum, appropinquante die illo æterno, cui nox nulla succedet, inclaruit, ut verè dixerit

dixerit Propheta: Ad vesperam Lux erit! Zachar. 14. 5. 7. uti in ultimâ Evangelii promulgatione eventus comprobavit, Apoc. c. 14. 6.

XXXII.

Sol in mari extinctus.

In oculis insipientium mori videtur, Sap. 3. 2. Sol insulsis hominibus in mari extingui videtur, sapientibus non item: Decius Brutus cùm in extremo Hispaniæ limite bella gereret, *Solem in maria cadentem, obrutumq; sacrum ignem aquis non sine sacrilegii horrore* vidisse se testabatur, repertiq; sunt nautæ, qui in strepitum extincti audisse jactarent apud Florum l. 2. Hist. c. 17. At Stesichorus & Æschylus docent ab occasu in orientem enavigare *in aureo calice* à Vulcano fabricato: Mimnermus verò versibus pulcherrimis, dormientem *in aureo lecto* ab Hesperidum regione ferri ad Æthiopas cecinit, Natal. Com. l. 5. Mytholog. c. 17. Sic prorsùs pii ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων, mori & extingui videntur, cùm interim suavissimè in manu Dei requiescant. Impii verò, ut apud Platonem alicubi loquitur Socrates, μᾶλλον τοῦ Ἡρακλείτου ἡλίου, *magis quàm Sol Heracliti extinguuntur.* Denique *ut Sol demergit & nascitur: astra labuntur & redeunt: flores occidunt & reviviscunt*, ut habet Minutius Felix in Octavio. Ita

Cuncta resurgendi speciem meditantur, in omni
Corpore, & in terris germina & astra Pole,

teste Paulino in Obit. Celsi.

XXXIII.

Solis Ovis.

Reges erunt nutritii tui! Esa. 49. 23. Herodotus in Calliopâ refert, in Apolloniâ, quæ in sinu maris Jonii Regio est, oves fuisse Soli sacras, quas ex pastu sub noctem reduces, qui divitiis & nobilitate præstabant, singuli per annum, domi custodire soliti fuerunt. Homerus nec nasci nec denasci scripsit, pasciq; à Nymphis. M. Odyss. Natal. Com. l. 5. cap. 17. *Solis oves* sunt Sanctè Literati, homines ferè ovinâ simplicitate, placiditate: nam *didicisse fideliter artes*,

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Nec nascuntur: *Cadmi semen quidem sativos eâdem, ut ajunt, die milites protulit; sed sativos Theologos nulla adhuc fabula prodigiosè finxit*, ait Synesius de Dione. Nec obeunt:

Non omnis moriar! multaq; pars mei
Vitabit Libitinam! ait Horatius.
--- *Ingenio stat sine morte decus.*

Propert. l. 3. Eleg. 1. Utinam, quibus summa rerum à Deo tradita sunt, colerent, colligerent, & sibi quoque, quoniam *Pastores* sunt *Populi*, dictum crederent illud: Pasce oves meas! Joh. 21. 17. sed surdo fabula!

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur! ut questus olim est Ennius.

XXXIV.

Sol exsecratus.

Ignem veni mittere in terram! ait Dominus, intelligens ignem tribulationis, de quo Psal. 66. 12. Esa. 43. 2. qui *aurea Dominica domus vasa meliorat, fœnum verò consumit & stipulam*, ut habet Ambros. in Luc. ignem inquam, de quo statim ibidem Luc. 12. 49. 51. Non enim veni mittere pacem, sed διαμερισμὸν, separationem, gladium, Matth. 10. 34. ubi interpretatur Dominus *ignis istius qualitatem*, ut ait Tertullian. l. 4. adv. Marcion. c. 29. ut Sol non tantùm vivificam lucem spargit, sed & ignem mortiferum, illam ex natura sua, hunc pro situ terrarum & ingenio: Sic etiam Sol ille cœlestis non est sine suo damnoso igne, *ubi lux, ibi crux!* Hinc fit, ut orientem doctrinæ salvificæ lucem multi, ut Atlantes Solem, *dira imprecatione contueantur, velut exitialem ipsis agrisq;*: Plinius l. 5. cap. 8. *Atlantes* enim *ab humano ritu prorsus exulant, diris Solis ortus excipiunt, diris occasus prosequuntur: usti undiq; torrentis plagæ sidere oderunt Deum Lucis*, ait Solinus, cap. 44. Addit Plinius ôdio lucis *neminem* eorum *interdiu cerni*. Tales Atlantes habuit Judæa olim, Jerem. 44. 18. & sunt de eo genere nostri Lucifugæ, qui existimant: *Omnis publicæ cladis; omnis popularis incommodi Christianos esse caussam*. Tertullian. in Apolog. c. 40. &c.

XXXV.

Sol adoratus.

1. Ut Atlantes, *degeneres humani ritus*, orientem Solem diris exceperunt; ita reliquæ gentes ferè *osculo venerata* sunt. De quo antiquissimo cultu Solis Jobus testatur cap. 31, 27. Accidit iis quod *ignaris evenire solet in curiam euntibus, ut quosq; obvios splendidiùs exornatos Regem esse suspicentur*, ait Thom. Aquin. in opusc. de Symbol. Apostol. Sic Darii uxor pro Alexandro Hephæstionem adoravit, excusanti ignorantiam respondit Alexander: Ne sollicita sis, nam & hic Alexander est, ut est apud Q. Curtium. Nihil inhumanius est, quàm Virtuti emergenti invidere.

O dirum exitium mortalibus! ô nihil unquàm
Crescere, nec magnas patiens exsurgere laudes
Invidia! Silius 17. v. 192.

Sed nihil ea habet cum Sapientiâ comercii. Invidus, ait Sapientiæ Scriptor, non erit particeps Sapientiæ, Sap. 6. v. 25. conf. Jac. 3. 14. 15. At *Virtutibus abundat, qui alienas amat*. Plin. l. 2. Epist. 17.

2. Cæterùm ut Sol nec Persarum salutationibus, nec Atlantum exsecrationibus in transversum agitur, semper sibi constat, rectoq; tramite fertur per obliquum Zodiaci limbum: Sic animus Sapientis semper sui similis est!

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida --

Nec

Nec prece,nec pretio, nec gratiâ, nec periculo, nec simultate à via recta deduci oportet! ait Cornificius l.3.ad Herenn. Hoc est, ad quod nos Paulus Apostolus exhortatur, in omni sorte Deo se servare integrum, & possis huic quasi Emblemati meritò præfigere illa: *διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας*, in utraque fama, 2. Cor.6.8.

XXXVI.

An in Sole Maculæ?

1. Justificata est sapientia à filiis suis! Matth.11.19. Maculæ tubo Batavo in medio etiam Solis disco nunc apparent, nunc disparent. Neq; enim sunt in Sole,sed sub Sole, Lunâ tamen superiores, & videntur provenire coalescentibus pluribus corpusculis opacis, ait Vossius, Vir CL. in 2. de Idololat. c.2.p.313 Qui maligno invidiæ tubo utuntur, etiam in Sole vident maculas, quæ tamen nullæ sunt. Sic *arquatis, & veternosis etiam,quæ lutea non sunt, æquè ut lutea videntur*, ut ait Varro in Eumenidib. apud Non. Marcell. *Non sic Cœlum nubes, nox diem, Solem caligo, quomodo mentem cæcat & tenebrat invidia*, P.Chrysolog.Serm.48. Diogenes referenti, quod à cunctis vituperaretur; *Oportet*,inquit,*Sapientiam ab insipientibus feriri:* apud Joh. Saresb. in Policrat. l.3.c.14. Nihil tàm sanctum est, in quo lividus oculus non aliquid inveniat, quod linguæ suæ maledicæ rodendum propinet, quæ etiam Deo non parcit,cum infernali igne incaluit, Jac.3.7. Die Weißheit muß sich lassen rechtfertigen von ih-

ren Kindern/die wissen alles besser: Wie es GOtt macht/so taugts nicht. D. Luth. in Deut. 32. 4. ad marginem: Sunt alioqui loci citati ex Matth. 11. variæ interpretationes, quas vide apud Maldonat. ibid. Fabellam de Momo, huc facientem, leges apud Natal. Comitem lib. 9. cap. 20.

2. Lex Domini immaculata, Psal. 19. v. 8. Sol Sacra Scriptura est, Luna Doctores Ecclesiæ: neuter sano lumine utitur, & qui in isto maculas videt, & qui in hac non videt. *Maculas*, quæ in Lunâ apparent, aliqui *admixtum esse aërem* docent, *qui suapte natura opacus ad cœlum tenditur*, negant enim Lunam globum esse puri ætheris: Philo de Somn. pag. 501. edit. Latin. Gelenii. Plinius verò *Sidera humore terreno pasci* persuasus cum Stoicis, eas maculas ait esse non aliud *quàm terra raptas cum humore sordes*, lib. 2. c. 9. Quid mirum, si in eorum libris, aliquæ passim eminent maculæ, qui ex carne & spiritu compositi *è terrâ nascuntur*, pascuntur, *ut blitum, ut vetus verbum est*.

3. Quæ in cœlis sunt, quis investigabit? De Solis maculis disputamus, nostras nulli eluimus!

Ut nemo in sese tentat descendere! nemo!

At faciunt curiosi isti ferè quod Democritus, qui

Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut posset splendore æreo:
Ita radiis Solis, aciem effodit luminis.

ut habet Laberius apud A. Gell. 10, cap. 17. Nempè

pè qui oculos in Solem nimis contendunt, oboriente nocte, dùm maculas se videre sentiunt; nihil videre occipiunt. Qui in cœlo acutius videre sibi videntur,

--- quàm aut Aquila aut serpens Epidaurius ---

cùm in terram & ad seipsos revertuntur, *Leberide cæciores* sunt. Quod ex Platonis Phædone repetit Theodoretus Serm. 2. de Cur. Græc. affect. vide Sap. 9. v. 17. & Rom. 11. 33.

XXXVII.

Harpaste fatua.

Cœcis opertum est Evangelium, 2. Cor. 4. v. 3. 4. Qui obscuras in Sole divini verbi maculas, videre se putant similes videntur fatuæ, quam Senecæ uxor alebat. Harpasten nomine: *Ea*, ut scribit ad Lucill. ipse Epist. 50. *subitò desiit videre, nescit se esse cæcam, subinde pædagogum suum rogat, ut migret, ait, domum tenebrosam esse.* Sic hæretici cùm ex Scripturis arguuntur, vertuntur in accusationem Scripturarum, ut Irenæus olim conquestus est l. 3. c. 2. quæ tamen, ut rectè docuit Theodorus apud Cassianum, *non, ut essent incognitæ vel obscuræ, Sancti Spiritus gratiæ nobis promulgatæ sunt; sed ex nostro vitio, velamine peccatorum cordis oculos obnubente, redduntur obscuræ, quibus rursùm naturali redditis sanitati, ipsa Scripturarum sacrarum lectio, ad contemplationem veræ scientiæ, abundè etiam sola sufficit:* hæc ille l. 5. de Spir. Gastrimarg. c. 34. p. 88. in Octav.

XXXVIII.
Evarix Gothorum Rex.

XXXIX.
Solis apud Indos inducia.

1. Spinæ suffocaverunt illud, Luc. 8. v. 7. Evarix Arianus & acerrimus Orthodoxorum persecutor fuit: nam & ipsos sacrorum Templorum aditus spinis jusserat obsecrari, scilicet ut ***raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei***, ait Gregor. Turonens. l. 2. Hist. c. 25. Heu quibus non spinis curarum ærumnarumque obsepit Diabolus templorum fores? imo & aurium, quæ ad cor januæ sunt, in quo Dei Templum esse debet! ***Nam idcircò oculos & aures patefecit in corpore divina solertia, ut per eos aditus scientia perveniret ad mentem***, inquit Lactantius l. 3. c. 3. Techna frequens impuro illi spiritui festis temporibus, de qua olim sic querulabat:

Dum Natalitios, ô Princeps Pacis, honores
  Antiqui colimus ritibus obsequii,
Heu! ***Lætis aliquid semper miscetur amari***,
  Lætitiæq; uber flebile tuber habet!
Jam ter funesto turbamur milite, nec nos
  Gaudere insolidum Martia corda finunt,
Quis fas atque nefas nullo discrimine habetur
  Inq; æqua Pietas noxaq; lance sedent.
Pax redeat, sator ô Pacis, Pacem annue, Pacem!
  Dia bonum gremio Pax habet omne suo.

2. Sed

2. Sed amaritudinem iſtam feſtorum dulcia gaudia contriſtantem ſibi imputet tepor noſter & ſtupor. In Indiæ locis habitabilibus, ut Cteſias apud Photium cod. 72. author eſt, *regio eſt Soli & Lunæ ſacra*, ad quam à monte Sardonis quindecim dierum iter eſt, ubi Sol ad annum feſtum ſuum peregrinantibus XXXV. dierum friguſculum indulget, ne dum illi operantur aut peregrinantur æſtu immani torreantur. Tale friguſculum pollicitus eſt Dominus feſta ſua ritè celebraturis, Levit. 26. 6. 24. Exod. 34. 24.

XL.

Solis cultus in Zeilam.

Coacervabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, 2. Tim. 4. 4. *Ad Amicum.* Ne doleas, charum caput, famam nominis tui longè adhuc infra meritorum tuorum gradum conſiſtere, Vulgus leve novitatis avidum, quantò quid recentius eſt & magis ſtrepitum, tantò pluris æſtimat, nota etſi optima faſtidit.

Antiqua ſordent, convolat quisq; ad nova!

Id fieri quotidiè videmus, quod in Haaulam, quæ nunc Zeilam, Inſula; Colitur ab incolis Sol, aris extra urbem frequentibus, in quibus ſimulachra ſunt ſacrata, ad ſimilitudinem orbis Solaris Magicis artibus conſtructam: exoriente autem Sole orbes illi incendi videntur, magnoq; ſtrepitu ſonant. Summo itaq; mane communiter excurritur, aditurque Sol, à viris pariter & mulieribus, habentq; ſuas ſinguli acerras in manibus, &

pariter Soli thura adolent: Refert Benjamin Tudelensis in Itinerario Interpr. Ar. Montano. Quid videntur tibi globi illi flammivomi, magnisoni? qui nescio qua γοητεία, vulgus hominum ita dementant, ut nemo non adoret, nemo non *aut thure, aut vino, aut aliquod semper supplicet.* Nunquid illi, de quibus apud Nævium percontanti: *Cedo qui vestram Rempubl. tantam amisistis tam citò?* Respondetur: *Proveniebant Oratores novi, stulti, adolescentuli!* Sic Seculum est! Tu in rectè factorum conscientia acquiescas, aut si vis contentus esto eâ virtutis opinione, *de qua tibi*, dicam cum Sidonio Apollinari l. 1. Epist 1. *jampridem in portu Judicii publici, post lividorum latratuum Scyllas enavigatas, sufficientis gloriæ anchora sedet.* Vale.

XLI.

Solis Victima.

Hostiam viventem, Sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum! Rom. 12. 1. Non adderem hoc, de quo Caussinus l. 1. c. 12. & alii, nisi illustrando Sacro Codici, cui opellam hanc totam, quantulacunq; est, dedicavi. *Equos dederunt Soli Reges Juda, in introitu Templi Hierosolymitani, additis quadrigis, abolevit postea Josias*, 1. Reg. 23. 1. Quos Equos? an fusos ex ære, aut alio metallo! an vivos? Prius affirmat Selden. Syntagm. 2. de Diis Syris c. 8. Posterius Rabbini, Lyra, Vatablus, & post omnes Sanctius in 4. Reg. 23. num. 13. Et his ego digitum attollo!

Ratio

Ratio Sanctii satis valida, quia currus Solis combusti, Equi ablati: Cur non & ii combusti, si ex simili materia? Ablati verò, quia vivi, quia ad alios usus boni, quia si cremati fuissent, sacrificati viderentur. Adde, Procopio teste, Regibus Persarum, à quibus ritus iste traductus, *Solem quotidiè salutandi morem fuisse*, ut rectè putent aliqui sacris his equis vectos, qui orientem Solem salutarent jussu Regum & nomine. Fortè similes equi fuerunt, quorum in Darii electione meminit Justinus ex Trogo. Deniq; Herodoto affirmante, nefas fuit apud Persas dedicare imagines, quod apud Patrem Historiarum est ἱδρύσασθαι, quod Pollux l. 1. Onomast. c. 1. explicat, ἐγκαθίσαι τῷ νεῷ, Templo inferre & consecrare. Nam alioqui ab omni imagine non abhorruisse, *Solis imago Crystallo inclusa*, apud Curtium, imò *& in clypeis expressa, & in linteis picta*, apud Tertull. in Apolog. argumento est. De tota re & inprimis de caussa Sacri eleganter paucis Heliodorus l. 10. Æthiopic. ubi docet; Soli τέθριππον, quadrigam albam, currum quatuor equis instructum, oblatam, quod τῷ ταχυτάτῳ Θεῶν τὸ τάχιστον, *celerrimo Deo, id quod celerrimum est, convenire* arbitrati sint. Cavendum igitur

Ne detur sancto victima fœda Deo!

Quod observavit Abraham, Genes. 22. 9. 10.

Senile pignus qui dicavit Victimæ:
Docens; ad aram cùm litare quis velit,
Quod dulce cordi est, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.

Pru-

Prudentius in Psychom. Præf. unde Dn. Phil. Melanchth.

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
Atq; jubet castas pondus habere preces.

XLII.

Lunæ imago Cynocephalus.

Stultus sicut Luna mutatur, Sirac. 27. v. 12. Cynocephalus quando Luna cum Sole coit, quasi de raptu hujus luminis lugens, nuspiam detorquens oculos solo affigit, cibi potusq; immemor. At eadem cùm faciem facemq; mundo reddit, gestit & exultat, quo habitu pingi solebat manibus in Cœlum levatis, in capite ferens τὸ βασίλειον, quod Caussinus in Observ. in Horum exponit, Lunæ archetypum exemplar, quomodo Diana pingitur in vertice gestans Lunam corniculantem: Sic Lunam orientem picto Cynocephalo significare volebat Ægyptii. Horus Hierogl. 1. cap. 15. Nempè uti *Luna modulationibus menstruis variat*, ut habet Tertull. de Pallio:

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest unquam, semperq; hodierna sequente
Si crescit, minor est, major si contrahit Orbem:

Ovid. 15. Metam. Ita quoque

Ludus fortunæ, variatur imagine Lunæ,

& cum illo quotquot Cynocephali sunt; si crescat, crescunt animis, exultant, ut *Cœlo supinas* tulit *manus*

Nascente Luna rustica Phidile!

Si decrescat, solo affixi, despondent.

XLIII.

Luna in calceis Nobilium.

Cynocephalus in capite fert, apud Romanos verò

--- nobilis & generosus
Appositam nigra Lunam subtexit aluta.

Iuvenal. Satyr. 7. de quo more vide Plutarchum Quæst. Rom. 76. Sic Ecclesia verè nobilium nutrix & altrix unica, Sole amicitur & Lunam calcat, Apoc. 12. 1. 2. quod explanans Gregor. M. l. 24. Moral. cap. 7. *In Sole*, inquit, *illustratio veritatis, in Luna, autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalis accipitur: sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi Sole vestitur, quia verò cuncta temporalia despicit, Lunam sub pedibus premit.* Hæc ille, cætera benè, sed Solis amictum meliùs explicat Corn. à Lap. in Apoc. docens Christum Solem Iustitiæ esse quasi vestem Ecclesiæ, de qua Apostolus: Induimini Dominum Iesum Christum, Rom. 13. 13. sic Esaias c. 61. v. 10.

XLIV.

Mirum Lunæ ingenium.

Cùm homo exterior noster corrumpitur, interior indies magis, magisque renovatur, 2. Cor. 4. 16. & vice versa: ut Luna, quo magis hemisphærio illo exteriore, quo terras adspicit, claret, eò magis interiore, quod cœlo obvertit, obscuratur; quantoque magis Sole suo plena appares

paret, tantò ab eo remotior est. Nam ut ex Opticis clarum est, *quo Sphæra illuminata longiùs dista ab illuminante, eò minùs lucis accepit.* Jam quo magis Luna augescit, eò magis à Sole discedit,

- - quantumq; ab Apollinis igne recedit

Hoc magis ipsa suum fundit mortalibus ignem,

ut canit Jovian. Pontan. itaque cùm plena in terris visitur,

- - plenoq; coruscam

Orbe comam & fulvo totum caput explicat auro,

Soli adversa est, sæpè etiam inauge constituta; adeò ut tum minimum ab eo Lucis accipiat, quod primo intuitu ἄδοξον apparet. At in coitu, *interlunia* vocant, & *Luna silentia*, quando Soli conjunctissima est, non cernitur, non defectu luminis, sed quoniam *haustum omnem lucis aversa illo regerit, unde accepit*, ut docet Plin. l. 2. cap. 9. Ita, ut docet Augustinus, *anima humana recedens à sole justitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, & eò magis magisq; obscuratur in interioribus ac superioribus suis. Sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quantò magis ei propinquat affectu pietatis, tantò magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, omnisq; lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, & à terrenis quodammodò aufertur, ut magis magisq; huic seculo moriatur, & vita ejus abscondatur cum Christo in Deo:* &c. l. 2. ad Inquis. Januar. c. 4. & 5. Ita Ecclesia exterius obscurata, interius splendescit, at quantò foris splendidior

est,

ſt, tantò intus & tenebrioſior & à Deo remo-
ior. *Quantum copia acceſſit, tantum diſciplina*
eceſſit, & proſperitas venit quæſtuum, cum magno
enore detrimentorum: Multiplicatis fidei populis,
des imminuta eſt, & creſcentibus filiis ſuis, mater
grotabat: verba ſunt Salviani l. 1. contra avari-
iam. Hinc fit, ut ex externis iſtis nemo colligere
ertò queat, utrum amore quis ſit dignus an
dio? Eccleſ. 9. v. 1.

XLV.

Luna ab Aſino epota.

Ne reſpondeas ſtulto ſecundùm ſtulti-
iam ſuam, ne adæqueris ei, Prov. 26. 4. Ridi-
ulum facinus narrat Ludov. Vives in c. 16. l. 10.
e Civ. Dei S. Auguſtini, fuiſſe ſua memoria po-
ulum, qui cùm Arcadicum pecus ſub veſperam
fluvio bibiſſet, Lunaque, cujus in eo imago relu-
ebat, intereà obtecta ſe nubis condidiſſet, ab aſi-
o ſimul cum aqua Lunam hauſtam credens, mi-
ellum iſtum Sileni vectorem in carcerem conje-
erit, & poſt legitimam quæſtionem in equuleo
ortum exenterarit, ut ablatam Mundo Lunam
eſtitueret. Luna *famam*, ut docet Greg. M. l. 22.
Mortal. cap. 5. *laudabilem* ſignificare poteſt, *per*
uam celebre nomen in hac præſentis vita nocte poſ-
idetur: & ut illuſtrationem Luna per occultum
irculum, ut quidam putant, à radio Solis accipit, ut
oſſit lucem nocturnis curſibus exhibere; Sic fama
bono opere vires accipit, & favoris gratiam quaſi
laritatem luminis adſpergit. Talem famam qui
ex

ex ſtultis quærunt, quid faciunt aliud, quam quod Lunam in aſini alvo inveſtigant? faciunt hoc qui vaniſſimis quorundam nugivendorum ſcriptis refutationis accuratæ inanem operam impendunt: quaſi veriſimile ſit Lunam ab aſino bibi, & in ventre ejus obſcæno recondi poſſe, ut tàm operoſâ exenteratione & eviſceratione opus ſit. Hoc eſt, quod ajunt, *laureolam quærere in muſtaceo:* quod erat genus libi, & ſuppoſitis lauri foliis decoquebatur, vide Eraſmi Adag. p. m. 817. *Si ſtultus convitiis & ſannis tecum agat, tu memor modeſtiæ, non par pari referas, alioqui ſimilis ei eris, omnesq́ dicent: neſcio uter plus ſapiat, cum Bitho Bacchius commiſſus eſt,* ut eleganter locum Salomonium citatum explicat Lavaterus in Comment. in Prov. Salom. p. 144.

XLVI.

Lunæ nulla veſtis apta.

1. Contenti ſimus præſentibus! Hebr. 13. v. 5. Cleobulus apud Plutarchum in Conv. Sept. Sapient. Interroganti, *quis rei familiaris modus eſſe debeat?* Atqui, inquit, Lex menſuram Sapientibus præſcripſit: ineptis fabulam narrabo: Lunam ajunt à matre petiiſſe, ut ſibi tuniculam congruentem texeret: reſpondiſſe verò matrem; Qui poſſim? cùm te jam plenam, jam in cornua attenuatam, jam dimiduo orbe videam? Sic homini fatuo nulla fortunæ veſtis apta eſt.

--- *Nemo quam ſibi ſortem*
Seu ratio dederit ſeu fors objecerit, illa
contentus vivit. Horat. 1. Serm. 1.

Ex

Et *quis est tàm compositæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum statùs sui qualitate rixetur?* Boëthius l. 2. Prof. 4. Qui sapit, præsentia diligit, *fortunamq́*, ut ait Apulejus, *ut tunicam, magis concinnam probat, quàm longam: quippè ea etiamsi non gestetur & trahatur, nihilominùs quàm lacina prædependens, impedit & præcipitat.* In Apologia. Denique sic ajunt *difficile esse cani lectum sternere.*

2. Lunæ Germanorum stultitia non est absimilis, nam & illis nulla vestis apta reperiri potest, ut docent vulgò

--- tot nova nomina vestis
Quaq́ virum quærunt.

Petron. in Satyrico.

3. Sic cuilibet magnæ & inprimis Regiæ fortunæ nulla congruens tunica texi potest, quæ *nunquam in eodem statu perseverat, sed sicut Luna, ut per momenta crescit in prosperis, ita decrescit in adversis.* Sedulius de Rector. Christian. cap. 16.

XLVII.

Lunæ deliquium.

Septies in die cadet justus & resurget! Prov. 24. 16. Luna quando sublimis deficit, non diu hæret in tenebris: cùm verò humilis & terræ vicina in umbram incidit, admodum premitur, & tardè ex eâ emergit: Nam etsi sublimis tardiùs moveatur, humilis celeriùs; tamen umbra terræ, quæ faciem ejus in deliquio fuscat, coni formam habet, ac circa basin latissima paulatim acuminatur, donec in cœlo in exilem desinat cuspidem.

Plutarch. de Facie Lunæ. Umbra terræ peccatum aut infortunium notare poteſt,ea enim hunc quaſi Ates Campum ſemper involvunt. Fallitur verò Latinorũ Zeno, cùm ait: *Talis eſt Sapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam; ſemper illic ſerenum eſt!* Seneca Epiſt. 59. Imò, inquam, talis eſt verè Sapientis, quis autem ille niſi verè Chriſtianus? animus, qualis ſtatus Lunæ ſublimis, nam etſi in umbram incidere poteſt & ſolet, opprimi tamen ab illâ non poteſt, recipit ſe quàm primùm, & in lucem priſtinam erumpit. Itaque quod ajunt, *Primum eſſe errorem penitùs non incurrere; alterum bene repudiare*, eorum alterum Dei eſt, alterum hominis Deo proximi: vide Caſſianum l. 1. de Incarn. Dom.

2. Animi graves perturbationes; quid ſunt niſi quædam deliquia? Cadunt eæ quoque in Sapientem, ſed aliter atq; in ſtultum, qui cum iſtis immergitur, mergitur.

Vir prudens ratione ponit luctum,ſtultus tempore!

XLVIII.

Animæ in Lunâ.

Lunam ſuas habere cavernas, animarum receptacula, author eſt Sylla apud Plutarchum in libello de Facie Lunæ. Eas verò animas, dum in umbrâ ſunt, prodit lamentari & trepidare, quod harmoniam Cœli exaudire tùm non poſſint, quâ de cauſâ in Lunæ defectibus æra pulſentur, clamoresq; tollantur adversùs animas. Luna hic inſtabilis mundus eſt,in quo velut in ergaſtulo quodam

dam sedent infelices animæ, in umbrâ mortis, Luc. 1. 79. ærumnabili labore, metuq; animi, & rerum exspectandarum imaginationibus, ut ait Siracides, obseptæ cap. 40. 2. extorres quin etiam & exsortes primigeniæ dignitatis, harmoniæq; cœlestis, ad quam erant à Deo conditæ & institutæ, quibus ista Mundi Cymbala ista æra tinnientia, 1. Cor. 13. 1. insaniq; omnium Pseudosophistarum clamores, tàm opitulari nequeunt, quàm Lunæ laboranti *æra* illa veterum *auxiliaria dissoniq; crepitus*, quib⁹ eam veræ rationis deliquiorum ejus ignari juvari persuasum habebant, rati Magico cantu *deprimi*, &, ut cum veteri quodam Poëta dicam, *detrahi posse altivago è speculo. Donec suppositas propior despumet in herbas.* Inq; eas ex sinu suo, omnium siderum idearumq; cœlestium virtutibus referto, novas vires diffundat. Vide de his, ut alios mittam, Ludov. Vivem in 10. August. de Civ. Dei cap. 16.

Hunc itaq; affectum, quo sumunt mortua vitam;
Quo tenebræ fiunt lumen, *quo immunda nitescunt,*
Quo stulti sapere incipiunt, ægriq; valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi; non Litera Legis,
Non naturalis Sapientia, *quæ semel acta*
In præceps labi novit, consurgere nescit.

ut canit S. Prosper de Ingratis.

2. Possis quoque ad suffragia applicare, & ad æra illa in cista indulgentiarum tinnientia, quibus animas in purgatorii umbrâ laborantes, credunt juvari, qui aniles avias sequuntur.

XLIX.

Luna Multimammia.

Ubera consolationis! Esai. 66. 11. Vulgatum est, Lunam sub nomine Dianæ Ephesi cultam, eamq; πολύμαστον, id est, Minutio Felice interprete, *mammis multis & uberibus extructam*. in Octavio; quod *omnium viventium nutrix* putaretur, explicante Hieronymo in Præf. Epist. ad Ephes. essetq; Domina omnis humoris, omnium siderum influxum recipiens, omnibusque Mundi elementis dividens. Extant ejus *Multimammiæ* icones passim, etiam in numis. Meminit ejus quoque Corn. à Lap. in c. 19. Actor. Apost. v. 24. ubi inquit: *Vera & verax Christianorum Diana, est Beata virgo Maria. Eadem est multimammia, quia nova Eva mater viventium, lac sua gratiæ & consolationis omnibus se invocantibus impertit.* Quod pluribus exsequitur. Id argumentum cùm ex nostris occupâsset Dn. Berneggerus in Idolo Lauretano, ansam dedit Rœstio in Apologia pro æde Lauret. cap. 10. paratragœdiandi, novemq; dissimilitudines excogitandi Dianam inter & Deiparam. Sed relinquamus utrisq; & Ephesiis suam & Romanis, sivè Dianam sivè Deiparam. Nos Christiani habemus *Deum multimammium*, cujus nomen proprium *EL Schaddai*, à *Schad*, mamilla, ut non obscura Paronomasia indicatur, Gen. 49. 25. sed & Matrem habemus, cujus ubera vino sunt suaviora, Cant. 1. 13. confer Vossium l. 2. Idol. cap. 25.

L. Di-

L.

Diversa Solis & Lunæ alimonia.

Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum? Matth. 20. 22. Calicem vocat Dominus Mortem amariſſimam, ut oſtenderet, *oportere nos Mortem & martyrium tàm facile aggredi, quàm ſi bibendum eſſet poculum*, explicante Theophylacto ibid. Tradebant Stoæ ſectatores, Solem paſci magno Mari, quod ſit fax quædam intellectu prædita; Lunam autem dulcibus aquis quod ſit aëri permixta & terræ vicinior, apud Laërtium: Sic enim credebant ſidera *terræ, Maris, aquarum vaporibus ali*, Cicero de Nat. Deor. l. 2. Ariſtot. 2. Meteorolog. c. 2. &c. Sic cibus fuit Soli noſtro amarum paſſionis mare, Joh. 4. v. 34. Virtus amaris alitur, ſtultitia dulcibus. *Virtus duritia exſtruitur, mollitia deſtruitur*. Tertull. ad Martyr. *Virtus durioribus negotiis eniteſcit, & adſpernatur declivem facilitatem maximoq; ſudore arduum laudis annititur*. Symmach. 9. Epiſt. 81. Sol maculas nullas habet, & mari paſcitur: Luna veras habet & dulci humore veſcitur. Sic qui amaris paſcuntur, defœcati ſunt, qui dulcibus, pardo maculoſiores ſunt, nam

Maxima felicitatis ardua eſt concoctio.

LI.

Lunæ Sacrificandi mos.

Mulier ne gerat arma virilia, nec vir induatur

duatur veſtimento muliebri, Deut. 22. v. 5 Mos iſte fuit apud Idololatras, nam ut R. Moſe Maimon. in More Nebuchim author eſt, Viri in muliebri veſte Veneri, at mulieres in lorica Mart ſacrificare ſolebant. Eodem ritu ſacra olim facta eſſe Lunæ, quod eadem & Mas exiſtimaretur & fœmina, prodidit Philochorus in Artide, & Macrob. ex illo, l. 3. c. 8. Hodiè omnes Lunæ ſacrificare videntur, adeò nulli meminêre quid facti ſint. Mitto nunc vos, Viri, tantùm cum Poëta inſuſurro: --- *animum geritis muliebrem!*

Quid mulieres? audite querimoniam olim ab Hieronymo deploratam: *Matronæ & mulieres ſunt Senatus noſter; quæ dominantur in Eccleſiis, & de ſacerdotali gradu favor judicat fœminarum*, in cap. 3. Eſa. Nunquid rem acu? at quid ſtultius, turpius? *Cur enim vir mentiris fœminam? at tu fœmina virum? Suis unumquemq; ſexum natura induit indumentis!* ait Ambroſ. l. 4. Epiſt. 15. & discrevit officiis. Sed hæc eſt mundi inverſi ratio.

Mulierem multis commixtam Viris
Gens quædam veneratur, atq; odit pudicas;
Alii cùm pepererint eorum conjuges,
Jacent decubentes, ac ſi ipſi peperiſſent;
Illa verò ancillantur, miniſtrantes vano morbo,
Odit quod album eſt, ut noſti, Æthiops,
Nigrum autem meliùs mille albis ducit.
Jam commiſcetur plus pedibus ab Ægyptiis.
Manibus verò cœnum in maſſulas redigitur:
Athenis δικασπόλοι *Judices erant,*
Ex indoctis, ſapientes verò ἐπηρέμων,

id

id est, sedebant taciti! Ita hodiè fit vulgò, ut questus olim est Tzezes de Liberor. Educat.

LII.

Somnium Josephi.

Vidit per quietem Solem, Lunam, & Stellas XI. se adorare, Genes. 37, 9. In quo somnio Sol significabat Patrem, Luna matrem, scilicet Balam, quæ ancilla Rachelis, ea jam mortuo Josepho fuit instar matris, inquit Lyranus & Abulensis, undecim stellæ significabant undecim fratres, Josephum in Æpypto adoraturos. Imago pulcherrimæ Oeconomiæ, in qua Paterfamilias Solem repræsentat, Mater Lunam, familia stellas, sed hoc quidem loco uberius non illustranda: vise, si vis, D. Back. in Evang. Dom. XXI. Trinit. pag. 237. Apposite Artemidorus l. 2. de Somn. Interpr. cap. 38. *Cælum*, inquit, *simile est domui somniantis, stellæ verò possessionibus, opibus, ac hominibus in domo.* Tradiderat idem cap. 37. Lunam significare uxorem somniantis & matrem, nutricem enim, mundi scilicet inferioris, putari: Quâ de re supra num. 49. At de Sole quod dixit, *Liberos masculos soles à Parentibus vocari blandientibus*, cap. 36. confirmatur fastu Cleopatræ, quæ filium Solis, filiam Lunæ vocabulis appellari voluit, quos Augustus deinde cum matris cadavere Romam in triumpho duxit. Tzezes Chiliad, 9. v. 80. Quo in exemplo inordinatæ & inauspicatæ Oeçonomiæ imago exhibetur. Et sunt fermè parentes sic animati, ut præpostero amore

ex liberis ſuis non Dominos modò, ſed & Deos ſibi faciant. Similes ſimiis, quas ajunt, poſtquam partum ſuum muſteum enixæ ſunt, ὥσπερ ἀγάλμασιν ἐνατενίζειν, ac pulchritudinem ſatis demirari non poſſe, at ſimiolæ illæ quid rectè intuentibus niſi πιθήκων παιδία; ut eleganter loquitur Syneſius Epiſt. 1. hæc nonnihil illuſtrando ſomnio iſti adferte viſum, de quo etiam ſuprà in Serapi. Facit ad rem anulus Regis Navarræi ſponſalitius, in quo adamas inter Solem & Lunam, cum Epigraphâ: *Simul & ſemper!* æterni amoris & invictæ fidei pignus; quomodo æternitatem innuentes Ægyptii Solem & Lunam pingebant, διὰ τὸ αἰώνια εἶναι ϛοιχεῖα, Horo teſte cap. 1. Hierogl. l. 1. Quod cum Sacris venuſtè congruit. Pſ. 72. 17. & v. 7. 5.

LIII.

Signum Virginis.

Aſtræam vocant, pingunt alatam, capite inter aſtra condito, pedibus in nullo ſolo fixis: Icon Fortunæ, quæ

--- pernicibus alis
Nec ſat certa gradum, viduataq; vertice ſummo,
Fluxa Polo vertit veſtigia; lubrica ut ævum
Sors agat, & ſubitis obrepat mobile fatum
Temporibus. Avienus in Phœnomen.

Latet in cœlis caput Fortunæ, Providentiæ divinæ, viæ & conſilia in alto ſunt abſcondita. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Rom. 11. 34. Itaq; non multum oportet conſilio credere, quia ſuam

ſuam habet fortuna rationem, ait Petronius in Satyr. Apelles ſedentem pinxit, quod ſtare neſciat. *Noſtri*, ait Scytha ad Alexandrum, *ſine pedibus dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoq; comprehendere non ſinit.* Curt. l. 7. Boëthius l. 2. Proſ. 1. videtur innuere, *biformem* pingi ſolitam, duplici vultu, altero albo, altero nigro, ut viſum ejus interpreti Thomæ Aquinati l. 1. Conſolat. Phil. metro 1. vulgatam imaginem Pacuvius explanat, verſibus hic quoque legi dignis, ex Cornifici l. 2. ad Herenn.

Fortunam inſanam eſſe & brutam, & cæcam perhibent Philoſophi;
Saxoq; inſtare globoſo prædicant volubili,
Ideò, quò ſaxum impulerit, decadere fortunâ autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quo ſe applicet:
Inſanam autem ajunt, quia atrox, incerta, inſtabilisq; ſit:
Brutam, quia dignum atq; indignum; nequeat internoſcere!

LIV.

Sirius & Oenanthe.

Avis hæc eſt, quam Gaza ex Græco vocavit *Vitifloram*, quæ, quâ die Sirius oritur, latebras petit, & quâ iterum occidit, prodit. Ariſtot. l. 9. Hiſt. Anim. c. 49. Plinius l. 10. c. 29.

--- *Bene qui latuit, bene vixit!* ---

Sed non eſt id bene latere, inutili inertiâ torpe-

ſcere, & ex virorum numero exire, antequam moriaris, deniq; ſic in hac vitâ eſſe, quaſi in conditorio. Latet aliquando & Sapiens, cùm rectè factis conſultisq; calumniam atq; invidiam paratam, nec malorum impotentiam refrenari, ſed efferari videt: ſed ita latet, ut ubicunq; otium ſuum abſconderit, prodeſſe velit, & ſingulis & univerſis, ingenio, voce, conſilio: vide Senecam c. 3. de Tranq. ſic Socrates ſub. XXX. Tyrannis Athenis; Sic Romæ ſub Cinnano tumultu Pomponius Atticus, *ut ſemper tamen optimarum partium eſſe, ac divina quadam prudentia ſalvus tot ſcopulos evaderet*; Corn. Nepos in ejus vita; Sic David ſub Saule, 1. Sam. 27. 6. 8. & cap. 30. 1. Sic Athanaſius, cùm Arii furor graſſaretur, latuère.

2. Sic Deus ſuos ex æſtuariis publicarum calamitatum ſubducit. Late, inquit, ad momentum donec prætereat æſtus! Eſa. 27. verſ. 1. huc illa prudentia referenda, de qua Jerem. 8. v. 6. Aves cœli noverunt tempus ſuum! Felix ter & ampliùs, qui ſe in vulnera Salvatoris illatebrat, cùm æſtum ſentit iræ divinæ, ut œnanthe, oriente Sirio

--- truncam quærit arboris cavæ
aut putre lignum, corticemq; flammeo
Producit aſtro noxioq; lumini.

Winshemius in Sirio ſuo:

Vel qualis gelidis plumâ labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.

Claudian. in Eutrop. l. 1.

LV. Si

LV.

Sirius ab Oryge adoratus.

Nolumus hunc regnare ſuper nos! Luc. 19.14. Oryx animal unicorne,inter munda relatum, Deut.14.5. pilos contra omnium naturam habet ad caput verſos, utque diſtortam indolem agnoſcas, Sirium orientem ſternutando adorare & ſalutare creditur, cùm Lunam exorientem cum clamore averſetur, pedibusq; terram effodiens oculos diro obtutu in eâ defigat, & adverſus Solem etiam alvum dejiciat, cùm ſuprà horizontem ſe attollit. Horus 1. Hierogl.49. ubi vide Hœſchelium & quos citavit,ut & Cauſſin. p.121. Convenientiſſima imago Judæorum perverſitati. Sed & vulgo aptiſſima,de quo vulgatum id; *Ungentem pungit, pungentem Rusticus ungit. Mitium Dominorum apud ſervos ipsâ conſuetudine metus exoleſcit.* Plin. 1. Epiſt. 4. Ranæ trabem Regem averſatæ, ſerpentis vel invitæ dominatum ſuſtinent.

LVI.

Mirus Solis cultus.

Ecce applicant ramum, ad nares ſuas! Ezech.8.17. Locus valdè obſcurus,quod quo ritu ramos Soli offerri ſolitum fuerit, plerisq; minùs cognitum ſit. Itaque aliis alia placuêre. Elegantius docti ad ritum illum reſpexerunt, quo in pompis Deorum *thallos, verbenas & corollas gaudio delibuti populares* ferre conſueverant, ut docet

docet Apulejus ult. Milesior. unde Hieronymus per ramos palmarum τὰ βάϊα intelligit, quæ ab Hebræis *Osannoth* dicuntur, à priscis Græcis voce Syriaca αὔσαχοι, frondes palmarum, quas in manibus gestantes psallebant Diis suis, ut est apud Hesychium. D. Luther. vertit: Sie halten die Wein-Räben an die Nasen. Fr. Junis: Ramos omni fructu τῆς ὀπώρας onustos, quasi primitias, Soli & suis Idolis hoc loco offerunt. Mihi εἰρεσιώνην innui placet. Fuit ea oleæ ramus lemniscatus, lanâ coronatus, signum Supplicationis, qualem appensis omnis generis primitiis manibus ferebant accinentes:

Ficus & pingues panes ferat εἰρεσιώνη
Atq; in vasa favos, olei fundatq; liquorem,
In calicesq; merax, ut dormiat ebria, Vinum!

Hæc ex Plutarchi Theseo Interp. Xylandro, quæ ad verum loci obscuri sensum facem aliquam præferre videbantur. Hebræi duo notant, alterum, dictionem *Hazzmora* non significare ramum, sed fœtorem: alterum, esse in textu *Tikun Sophrim*, i. e. correctionem Scribarum, legendum enim esse: *Ecce applicant fœtorem ad nasum meum!* quasi mihi velint oppedere: Quod quia contra Dei reverentiam vergebat, à scribis mutatum sit. Calvinus hinc ait excogitatam à quibusdam Interpp. *ineptiam fabulam, quod oppederetur in honorem Solis, quasi ventris crepitus esset gratum Idolo obsequium.* In comm. h. l. sed hujus ineptæ fabulæ possent aliqua adferri fundamenta. Crepitus ventris non modò Mercurio sacer & Bonæ Fortunæ nuncius, ut est apud Homerum in hymn.

Mercu-

Mercurii, ſed & inter Ægyptiorum Numina fuit, teſte Clemente Romano in Recognit. Qui Serapidem non magis, quàm ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos extremiſcebant, ut docet Minutius Felix in Octavio. Notus eſt ex Ariſtoph. τῶ ἀντιαποπορδεῖν πρὸς τὰς βροντὰς, ritus oppedendi contra tonitrua. Baal Peorem ab aperiendo & distendendo dictum ferunt Hebræi, quod cultores in ejus venerationem podicem diſtenderent, & in conſpectum ejus cacarent, ut prodidit Fagius in Paraphr. Chald. Num. 25. 3. Quâ de re tamen alibi. Deniq; myſteria nemo ignorat, quo obſcœniora fuerint, eò impuriſſimo illi Spiritui, qui ſe ſic coli volebat, gratiora fuiſſe: De quibus inprimis Clem. Alexandr. in Protrept. Hæc ex occaſione: Cæterum quid faciunt aliud, qui fidem pietatemque Chriſtianam defenſuri

Non doctis dictis inter ſe, ſed maledictis decertant, ὡς ἀρτοπώλιδες; Ecquid hoc eſt aliud, quàm *oppedere in honorem Solis?*

LVII.

Stella VENERIS, Stella Magorum.

Ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos! Matth. 2. v. 9. *Ex eo, quò Trojâ profectus eſt Æneas, Veneri per diem Stellam ſemper vidit, donec in Laurentium agrum venit, ubi non ampliùs eſt viſa, quare cognovit, terras eſſe fatales.* Varro l. 2. Rer. Divin. *Sic usq; ad Paleſti-*

nam

nam venientibus Magis, quasi Dux itineris semper apparuit Stella: cùm eos oportebat pergere, pergebat & ipsa, cùm versandum erat, stabat, sicut illa in eremo columna nubis, hæc Chrysost. Homil. 6 in Matth. In omni bono opere necesse est, ut nos gratia Dei semper præcedat & subsequatur. *Prævenit impium, ut fiat justus: subsequitur justum, ne fiat impius. Prævenit cæcum ut lumen, quod non invenit, donet: Subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet.* Fulgentius l. 1. ad Monim. p. 260. Hæc est illa, ut Magorum stellam vocavit Augustinus, *Lingua Cælorum*, quæ arcana nobis enuntiavit! Serm. 2. & 3. de Epiphan. hic est ille, ut de eadem dixit Maximus in Epiph. *caligantis mundi oculus*, qui nobis oculos animi aperuit & illuminavit! Confidenter sequuti sunt. Stellam Magi; vis non errare, Deum sequere!

Nil dubites authore bono! mortalia quærunt
Consilium, certus jussa capesse Dei.

Auson. ad Imp. Theodos. Magos Stella ad Sacerdotes deduxit, à quibus de ortu & patria Messiæ plenius erudirentur, nec spreverunt illi humanæ demonstrationis officium, non cogitarunt; *Quo illis Lucerna Templi, quibus cœli sidus mirabile prælucebat?* ex Chrysol. Serm. 156. Sic gratia Dei à ministerio verbi non abducit. 2. Petr. 1, 19. Esa. 28. 11. Et ut illam Magi eum summo mœrore amiserunt, cum summo gaudio receperunt; sic lux gratiæ divinæ, ubi post amissionem iterum dilucescit, ibi dulcescit. Nam, ut ait Haymo, *majus fit gaudium de re inventa, quæ fuit perdita, quàm de re possessa, quæ non erat amissa.*

LVIII.

LVIII.

Astrorum Servitus.

In ministerium gentium creata sunt.)eut. 4. 19.

Servit & astrorum velox chorus, & vaga servit Luna, nec injussa toties redit orbita lucis. tatius 3. Silvar. Sic Reges Principesq; quid aliud int, nisi servi publici? *Populi mancipium est, quisuis Patriæ est utilis,* ut habet Mimus.

2. Admonuit Stella *Magorum conserva*, sic icta à P. Chrysologo Serm. 56. nec injuriâ: *Ambulante Mago, ambulat*, inquit, *Stella*; *sedente Mago, sedet Stella*; *dormiente Mago, excubat tella.* Imago fidelis Ecclesiæ ministri, qui Clero)omini servit, & omnibus fit omnia. 1. Cor. 9. . 22. *Nam quicunq; in Ecclesia piè vivit & castè, ui ea quæ sursùm sunt, sapit, non ea, quæ super rram, cœlestis quodammodo est instar luminis, & um ipse sancta vitæ nitorem servat, multis viam d Dominum quasi stella demonstrat.* Leo M. Serm. e Epiph. 3. Lucete quasi Luminaria in muno! Philip. 2. 15. 1. Petr. 5. 3.

LIX.

Stella Veneris non facit Ecclipsin.

Avari Principes, vasa pessima! Des Geizigen Regieren ist eitel Schaden/ D. Luth. Esa. 32. 7.)bservat. Scaliger Exerc. 72. *Veneris interpositu ipsâ coitione Solem nunquam esse obscuratum:*

at

in historiis scriptum esse, interdiu visam esse Mercurii stellam quasi maculam in Solis corpore. Et tamen circulus visualis Mercurii longè minor est, quàm Veneris, ut docent Connimbricenses l. 2. de Cœlo cap. 7. q. 4. art. 2. Ita si Venerem cùm Mercurio, libidinem cum avaritiâ quis conferre velit, nemini non illa fœdior apparebit. Nam hæc ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν, extra corpus admittitur, illa εἰς τὸ ἴδιον σῶμα, in proprium corpus, 1. Cor. 6. 18. Regi certè, qui quasi Sol est in orbe suo, nihil turpius quàm servum esse libidinum, quem decebat κρατεῖν τῶν ἐπιθυμιῶν μᾶλλον, ἢ τῶν πολιτῶν, *magis imperare suis cupiditatibus, quàm subditis*, ut ad Nicoclem scripsit Isocrates. Certum tamen & experientiâ comprobatum, Venerem non tàm conspicuam inferre Regio splendori maculam, quàm Mercurium, adeò vel minima turpis lucri cupiditas Regium nomen infuscat. *Quid enim indignius, quàm si praeeminentem virum thesauri possideant sui, & pecuniis serviat, qui praesit liberis? illud magis decet, ut supra thesaurum sit animo, & infra amicum obsequio.* Ambros. 2. Officior. c. 14.

LX.

Veneris Equi desultorii.

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? Esa. 14. 12. Veneris Stella, cum Sole inferior est, circuit enim cùm Mercurio hunc siderum Regem, manè oritur, & Lucifer est, Equoque albo vehi fingi-

ngitur: at cùm suprà Solem se attollit, vesperi mergens fit.

Mutato Nocturnus equo ---

t canit Statius 6. Thebaid. Sic Rex Babylonius uamdiu se hominem meminens intra cuticulam ontinuit, Lucifer fuit & manè oriebatur: Cùm erò diceret in corde suo: in cœlum conscen-am, ! &c. furvo equo vehi & adversa fortuna ti cœpit, donec in profundum laci concidit. Ne-io regio splendori nimis fidat, perpetuis vicibus olvitur, ut Lucifer semper equos mutat, unde ...αβάτης, *Desultor* dicitur; & eidem equi desulto-i consecrati sunt. Cassiod. 3. Var. Epist. 51. Quis nim nesciat Veneris stellam, ut ista Pisidæ usur-em --- *Binorum opificem cursuum*

Lucis Prophetam, noctis esse nuntium?

'unquam, ait Seneca, *in solido stetit superba felici-s, & imperiorum magna fastigia, oblivione fragi-tatis humanæ, collapsa sunt.* Luciferum Hebræi ocant *Heilel*, à laudando, Aquila vertit: *ululan-m Auroræ filium!* Hieron. in c. 14. Esai. Re-um fortuna cùm splendidissima est, lugenda po-ùs quâm laudanda videtur.

LXI.

Helena & Castores.

Melius est duos esse simul quàm unum, ccl. 4. 9. In tempestatibus apparent aliquando uasi stellæ, antennis navigantium, aliisque na-ium partibus insistunt, ceu vocali quodam so-o, & ut volucres sedem ex sede mutantes: gra-

ves cùm solitariæ venére mei gentesq; navigia, si in carinæ ima deciderint exurentes: Gemin autem salutares & prosperi cursus prænuntiæ, ju variique se tunc periclitantes existimant Polluc & Castoris numine, quorum

--- simul alba nautis
Stella refulsit
Concidunt venti, fugiuntq; nubes, &c.

Seneca l. 1. qq. Nat. c. 1. Plin. 2. c. 37. Horat. 1 Od. 12. Certissimi exitii nuntius est, qui solus in tempestate se effert. *Bini* itaque à Domino *vo cantur, bini mittuntur, quia Charitas non consi stit in uno; unde dicitur: Væ soli! Duo educunt He bræos ex Ægypto, duo deportant botrum de terr sanctâ* &c. Beda in Marc. c. 11. Hinc Castorum effigies insigne & tutela navis, in quâ veheba tur S. Paulus, Actor. 28. 11. *Tutela* enim dice batur τὸ παράσημον τοῦ πλοίου, quod erat effigies ali cujus Deorum, cujus fidei navis commendaba tur, qui & velut præsens cum gubernatore navi garet, colebatur, expiabatur, *habebat* enim *navi pictos*, in puppe ferè, *Præsides, quorum & nomi nibus nuncupabatur*. Sic Luctatius in Statii The baid. l. 8. Glossarium vetus. Petronius in Satyr *Aggrediuntur nos furentes nautæ, cum funibus tentantq; vilissimo sanguine Tutelam placare.* Ali quando & in prorâ erant ista παράσημα. ταῖς γὰρ πρώραις ἀεὶ Θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων μαρτύρων, ait Procopius in cap. 12. Esaiæ, ubi καλλωπισμόν, vides Christianorum, qui pro Idolis Gen tibus Sanctos Martyres substituere. Sic Cornel

à Lap

Lap. in acta l. cit. fatetur pro Castore & Pollu-e à navigantibus nunc invocari B. Virginem, S. Paulum, S. Nicolaum, Xaverium, Telmum qui & Petrus Consalvus Dominicanus: invocari autem non ut Deos, more Gentilium, sed ut Patronos; quasi non & Gentiles statuerint, ***unum esse Deum Patrem & Regem omnium, reliqui autem Dii habiti sunt*** Θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες Θεῷ, ***Dei filii, cum Deo regnantes.*** Maximus Tyrius Dissert. 1. De tutelis navium, & quod hæ illarum nomine vocatæ fuerint, vide Lactant. l. 1. cap. 11. Hadr. Junium l. 1. animadv. cap. 12. &c.

LXII.

Fulmine feriendi.

Incrassum cor populi hujus, Esa. 60. 10. Ultimum suppliciorum indurationem Theologi vocant, extremi ferè excidii aut comitem, aut prodromum. *In Tagetis Hetrusci libris legitur, Jovis fulmine tangendos, adeò hebetari, ut nec tonitrua, nec majores audire possint fragores.* Amian. Marcell. l. 17. *Sic solent manum injectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi,* Idem l. 14. *Deus, quibus fortunam mutaturus est, consilia corrumpit,* ait Vellejus Paterculus. Noti sunt versus:

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primùm solet,
Caliginemq; offundit, ut ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxiis
Accersierunt ultrò consiliis malis.

LXIII.

Ignis aquas succendens, & ex aquis succensus.

Carbones ignitos coacervat in caput inimici, qui beneficiis demereri studet, Roman. 12. 20. Quonam pacto? Quia *si inimici in inimicitiis perduraverint, impietate suæ mentis, nostra obsequia proficient illis in pœnam: aut certè obsequiorum nostrorum sedulitate compuncti, velut carbones mortui reviviscent*, Ambros. in eum loc. Nec mirum, si tandem benigno calore ignescant etiam frigidiores rigente bruma, victi assiduitate bene merentium. Nam & aquas igni inflammatas, & fluctus arsisse legimus: *Videre erat spectaculum novum, fluctus ipsos perinde atq; regiones quasdam marinas, igni ardere*, Nicephor. l. 13. c. 36. vide Amos. 7. 3. Augustin. l. 13. de C. D. c. 31. & Strabon. l. 1. Confer Esa. 64. 2. ex vers. vulgat. Affulgeat modò Deus. *facilè ex inimico feceris amicum*, teste Regum Sapientissimo, Prov. 16. v. 7. Sic orbem vitreum plenum aquæ si tenueris in Sole, de lumine, quod ab aquâ refulget, ignis accenditur, etiam in durissimo frigore. Lactantius de Irâ Dei cap. 11. p. 458.

--- *Non extorquebis amari*
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Claudian. ut Micipsa apud Sallustium: *Non exercitus, non thesauri præsidia regni sunt; verum amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur.*

2. Sed

2. Sed quod de orbe vitreo adfert lacteum os illud, ad efficaciam ministerii declarandam quoq; facit, quæ à ministrorum dispositione non dependet, & illustrat illud Apostoli: Habemus thesaurum hunc, Lucem dixit priùs v. 6. in testaceis vasculis, ut virtutis eminentia sit Dei & non ex nobis, 2. Cor. 4. 7. Mali sacerdotes quodammodo lapidei sunt canales: *In lapideis autem canalibus aqua nil germinat, donec per eos decurrens in fœcundas se areolas fundat.* Petr. Damian. de Instit. Eccl. cap. 11.

LXIV.

Fornax Babylonia.

1. Ut Ligna ignem, sic iracundus rixas, Prov. 26. 21. Ut Babylonii calefactores in igne pereunt, quem succenderant; Sic rixosi sæpè suis intereunt incendiis, quibus alimenta ministrarunt. Dan. 3. 22. Diogenianus refert Carbonarium, cùm præter modum fornacem congestis lignis incendisset, suo ipsumet conflagrasse igni, vociferantem: μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ! *Ne ignem super ignem!* quod in Proverbium abiit. Nam ut aliud est adagium: πυρὶ ὀ σβέννυται πῦρ, *Ignis igni non extinguitur.* Si in ignem inflas, excidas incendium; Si inspuis, extinguis; & est utrumque tibi in manu: Sic si vecordes & inflatos sermones iracundo ingeras, ignem excitabis; sin mites & moderatos adhibeas, priusquam excandescat, iram citò extinxeris. Chrysost. Hom. 3. de non adeund.

Spect. In bello in sæpissimè usu venit: *Si quis*, ait Polybius, *silvam semel succenderit, non ampliùs ad ejus arbitrium fertur incendium, sed depascitur quicquid apprehenderit, ventisq; regitur ac subjecta silva consumptione, quin & sepenumero ipsum incensorem cumprimis præter exspectationem corripit: Ita bellum si semel à quibusdam excitatum exarserit, tùm quidem illos primùm perdit, posteà verò fertur injustè singula quæ incidunt perdens, agitatum temeritate, & ab ignorantia accedentium, velut à ventis inflatum.* Hæc ille l. 11. pag. m. 615.

2. Est alioqui Fornax illa famosa, Typus *Clibani carnis nostræ, quem Rex Babylonius incentivis suggestionum carnalium succendere non desistit, idcircò propensiùs nobis non solum continentia corporis, verùm etiam contritio cordis assiduis orationum gemitibus adhibenda, ut descendente in corda nostra rore Sancti Spiritus extinguatur.* Cassianus l. 6. de Sp. Forn. c. 17.

3. Sed & figura est tribulationum, in quibus pii effulgent, impii & earum inprimis authores consumuntur. *Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eâdem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur*, Augustin. 1. de C. D. c. 8. Ex quo loco & illud obiter observa, *tribulam* aut tribulum veterum, cæsuris fuisse plenum instar limæ, ut simul frumenta excuteret, & stipulas in pabulum comminueret, de quo dixi cap. 3. Joël. p. 144. Geminum exemplum trium in igne servatorum, combusto incendii authore nobili Zelotypo, refert Sigebertus, & ex illo Centur.

tur. Magdeb. ut & Brunnius in Triad. Elect. sivè de miraculis ad ann. 1154.

LXV.

Ignis Augustale insigne.

Ante faciem ejus ignis exurens; & post eum flamma vorans, Joël. 2. 3. De Chaldæorum Rege & exercitu loquitur, & videtur omninò alludere ad sacrum Ignem, qui Boni omnis gratia Regibus & Ducibus præferri solebat in argenteis altaribus, quod in Commentario olim pluribus docui, quem à Chaldæis Persæ, ab his Romani acceperunt & inter Imperii pignora habuerunt. Ammian. Marcell. *Ferunt Magi si justum est credi, ignem cœlitùs lapsum apud se sempiternis foculis custodiri; cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt*, l. 23. Summa Mundi potestas, ut Deo proxima, qui Ignis comburens est, sic Igni simillima, sivè clementi sublimitatem spectes, sivè necessitatem, sivè parem nocendi ac benefaciendi facultatem, &c. *Ut ignis est urere & lucem prabere; Ita Regis, benefacere & punire:* Procopius in c. 2. Gen. Fallor? an eodem respiciunt Reges Benomotapæ? qui quotannis ad subjectos Regulos Legatum mittunt, cujus adventu omnes, quicunq; ubique sunt, quaqua ejus imperium patet, ignes extinguuntur, & si quis non illicò extinguat, pro rebelli habetur, punitur; posteà in foro alius ignis accenditur, ad quem incolæ veniunt, suis usibus petitum. Osorius de Reb. Emanuel. Portug. Reg.

l.4. Sed ignis tamen iste cœlesti multò inferior est. *Ita*, ut ait Cassiodorus in variis, *quamvis ignis in nocte reluceat, Soli tamen præsentatus, obscurus est.*

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Deniq; quod ad modestiam facit, in cinerem desinit hic ignis; quod recogitantes Æthiopum Christianorum Reges, pro igne sacro, sibi cinerem in aureo vase præferri jubent. Vidit S. Augustinus Cæsaris in sepulchro cadaver, cùm Romæ cum Marte Monica ad spectanda opera paganorum circumduceretur; nec temperare potuit, quin exclamaret: *Ubinam* est Cæsaris Corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus deliciarum? ubi multitudo dominiorum? ubi caterva Baronum? acies militum? ubi canes venatici? ubi equi veloces? ubi aves cantantes? ubi thalamus pictus? ubi lectus eburneus? ubi thorus regalis? ubi thronus imperialis? ubi mutatoria vestimentorum? ubi capilli solares? ubi facies decora? ubinam quæso sunt hæc omnia? meminit ipse in Sermon.

LXVI.

In igne Animalia.

Ignis eorum non extinguetur, Esa. 66.24. Gignit animalia & contrarium naturæ elementum, ait Plin. l. 11. c. 36. nec gignit modò, sed & educat, conservat. In fornacibus Cypriis muscas nasci, paulò nostris majores, quibus extra ignem degere natura sit negatum, gravissimi authores testan-

testantur, Aristoteles. Cicero, Plinius, alii. Augustinus confirmat l. 21. de C. D. cap. 2. & 9. & Cyprianus cum Platonicis ait; Deum suis incolis singula elementa adornâsse, de quo & Apulejus de Deo Socrat. vide Cyprian. de Resurr. Christi. vide de hac re Torniell. in Annal. Die M. 6. p. 28. hinc argumentum, posse damnatos æternis ignibus uri, & tamen non comburi.

Vita erit his sine fine mori; mors, vivere Pœna: ut canit S. Paulinus. Nam *montes quoq; nonnulli quàm nimio torrentur incendio, & tamen inter flammas suas stabiles perseverant? Salamandra incendio reficitur, & ignis calore reparatur. Vermiculi quidam aquis æstuantibus nutriuntur.* Cassiodorus de Anima cap. 19. De Salamandra & similibus plura suo loco.

LXVII.

Ignis in rubo, Promethei.

1. Ignem veni mittere in terram, ait Dominus Luc. 12. 49. De igne tribulationis alioui sequutum sentiunt, de quo suprà; alii de Igne Fidei, Gratiæ & Spiritus divini, quo *anima, quæ quasi terra spinosa & sterilis est, succensa divinorum seminum capax & spiritualium frugum ferax sit.* Theophylact. ibid. Sic Augustin. Serm. 100. de Temp. Hieron. l. 2. contra Ruffin. Greg. M. super Ezech. Homil. 2. De hoc igne Spiritus eleganter & novè Alcimus Avitus:

Jam sacer innocuas dederat de fomite flammas
Et rubus in rubeo viridis permanserat æstu;

Quo signo spinas nostræ fervescere mentis,
Et lucere bonis, qui non consumeret, ignem
Sed tenebras mundi auferret, pia pectora nossent.

Lib. 5. de Transitu Maris Rubri v.23. Exod.3.3.

2. Sic Promethei ignis, quem ille Minervâ Duce, admotâ Solis currui ferulâ, Cœlo subductum, mortalib⁹ divisisse proditur, Sapientia fuit, teste Platone in Protag. & Philebo. Hinc Clemens Alex. dixit, in Philosophiâ Gentili, velut Promethei furto subrepta aliquantum esse ignis, atque aliquod veræ sapientiæ vestigium. Lib. 1. Stromat. Ipse coævus Mosis creditur, ferturq; de luto formasse homines, quod optimus Sapientiæ Doctor fuerit. Augustin. l. 18. de C. D. c. 8. Eusebius in Chron. &c. Lubet argumentum hoc paucis expolire. A Sole primus ignis devenit. Ita à Deo Sapientia omnis:

Quem quia perspicit omnia solus
Verum possis dicere Solem.

Ex silice tamen aliqui primitùs excussum perhibent, authore Pyrode Cilicis filio, Plin. l.7. c. 56. Ita nos

--- genus durum sumus, experiensq; laborum,
Et documenta damus, quâ simus origine creti,

nempe ex silicibus Deucalionæis.

Ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ, λαοὶ δὲ καλεῦνται.

Medium excussionis *Disputatio* est, *qua ratione inter se collidimus, ut ex hujusmodi conflictatione pulchra quadam veritatis scintilla dissiliat*. Boethius l.3. Pros.12. Quid si fortè dixeris adversitas?

--- & duris urgens in rebus egestas?

penia

πενία σοφίαν ἔλαχεν, vetus verbum eſt. *Calamitas virtutis occaſio.* Seneca de Provid. c. 4. Hoc Caroli Burgundi chalybes & ſilices denotabant, in ſignis militaribus picti; *Virtutem attritam igniri. Sic ignis flatu premitur, ut creſcat.* Greg. M. l. 6. Epiſt. 27. *Latet mens ſomno oppreſſa, tanquam ignis obdicto cinere ſopitus, quem ſi paullum commoveris rursùm ardeſcit & quaſi evigilat*, Lactant. de Opif. Dei c. 18. Vitruvio de ortu ignis aliter viſum: Quodam in loco ab tempeſtatibus & ventis denſas crebritatibus arbores agitatas, & inter ſe terentes ramos ignem excitaviſſe, lib. 2. de Architect. cap. 1. Quod confirmat id, de quo modò diximus, calamitatem hominibus ad ſapientiam eſſe incitamento; Sic enim lignorum quoque attritu ignes excitantur. Non tamen omnis hoc materia præſtat, ſed idonea eliciendis ignibus, ſicut laurus, hedera, & alia nota in hunc uſum Paſtoribus, Seneca l. 2. qq. Nat. cap. 22. *Non ex omni ligno fit Mercurius. Nemo tamen reperitur, qui ſic ſtudio nihil conſecutus.* Quintil. l. 1. c. 1. Xenophon. l. 4. Memor. Socr. ignem ait eſſe σύνεργον πρὸς πᾶσαν τέχνην, ut Plutarchus de cap. util. ex hoſte, τέχνης ἁπάσης ὄργανον τοῖς χρῆσθαι μαθοῦσι, commune inſtrumentum artium omnium, ſi quis rectè ſciat uti; nempe ex Æſchylo, qui in Prometheo hoc elogio mactat ignem, quod ſit

--- διδάσκαλος τέχνης πάσης βροτοῖς καὶ μέγας πόρος.

Sic Sapientia verè, quod de Logica dixit Ariſtoteles, ὄργανον ὀργάνων: hanc qui habet, omnia ſua ſecum

ſecum portat. Πᾶσιν ὁμοίως ἀνεῖται τὸ ὠφέλιμον τῆς σοφίας, ait Baſilius, ſi quis modò uti ſciat, nam neſcienti idem quod Gladius in manu furioſi. Utque igni carbones igneſcunt, ſplendeſcunt: Sic anima humana, illa, ut canit Prudentius, *Lucis & ætheris indigena*, contagio corpuſculi ita decoloratur, ut ex Chai tenebris nata videri poſſit, ſi adhibueris hunc ignem *Carbonem accenſum* videbis, *Luminare mundi*, Iſidorus Peluſiota Epiſt. 2. l. 1. Ignis lucidus innumerabiles accendere poteſt, extinctus neque ſibi lucere poteſt, nec aliis flammam impertiri: Sic ἐὰν τὸ ἐν ἡμῖν φῶς λαμπρὸν ᾖ μυρίους καὶ μαθητὰς καὶ διδασκάλους ἐργασόμεθα, ὥσπερ ἀρχέτυπον προκείμενοι, ſi ſplendeat in nobis Lux Sapientiæ, innumeros efficiemus & diſcipulos & Doctores, ceu quoddam exemplar propoſiti. Chryſoſtom. Homil. 5. in 2. ad Theſſalon. Hinc ignis propter copiam omnis invidentiæ expertem, cùm ab uno lychno infinitas accendamus lampades, ipſo nihil imminuto, quoddam Deitatis Symbolum eſt. Iſidorus Pelus. Qui Sapientiam impertit,

Quaſi lumen de lumine accendat, facit,
Ut nihilominùs ipſi luceat, cùm alii accenderit;

ex Ennio apud Cicer. 1. Offic. Ignis alta appetit, Cœlum deſiderat. Sapientia *remotarum ab oculis rerum inveſtigationem ſibi vendicat*, Apulejus de Dogm. Platon. Et ut iſte non eſt ſine lumine unquam, raro ſine fumo: Sic Sapientia humana, etiam quantilla ſit, lumen eſt, ſed non ſine fumo ignorantiæ. Scitè Sidonius Apollin. carm. 9.

- Nulla ſcit, mihi crede, quanta neſcit.

Sed

Sed & Sapientes non magis gloria ſequitur, quàm invidia. *Fumus*,ajunt,*pulchriores perſequitur. Solet bonis livor obſtrepere*, Symmach. l. 9. Epiſt. 92. Aquâ extinguitur ignis. *Nihil eſt tàm mortiferum ingenies quàm Luxuria.* Seneca Controv. 1. Præf. Ligna quoque ſi ſubtraxeris, interit ignis. *Pernicibus alis negligentes fuit ſcientia.* Ennod. Epiſt. 31. lib. 7. Sed quo me extra oleas? Prudenter tractanda eſt Sapientia & ſobriè, ut ignis, qui nec propè accedendus nec procul, ne aut algeas, aut ardeas. Barbari illi Indi & inſtruniti fuêre, quibus ante adventum Eudoxi adeò ignotus fuit ignis, adeoque viſus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas & ardentia ſinu abdere, donec noceret, libuerit. Pompon. Mela l. 3. cap. 4. Denique alius eſt *Sacer ignis* ex cœlo delapſus, quo ſacrificia omnia abſumi neceſſe erat in Populo Dei, qui in altari cuſtoditus, quotidiè à Sacerdote alendus fuit, Lev. 6. 12. Nempe *Verbum Dei*, Jer. 5. 14. cap. 23. 29. Zeph. 3. 5. Hebr. 13. 10. Quo qui non ſaliuntur, ut ſint θυσία εὐάρεστος τῷ Θεῷ, Rom. 12. 1. orci victimæ ſalienter igni illo ἀσβέστῳ, Marc. 9. 48. *Tollamus* ergò corpus noſtrum & ædificemus altare, cui ſemper imponamus πᾶσαν ἡμῶν τὴν ἐνθύμησιν, Dominum orantes, ut mittat cœlitus manum illum & inviſibilem ignem; qui altare & omnia in eo comburat. Ac tùm ſentiemus ſpiritualem pluviam, velut hominis veſtigium venientem in animam. Macarius Hom. 31. ex 1. Reg. 19. caveamus profanationem: Nam ſi apud Romanos *ignem è flaminia, niſi ſacrum*, in uſum

ſacrum,

ſacrum, *efferri jus non erat.* Fabius Pictor l. 1. Quantò magis nefas erit verbum Dei in nugas ſcurriles detortum profanare? Ignem è vicinia petere moris fuit apud Veteres, & denegare nefas habitum: *Datur ignis, tametſi ab inimicis petas.* Plautus in Trinum. Act. 3. Scen. 2. meminit Eſ. cap. 30. 14. ubi Proverb. *Ne teſtula quidem ſupererit ad ignem de foco!* Aſt ab ara nec petere licuit, nec dare. Ita Deo conſecrata profanis uſibus impendere religio fuit: hodiè quamvis quisque domi habeat unde calefieri poſſit plus ſatis, tamen ab aris non ignem modò, ſed & cibum rapere peſſimis moribus receptum eſt: ſed plerunque accidit, quod aquilæ in fabulis, quæ dùm exta rapit, aliquid ſimul de favilla & carbonibus in nidum detulit, quo & illum & inplumes pullos concremavit. Deniq; ut Phædrus docet Fab. 69.

--- nec Lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas erat accendi ſacrum.

Quod ex Populo Dei traductum, ubi nefas erat alio quàm ſacro & cœleſti igne ſacrificare, de quo Cl.D. Franzius in Schol. Sacrif. Quod Ennothea Priapi Sacerdos *teſto ignis pleno* ſacrum ignem reficit, ex viciniâ petito, apud Petron. in Satyr. non morem indicat, aut legitimum fuiſſe, ſed factum contra legem fortè, niſi vis tale fuiſſe ſacrum, qualis fuit Deus. Hodiè ut de ſacro igne lucernam accendit, qui verbum Dei profanat; Ita de lucernâ ſacrum ignem excitat, qui rationis ſuæ ductum in fidei myſteriis & cultu Dei ſectatur. Hæretici idem faciunt, quod fur ille apud Phædrum fab. cit. de quo ait:

Lucer-

Lucernam fur accendit ex arâ Jovis
Ipsumq; compilavit ad lumen suum.

Sed nunc tandem desino.

LXVIII.

Tempestatis avertendæ remedia.

Pœnitentiam agite & convertimini, ut deleantur peccata vestra, Actor.3.19. Contra tempestates, fulmina, grandines varia olim superstitio commenta fuit remedia, carmina, sacrificia, & alia, de quibus prolixè Durant. Casellius l. 2. Variar. cap. 10.

Utq; Jovis Magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes præcinxit Vitibus albis.

Columella de Curâ Hortor. *Illud mirabile Cleonæ fuisse præpositos* χαλαζοφύλακας, *speculatores futuræ grandinis; hi cùm signum dedissent, adesse jam grandinem, quia exspectas? ut homines ad penulas discurrerent, aut ad scortea? imò pro se quisq; aut agnum immolabat, aut pullum: si quis nec agnum nec pullum habebat, digitum suum bene acuto graphio pungebat & hoc sanguine litabat. Protinus autem illæ nubes aliò declinabant, cùm aliquid gustâssent sanguinis.* Refert Seneca l.4.qq. Nat. cap. 6. & Clemens Alexandr. quoq; 5. Stromat. Grandinis speculator est S. Petrus, prænunciat diem Populo Judaico terribilem ex cap. 2. Joëlis, vide Actor. 2. 20. diem turbinis & grandinis, Zephan. 1. 18. sed certiora longè & tutiora quoq; indicat remedia; Resipiscentiam & conversio-

versionem. Hæc est vitis alba, venenorum expultrix, fulminum & grandinum averruncatrix.

--- *Si pœnitet, haud nocet error!*

Certè ut canit Gregor. Naz. carm. 1. de reb. suis,

--- *animæ vitiorum sordibus atræ*
Munere nulla Dei melior concessa medela est.

Sed ad impetrandam veniam agnino sanguine opus est, illo quo empti sumus, *sine quo nulla fit remissio*, Hebræor. cap. 9. v. 21. Quod pagani à veteribus cùm accepissent, ejusmodi ceremoniis testari voluerunt: dextra traditum, sinistra arreptum, ut alia multa.

LXIX.

Parelii, plures Soles simul visi.

Ut vir uxoris; Sic Christus Ecclesiæ caput, Ephes. 5. v. 23. Unius scilicet unicum. Fallitur, qui aliud Corpori mystico apponit, qui Romanum Pontificem Caput, Sponsum, Maritum Ecclesiæ facit, uti

Nemo duos soles nisi sub glaucomate videt,
Aut si fusca Polum suffudit palla serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes:

Prudent. adv. Marcion. Plures quidem sæpè Soles in Cœlo visi, sed non sine discordiarum omine, & infelici eventu, de quo Joh. Bapt. Nazarus apud Wolff. Lection. Memor. centen. XVI. pag. 894. & tamen omnes tandem in unum iterùm coaluêrunt. Surius Hist. sui Temp. Anno 1514. Witembergæ tres simul Soles conspectos ait, singulos cruento

cruento gladio notatos. Sic sæpè in Ecclesia plures, q. Soles exorti, de primatu pugnârunt, non sine multô sanguine. Sed ubi omnes? evanuerunt! *Nec enim mundus duobus Solibus potest regi, nec duo summa regna* (capita, inquam) *salvo statu terrarum potest habere,* ut Alexander Dario rescripsit apud Curtium l.4. alludens ad vulgatam de Sole fabulam, quod aliquando à Matre contenderit, ut & sibi uxorem ducere, parvosque mundo Soles dare liceret &c. ὡς, γὰρ ἡ γῆ δισσοῖς ἡλίοις οὐ δύναται θάλπεσθαι, οὕτω μία ψυχὴ δυάδος πυρσῶν ἐρωτικῶν οὐκ ἀνέχεται, Simocatta Epist. 39. *uti terra duos simul Soles; Sic anima una duos simul amores ferre nequit.*

Pentheus Bacchico furore percitus videre sibi videt δύο μὲν ἡλίους, δισσὰς δὲ θήβας, apud Eurip. in Bacch. *geminos Soles, & Thebas duplices:* Ita qui duos in Ecclesiâ Soles videre se putat, œstro perculsus & ex aureo illo τῶν βδελυγμάτων poculo inebriatus est. Apoc. 17. v. 4.

LXX.

Circius ubi & cur cultus?

In omnibus gratias agite, 1. Thess. 5. 18. Etiam in adversis. Galliam Circius ventus infestat, cui ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquàm salubritatem Cœli sui debeant ei. Divus certè Augustus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vovit, & fecit. Seneca l. 5. qq. Nat. c. 17. Quantò magis par est Christianos etiam in sorte infelici Deo agere gratias, cùm sciant se

Spect. In bello in sæpissimè usu venit: *Si quis*, ait Polybius, *silvam semel succenderit, non amplius ad ejus arbitrium fertur incendium, sed depascitur quicquid apprehenderit, ventisq; regitur ac subjecta silva consumptione, quin & sepenumero ipsum incensorem cumprimis præter exspectationem corripit: Ita bellum si semel à quibusdam excitatum exarserit, tùm quidem illos primùm perdit, posteà verò fertur injustè singula quæ incidunt perdens, agitatum temeritate, & ab ignorantia accedentium, velut à ventis inflatum.* Hæc ille l. 11. pag. m. 615.

2. Est alioqui Fornax illa famosa, Typus *Clibani carnis nostra, quem Rex Babylonius incentivis suggestionum carnalium succendere non desistit, idcircò propensiùs nobis non solum continentia corporis, verùm etiam contritio cordis assiduis orationum gemitibus adhibenda, ut descendente in corda nostra rore Sancti Spiritus extinguatur.* Cassianus l. 6. de Sp. Forn. c. 17.

3. Sed & figura est tribulationum, in quibus pii effulgent, impii & earum inprimis authores consumuntur. *Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eâdem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur*, Augustin. 1. de C. D. c. 8. Ex quo loco & illud obiter observa, *tribulam* aut tribulum veterum, cæsuris fuisse plenum instar limæ, ut simul frumenta excuteret, & stipulas in pabulum comminueret, de quo dixi cap. 3. Joël. p. 144. Geminum exemplum trium in igne servatorum, combusto incendii authore nobili Zelotypo, refert Sigebertus, & ex illo Centur.

tur. Magdeb. ut & Brunnius in Triad. Elect. sive de miraculis ad ann. 1154.

LXV.

Ignis Augustale insigne.

Ante faciem ejus ignis exurens; & post eum flamma vorans, Joël. 2. 3. De Chaldæorum Rege & exercitu loquitur, & videtur omninò alludere ad sacrum Ignem, qui Boni omnis gratia Regibus & Ducibus præferri solebat in argenteis altaribus, quod in Commentario olim pluribus docui, quem à Chaldæis Persæ, ab his Romani acceperunt & inter Imperii pignora habuerunt. Ammian. Marcell. *Ferunt Magi si justum est credi, ignem cœlitùs lapsum apud se sempiternis foculis custodiri; cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt*, L. 23. Summa Mundi potestas, ut Deo proxima, qui Ignis comburens est, sic Igni simillima, sivè elementi sublimitatem spectes, sivè necessitatem, sivè parem nocendi ac benefaciendi facultatem, &c. *Ut ignis est urere & lucem præbere; Ita Regis, benefacere & punire:* Procopius in c. 2. Gen. Fallor? an eodem respiciunt Reges Benomotapæ? qui quotannis ad subjectos Regulos Legatum mittunt, cujus adventu omnes, quicunq; ubique sunt, quaqua ejus imperium patet, ignes extinguuntur, & si quis non illicò extinguat, pro rebelli habetur, punitur; posteà in foro alius ignis accenditur, ad quem incolæ veniunt, suis usibus petitum. Osorius de Reb. Emanuel. Portug. Reg.

 l. 4.

l. 4. Sed ignis tamen iste cœlesti multò inferior est. *Ita*, ut ait Cassiodorus in variis, *quamvis ignis in nocte reluceat, Soli tamen præsentatus, obscurus est*.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Deniq; quod ad modestiam facit, in cinerem definit hic ignis; quod recogitantes Æthiopum Christianorum Reges, pro igne sacro, sibi cinerem in aureo vase præferri jubent. Vidit S. Augustinus Cæsaris in sepulchro cadaver, cùm Romæ cum Marte Monica ad spectanda opera paganorum circumduceretur; nec temperare potuit, quin exclamaret: *Ubinam* est Cæsaris Corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus deliciarum? ubi multitudo dominiorum? ubi caterva Baronum? acies militum? ubi canes venatici? ubi equi veloces? ubi aves cantantes? ubi thalamus pictus? ubi lectus eburneus? ubi thorus regalis? ubi thronus imperialis? ubi mutatoria vestimentorum? ubi capilli solares? ubi facies decora? ubinam quæso sunt hæc omnia? meminit ipse in Sermon.

LXVI.

In igne Animalia.

Ignis eorum non extinguetur, Esa. 66. 24. Gignit animalia & contrarium naturæ elementum, ait Plin. l. 11. c. 36. nec gignit modò, sed & educat, conservat. In fornacibus Cypriis muscas nasci, paulò nostris majores, quibus extra ignem degere natura sit negatum, gravissimi authores testan-

teſtantur, Ariſtoteles. Cicero, Plinius, alii. Auguſtinus confirmat l. 21. de C.D. cap. 2. & 9. & Cyprianus cum Platonicis ait; Deum ſuis incolis ſingula elementa adornâſſe, de quo & Apulejus de DeoSocrat. vide Cyprian. de Reſurr. Chriſti. vide de hac re Torniell. in Annal. Die M. 6. p. 28. hinc argumentum, poſſe damnatos æternis ignibus uri, & tamen non comburi.

Vita erit his ſine ſine mori; mors, vivere Pœna: ut canit S. Paulinus. Nam *montes quoq; nonnulli quàm nimio torrentur incendio, & tamen inter flammas ſuas ſtabiles perſeverant? Salamandra incendio reficitur, & ignis calore reparatur. Vermiculi quidam aquis æſtuantibus nutriuntur.* Caſſiodorus de Anima cap. 19. De Salamandra & ſimilibus plura ſuo loco.

LXVII.

Ignis in rubo, Promethei.

1. Ignem veni mittere in terram, ait Dominus Luc. 12. 49. De igne tribulationis alioqui ſequutum ſentiunt, de quo ſuprà; alii de Igne Fidei, Gratiæ & Spiritus divini, quo *anima, quæ quaſi terra ſpinoſa & ſterilis eſt, ſuccenſa divinorum ſeminum capax & ſpiritualium frugum ferax ſit.* Theophylact. ibid. Sic Auguſtin. Serm. 100. de Temp. Hieron. l. 2. contra Ruffin. Greg. M. ſuper Ezech. Homil. 2. De hoc igne Spiritus eleganter & novè Alcimus Avitus:

Jam ſacer innocuas dederat de fomite flammas
Et rubus in rubeo viridis permanſerat æſtu;

Quo signo spinas nostræ fervescere mentis,
Et lucere bonis, qui non consumeret, ignem
Sed tenebras mundi auferret, pia pectora nossent.

Lib. 5. de Transitu Maris Rubri v.23. Exod.3.3.

2. Sic Promethei ignis, quem ille Minervâ Duce, admotâ Solis currui ferulâ, Cœlo subductum, mortalib⁹ divisisse proditur, Sapientia fuit, teste Platone in Protag. & Philebo. Hinc Clemens Alex. dixit, in Philosophiâ Gentili, velut Promethei furto subrepta aliquantum esse ignis, atque aliquod veræ sapientiæ vestigium. Lib. 1. Stromat. Ipse coævus Mosis creditur, fertur q; de luto formasse homines, quod optimus Sapientiæ Doctor fuerit. Augustin. l. 18. de C. D. c. 8. Eusebius in Chron. &c. Lubet argumentum hoc paucis expolire. A Sole primus ignis devenit. Ita à Deo Sapientia omnis:

Quem quia perspicit omnia solus
Verum possis dicere Solem.

Ex silice tamen aliqui primitùs excussum perhibent, authore Pyrode Cilicis filio, Plin. l.7. c. 56. Ita nos

--- genus durum sumus, experiensq; laborum,
Et documenta damus, quâ simus origine creti,

nempe ex silicibus Deucalionæis.

Ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ, λαοὶ δὲ καλεῦνται.

Medium excussionis *Disputatio* est, *qua ratione inter se collidimus, ut ex hujusmodi conflictatione pulchra quadam veritatis scintilla dissiliat.* Boëthius l.3. Pros.12. Quid si fortè dixeris adversitas?

... & duris urgens in rebus egestas?

πενία

πενία σοφίαν ἔλαχεν, vetus verbum eſt. *Calamitas virtutis occaſio.* Seneca de Provid. c. 4. Hoc Caroli Burgundi chalybes & ſilices denotabant, in ſignis militaribus picti; *Virtutem attritam igniri. Sic ignis flatu premitur, ut creſcat.* Greg. M. l. 6. Epiſt. 27. *Latet mens ſomno oppreſſa, tanquam ignis obdicto cinere ſopitus, quem ſi paullum commoveris rursùm ardeſcit & quaſi evigilat*, Lactant. de Opif. Dei c. 18. Vitruvio de ortu ignis aliter viſum: Quodam in loco ab tempeſtatibus & ventis denſas crebritatibus arbores agitatas, & inter ſe terentes ramos ignem excitaviſſe, lib. 2. de Architect. cap. 1. Quod confirmat id, de quo modò diximus, calamitatem hominibus ad ſapientiam eſſe incitamento; Sic enim lignorum quoque attritu ignes excitantur. Non tamen omnis hoc materia præſtat, ſed idonea eliciendis ignibus, ſicut laurus, hedera, & alia nota in hunc uſum Paſtoribus, Seneca l. 2. qq. Nat. cap. 22. *Non ex omni ligno fit Mercurius. Nemo tamen reperitur, qui ſic ſtudio nihil conſecutus.* Quintil. l. 1. c. 1. Xenophon. l. 4. Memor. Socr. ignem ait eſſe σύνεργον πρὸς πᾶσαν τέχνην, ut Plutarchus de cap. util. ex hoſte, τέχνης ἁπάσης ὄργανον τοῖς χρῆσθαι μαθοῦσι, commune inſtrumentum artium omnium, ſi quis rectè ſciat uti; nempe ex Æſchylo, qui in Prometheo hoc elogio mactat ignem, quod ſit

... διδάσκαλος τέχνης πάσης βροτοῖς καὶ μέγας
πόρος.

Sic Sapientia verè, quod de Logica dixit Ariſtoteles, ὄργανον ὀργάνων: hanc qui habet, omnia ſua

ſecum

ſecum portat. *Πᾶσιν ὁμοίως ἀνεῖται τὸ ὠφέλιμον τῆς σοφίας*, ait Baſilius, ſi quis modò uti ſciat, nam neſcienti idem quod Gladius in manu furioſi. Utque igni carbones igneſcunt, ſplendeſcunt: Sic anima humana, illa, ut canit Prudentius, *Lucis & ætheris indigena*, contagio corpuſculi ita decoloratur, ut ex Chai tenebris nata videri poſſit, ſi adhibueris hunc ignem *Carbonem accenſum* videbis, *Luminare mundi*, Iſidorus Peluſiota Epiſt. 2. l. 1. Ignis lucidus innumerabiles accendere poteſt, extinctus neque ſibi lucere poteſt, nec aliis flammam impertiri: Sic *ἐὰν τὸ ἐν ἡμῖν φῶς λαμπρὸν ᾖ μυρίους καὶ μαθητὰς καὶ διδασκάλους ἐργασόμεθα, ὥσπερ ἀρχέτυπον προκείμενοι*, ſi ſplendeat in nobis Lux Sapientiæ, innumeros efficiemus & diſcipulos & Doctores, ceu quoddam exemplar propoſiti. Chryſoſtom. Homil. 5. in 2. ad Theſſalon. Hinc ignis propter copiam omnis invidentiæ expertem, cùm ab uno lychno infinitas accendamus lampades, ipſo nihil imminuto, quoddam Deitatis Symbolum eſt. Iſidorus Pelus. Qui Sapientiam impertit,

Quaſi lumen de lumine accendat, facit,
Ut nihilominùs ipſi luceat, cùm alii accenderit;

ex Ennio apud Cicer. 1. Offic. Ignis alta appetit, Cœlum deſiderat. Sapientia *remotarum ab oculis rerum inveſtigationem ſibi vendicat*, Apulejus de Dogm. Platon. Et ut iſte non eſt ſine lumine unquam, raró ſine fumo: Sic Sapientia humana, etiam quantilla ſit, lumen eſt, ſed non ſine fumo ignorantiæ. Scitè Sidonius Apollin. carm. 9.

Nulla ſcit, mihi crede, quanta neſcit.

Sed

Sed & Sapientes non magis gloria sequitur, quàm invidia. *Fumus*, ajunt, *pulchriores persequitur. Solet bonis livor obstrepere*, Symmach. l. 9. Epist. 92. Aquâ extinguitur ignis. *Nihil est tàm mortiferum ingenies quàm Luxuria.* Seneca Controv. 1. Præf. Ligna quoque si subtraxeris, interit ignis, *Pernicibus alis negligentes fuit scientia.* Ennod. Epist. 31. lib. 7. Sed quo me extra oleas? Prudenter tractanda est Sapientia & sobriè, ut ignis, qui nec propè accedendus nec procul, ne aut algeas, aut ardeas. Barbari illi Indi & instruniti fuêre, quibus ante adventum Eudoxi adeò ignotus fuit ignis, adeoque visus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas & ardentia sinu abdere, donec noceret, libuerit. Pompon. Mela l. 3. cap. 4. Deniquè alius est *Sacer ignis* ex cœlo delapsus, quo sacrificia omnia absumi necesse erat in Populo Dei, qui in altari custoditus, quotidiè à Sacerdote alendus fuit, Lev. 6. 12. Nempe *Verbum Dei*, Jer. 5. 14. cap. 23. 29. Zeph. 3. 5. Hebr. 13. 10. Quo qui non saliuntur, ut sint θυσία εὐάρεστος τῷ Θεῷ, Rom. 12. 1. orci victimæ salienter igni illo ἀσβέστῳ, Marc. 9. 48. *Tollamus* ergò corpus nostrum & ædificemus altare, cui semper imponamus πᾶσαν ἡμῶν τὴν ἐπιθυμίαν, Dominum orantes, ut mittat cœlitus manum illum & invisibilem ignem; qui altare & omnia in eo comburat. Ac tùm sentiemus spiritualem pluviam, velut hominis vestigium venientem in animam. Macarius Hom. 31. ex 1. Reg. 19. caveamus profanationem: Nam si apud Romanos *ignem è flaminia, nisi sacrum*, in usum

sacrum,

sacrum, *efferri jus non erat.* Fabius Pictor l. 1. Quantò magis nefas erit verbum Dei in nugas scurriles detortum profanare? Ignem è vicinia petere moris fuit apud Veteres, & denegare nefas habitum: *Datur ignis, tametsi ab inimicis petas.* Plautus in Trinum. Act. 3. Scen. 2. meminit Ef. cap. 30. 14. ubi Proverb. *Ne testula quidem supererit ad ignem de foco!* Ast ab ara nec petere licuit, nec dare. Ita Deo consecrata profanis usibus impendere religio fuit: hodiè quamvis quisque domi habeat unde calefieri possit plus satis, tamen ab aris non ignem modò, sed & cibum rapere pessimis moribus receptum est: sed plerunque accidit, quod aquilæ in fabulis, quæ dum exta rapit, aliquid simul de favilla & carbonibus in nidum detulit, quo & illum & inplumes pullos concremavit. Deniq; ut Phædrus docet Fab. 69:

--- nec Lucernam deflamma Deûm,
Nec de lucerna fas erat accendi sacrum.

Quod ex Populo Dei traductum, ubi nefas erat alio quàm sacro & cœlesti igne sacrificare, de quo Cl. D. Franzius in Schol. Sacrif. Quod Ennothea Priapi Sacerdos *testo ignis pleno* sacrum ignem reficit, ex viciniâ petito, apud Petron. in Satyr. non morem indicat, aut legitimum fuisse, sed factum contra legem fortè, nisi vis tale fuisse sacrum; qualis fuit Deus. Hodiè ut de sacro igne lucernam accendit, qui verbum Dei profanat; Ita de lucernâ sacrum ignem excitat, qui rationis suæ ductum in fidei mysteriis & cultu Dei sectatur. Hæretici idem faciunt, quod fur ille apud Phædrum fab. cit. de quo ait:

Lucer-

Lucernam fur accendit ex arâ Jovis
Ipsumq; compilavit ad lumen suum.

Sed nunc tandem desino.

LXVIII.

Tempestatis avertendæ remedia.

Pœnitentiam agite & convertimini, ut deleantur peccata vestra, Actor. 3. 19. Contra tempestates, fulmina, grandines varia olim superstitio commenta fuit remedia, carmina, sacrificia, & alia, de quibus prolixè Durant. Casellius l. 2. Variar. cap. 10.

Utq; Jovis Magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes præcinxit Vitibus albis.

Columella de Curâ Hortor. *Illud mirabile Cleonæ fuisse præpositos* χαλαζοφύλακας, *speculatores futuræ grandinis; hi cùm signum dedissent, adesse jam grandinem, quia exspectas? ut homines ad penulas discurrerent, aut ad scortea? imò pro se quisq; aut agnum immolabat, aut pullum: si quis nec agnum nec pullum habebat, digitum suum bene acuto graphio pungebat & hoc sanguine litabat. Protinus autem illæ nubes aliò declinabant, cùm aliquid gustâssent sanguinis.* Refert Seneca l. 4. qq. Nat. cap. 6. & Clemens Alexandr. quoq; 5. Stromat. Grandinis speculator est S. Petrus, prænunciat diem Populo Judaico terribilem ex cap. 2. Joëlis, vide Actor. 2. 20. diem turbinis & grandinis, Zephan. 1. 18. sed certiora longè & tutiora quoq; indicat remedia; Resipiscentiam & conversio-

cruento gladio notatos. Sic sæpè in Ecclesia plures, q. Soles exorti, de primatu pugnârunt, non sine multô sanguine. Sed ubi omnes? evanuerunt! *Nec enim mundus duobus Solibus potest regi, nec duo summa regna* (capita, inquam) *salvo statu terrarum potest habere*, ut Alexander Dario rescripsit apud Curtium l. 4. alludens ad vulgatam de Sole fabulam, quod aliquando à Matre contenderit, ut & sibi uxorem ducere, parvosque mundo Soles dare liceret &c. ὡς, γὰρ ἡ γῆ δυσὶ ἡλίοις οὐ δύναται θάλπεσθαι, οὕτω μία ψυχὴ δυάδος πυρσῶν ἐρωτικῶν οὐκ ἀνέχεται, Simocatta Epist. 39. *uti terra duos simul Soles; Sic anima una duos simul amores ferre nequit.*

Pentheus Bacchico furore percitus videre sibi videt δύο μὲν ἡλίους, δισσὰς δὲ θήβας, apud Eurip. in Bacch. *geminos Soles, & Thebas duplices*: Ita qui duos in Ecclesiâ Soles videre se putat, œstro perculsus & ex aureo illo τῶν βδελυγμάτων poculo inebriatus est. Apoc. 17. v. 4.

LXX.

Circius ubi & cur cultus?

In omnibus gratias agite, 1. Thess. 5. 18. Etiam in adversis. Galliam Circius ventus infestat, cui ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquàm salubritatem Cœli sui debeant ei. Divus certè Augustus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vovit, & fecit. Seneca l. 5. qq. Nat c. 17. Quantò magis par est Christianos etiam in sorte infelici Deo agere gratias, cùm sciant se

adverſitatibus ſuis & ſalubritatem animorum & Cœlum denique ipſum debere? *Non eſt arbor ſolida & fortis, niſi in quàm frequens Ventus incurſat: ipsâ enim vexatione conſtringitur & radices certiùs figit; fragiles ſunt, quæ in apricâ valle creverunt.* Idem de Proverb. cap. 4. Noverant S. Dei Martyres; ergò lata in caput ſuum peremptoriali ſententia dixerunt: *Deo Gratias.* Sic Cyprianus in vita quæ eſt apud Baron. & Graſium: Nam cùm Proconſul decretum *ex tabella* recitâſſet: *Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet!* Reſpondit ille: *Deo Gratias.* Pontius verò Diaconus, qui Paſſionem ejus deſcripſit, ait tantùm, Amen,dixiſſe,&Statium ei prænomen fuiſſe,&c. Rogatus quidam quomodò in aulis rem eſſet conſecutus rariſſimam ſenectutem? *injurias*, inquit,*accipiendo, & gratias agendo*, apud Senecam. Quantò æquius eſt Chriſti ſervos omnes mundi & Sathanæ injurias patienter concoquere, & Gratias agere, juxta exemplum Apoſtolorum Act. 5. v. ult.

LXXI.

Antrum Æolium, ventoſus pileus Erici.

Ex corde exeunt cogitationes malæ. Matth. 15. 19. Franciſcum Tridenteum refert Hier. Megiſerus in deſcript. Venetiar quâ Patavio itur Vicentiam habuiſſe in prædio Paradiſum pulcherrimum inq; eo ſpeluncam longam pedes 4000. latam 3000. ex qua quoscunque vellet ventos poſſet emittere,in introitu erat Epigramma.

Æolu

Æolus hic clauso ventorum carcere regnat.
Antrum ejusmodi suum cuique cor est. *Has nimbi, ventiq; domos & naufraga servat Tempestas;*
Hanc quisquis in potestate habet verè ille ἀντίθε☉ & alter Æolus est, quem
--- Ταμίlω ἀνέμων ποίησε Κρονίων.

2. Sed & Salomonium illud huc quadrat; *Sapiens iram Regis placat*, Proverb. 15. 15. Qui apud Potentes gratia pollent, ventos quos volunt, inducant. Habent quasi ventosum Regis Erici pileum, qui tàm familiaris erat malis Dæmoniis, quorum cultui summoperè vacabat, ut quocunque verteret pileum suum confestim indè optatus ventus adspiraret. Olaus l. 3. pag. 37. *In magnâ domo post Dominum, secundus est semper gradus amicorum; Soli sunt per quos apud Dominum & suggerendi liber locus & impetrandi facilis præbeatur accessus. Magna est securitatis portio, in rebus asperis de domo Regis habuisse suffragium,* &c. S. Valer. hom. 15. Sic Æolum & alios credebant veteres ventos in utrem concludere & emittere potuisse, quos vellent. Nat. Comes l. 8. Mythol. c. 10. Ita Sapiens verè dixerit;

--- mihi Pontus inertes
Submittit fluctus, Zephyriq; tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes.

ex Petron. Satyr. Si Sapientiâ eris instructus, ut canit Empedocles,

Flamina ventorum compones, concita motu
Quæ sola terrarum, pelagi quæ cærula verrunt,
Mox mundo induces eadem, si fortè libebit.

LXXII.

Rupes Austro Sacra, Psyllorum interitus.

Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei! Zachar. 2. v. 8. *Qui sanctos Domini tetigerit sic est, quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus, & illum nitatur clarâ luce privare, de qua loquitur in Evangelio: vos estis Lux Mundi!* aut Hieronym. in Zach. l. cit. Nil carius est oculo, undè *oculissimus, & ocelitùs dilectus,*

Ambobus si quis carior est oculis,

Ut dicam cum Catullo: sed & nihil tenerius, tangique se non patitur. Hebræis Bath dicitur, ut Græcis κόρη filia, virguncula, nec aliter à Latinis pupilla, à Pupa, propter icunculam, quam exhibet, & est quoque tali virgine Pupa, ut nil fragilius, ita nec quippiam charius. Hinc illa proverbialia: *Custodiore quasi pupillam in oculo*, Deut. 32. 10. Psa. 17. 10. *tangere pupillam oculi alicujus*, aut etiam sui, sic enim apud Zachariam ex Hebræo aliqui vertunt, vide Vatablum. In Cyreniaca Africæ provincia rupes quædam est Austro sacra: hæc cum hominum manu attingitur, ille immodicus exurgit, harenasque, quasi maria agens, sic sævit, ut æquor fluctibus, hæc Pompon. Mela l. 1. cap. 4. meminit & Plinius lib. 2. cap. 45. Sic Ecclesia rupes est Deo Spiritui Sancto, Austro illi Cœlesti Cantic. 4. 16. Sacram hanc nemo impunè tanget. Deterrat Exemplum Psyllorum in Africa, qui cùm Austro nimis flan-

te

te omnes eorum aquæ essent exsiccatæ, irati, cum Vento belligerare & sumptis armis præliari adversùs illum incepêre, sed reflante illo, repentè magnis arenarum montibus operti perierunt. Ita evénit Pharaoni, Herodi, Antiocho; & in primis Sennacheribus sensit hanc Divini Spiritus iram, potentiam: qui amisso cœlesti plagâ exercitu, turpi fugâ ad suos relapsus, in idolio Nisrochi à filiis mactatus est, incisumque sepulchrali lapidi Epigramma: *In me intuens, Pius esto!* meminit *Herodotus.*

LXXIII.

Nivis Leæna.

Scitè Siracides de Garrulis Balatronibus, quos Græci ἀθυρόστομους, quod os habeant semper patens, nullis foribus aut pessulis coërcitum, Latini, *Rimarum plenos*, dixere: *Stultum concepto sermone non aliter parturire, quàm soleant gravidæ,* fœtu jam maturo, & erumpere alvi materni claustra gestiente. cap. 19. v. 11. Similes sunt hujuscemodi hominũ calumniæ, quas ex vanis rumoribus acceptas & continere non possunt, & in majus augere semper assolent, nivium molibus, quæ parvo ex principio exortæ, paulatim tuendo è montibus increscunt, donec tandem cum impetu per declivia lapsæ

--- *Sternant sata læta boumq; labores.*

Sic, ut scribit Olaus M. de gent. septentr. l. 2. p. 18. Compertum in terris Suecicis, aviculas volatu excitasse globulos nivium, quorum augmen-

to casuque flante Australi vento, arces, & villæ sunt prostratæ.

Fama malum quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

Cùm in piscinam Lapis missus est, videmus in multos orbes aquam discedere, & fieri primum augustissimum orbem, deindè latiorem, ac deindè alios majores, donec evanescat impetus, & in planiciem immotarum aquarum solvatur. Seneca l. 1. qq. Nat. c. 2. Ita hic videas fieri.

Nam citiùs flammas Mortales ore tenebunt
Quàm secreta tegant, quicquid dimittis in aula
Effluit, & subitis rumoribus oppida pulsat;
Nec satis est vulgasse fidem; Simulatiùs exit
Proditionis opus, famamq; onerare laborat.

Inter Fragm. Petronii. De nivium cumulis, quos Helverii Löwinen vocant, propter horrendum rugitum, quem in casu edunt, plura apud Münsterum &c.

LXXIV.

Gelu Scythicum.

A juventute excipe doctrinam & canescens invenies Sapientiam! Siracidæ dictum est cap. 6. v. 38. Antiphanes unus ex Platonis familiaribus dicere solebat: esse in quadam regione Scythiæ tàm dirũ gelu, ut& verba in ore colloquentium congelent, nec priùs audiri possint ac intelligi, quàm æstate resolvantur: Ita Platonis disputationes, quamvis apud juvenes proferantur, à solis tamen senibus intelligi. Plutarch. de prof: Virt

Virt. ſent. Ita eſt, multa juvenes diſcimus, quæ ſerò tandem ſenes intelligimus. Obſtat juventuti frigidus

— circum præcordia ſanguis.

Unde negat Ariſtoteles juvenem eſſe οἰκεῖον ἀκροατὴν τῆς πολιτικῆς, Idoneum civilis doctrinæ auditorem; poſſe eum Geometricum fieri & Mathematicum, Prudentem non poſſe &c. *Difficile eſt*, dicebat Bion, *mollem caſeum hamo piſcari.* At nihilominùs tamen diſcendum eſt in juventute. *Turpis & ridicula eſt res, Elementarius ſenex: juveni parandum, ſeni utendum eſt*, Seneca Epiſt. 36. Hoc meritò Siracides juventuti ſuggerit, ſi obtemperes; fiet, ut ſis *Ætate juvenis, maturitate ſenex.* Hieron. l. 1. in Eſ. *ætatis curſum virtute prætervectus*, Panegyr. Max. & Conſtant. & verbo παιδαρογέρων, quomodò S. Macarius dictus apud Palladium hiſt. Lauſiac. c. 19. & 20. Ita illi:

Caneſcant alii mento, nos mente; capillo,
Nos animo; facie, nos pectore; tempora quippè
Virtutem non prima negant, non ultima donant.

LXXV.

Mundi extrema tenebræ.

Ex parte cognoſcimus. 1. Cor. 13. verſ. 9. Habet humana ſcientia modum & terminum. Rati ſunt veteres Coſmographi, extra mundum hunc quem incolimus, nihil eſſe, *præter caliginem & tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem mari, in quibus emoriens natura defecerit!* Curtius lib. 9. Qui conceſſos ſcientiæ limites exceſſerit, quid aſſequetur, niſi Cimmerias tenebras?

 Sina

Sinamus eosdem esse intellectui nostro & mundo fines. *Furor est, profectò furor egredi ex eo, & tanquàm interna ejus cuncta planè jam sint nota, ita scrutari externa.* Plinius lib. 2. cap. 1. In primis latere Deum in caligine sua patiamur, quâ se profanis obtutibus non adeundum obsepsit. *Caligo est post omne Lumen*, ait ille, *& sola mentis ignorantia cognoscitur.* Bene igitur S. Prosper in Epigramm.

Scrutari ne cura procax obstrusa laboret,
Cui cuncta in Christo nosse & habere datur.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaq; prosunt,
Dùm mansueta fides, quædam dilata, modestè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.

Idem de Ingratis. Denique non terrarum modò sed & hominum extrema nox obscurissima involvit. Ergò

Tu ne quæsieris scire, nefas! quem mihi, quem tibi
Finem Dj dederint!

ait Horatius. Latet unus dies, ut timeatur omnis, ultimus, ut quemq; apponamus lucro. Apud Pedonem navigante Germanico aptè miles:

Quo ferimur? ruit ipse dies, orbemq; relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris;
Dj revocant, rerumq; vetant cognoscere finem
Mortaleis oculos?

LXXVI.

Alphæus.

Sinceri in medio nationis perversæ. Philipp. 2. v. 15. Alphæus ex Elide Peloponnesi per medios Oceani fluctus servatâ dulci aquâ in Siciliam

am deproperat ad amatam sibi Arethusam. Testantur multi, Plinius, Seneca, Gregorius quoque Nazianz. in Monod. vide Natal. Com. l. 8. Mythol. c. 21. Majolum in Fluviis &c. Mundus mare est, Arethusa virtus, seu, ut Christianè dicam, Imago, Dei, Sanctitas & Justitia, Alphæus æternitatis Candidatus, Virtutis procus & competitor, sed maculis adhuc obsitus, ἀλφὸς enim macula est. Vin' amplecti fontem illum omnis beatitudinis? servate ἄσπιλον ἀπὸ τοῦ κόσμου τούτου Jac. 1. 27. Dabitur.

Si tibi, cùm fluctus inter labére Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Bona Mens, ut *Lucida veritas, omni malorum morum salsedine circumdata, pollui aliqua commistione nonnovit.* Fulgent. l. 3. Mythol.

Sic rosa de spinis nescit violarier ullis.

Histor. Apollon. Tyrii.

LXXVII.

Fontes & Lacus miri S. Scripturæ.

1. *Fons Sapientiæ Verbum DEI.* Sirac. 15. Fons est in India quotannis auro fluido scatens, quod urceis fictilibus hauritur, quia aurum illicò ut extrahitur concrescit, ut frangi vas necesse sit. In fundo ferrum est miri effectus, nàm si in terram defigatur, avertit nebulas & grandines. Ctesias in Indicis; nugatur se ex eo ferro duos enses habuisse. Ita Verbi DEI duæ quasi venæ sunt,

quod ultra est non licet explorare aut attingere, qui id ausus sit malo plectitur, quantamque sui partem ingurgitaverit, tantam it perditum, ut, qui lineam projectam recuperaturus, merso brachio, dùm nisum adjuvat, cadaver manum factam vidit. Ex Solin. c. 10. In S. quoque literis.

Est aliquid prodisse tenùs, si non datur ultrà:

Nam hic quoque modus est optimus *sunt certi deniq; fines!* Fluvius est in quo agnus ambulat, Elephas natat. Denique hîc quoq; altare est, Christus in medio situs, hic sistamus!

Qui Christum discit, satis est si cætera nescit!

Pertinet huc Stagnum mirabile, quod ex Polycrito describit Aristoteles, quod descendentibus in illud quibusdam magis magisque dilatatur, plures semper admittens, sed ad numerum certum. Quinquagenarium, tot si se immiserint, quasi gravetur, ἐκβάλλει μετεώρα τὰ σώματα τῶν λουομένων exterminat & in altum exspuit ultra ripas suas corpora lavantium, inque nativum suum se modum recipit. De Mirab. auscult. Monere potest sobriè tractanda sacra. *Ne quid nimis! Nam & in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio, & si quis propiùs adierunt, quod oculis in Solem se contendentibus evenit, præstrictâ acie, videndi facultate caruerunt.* Nazarius in Paneg. Constant.

LXXXI.

Aquæ castæ, pudicæ.

Nunquàm cum Ludentibus miscui me, ait Sara Tob. 3. vers. 17. Rem mirandam refert Zachar. Theo-

Theobaldus in Arcanis Naturæ cap. XI. pag. 56. Non procul Risenberga, quæ Bohemiæ hinc illinc Bavariæ arx imminet, in monte reperiri fontem ex dura rupe scaturientem, qui si accedat mulier, dùm mensium profluvio laborat, aufugiat, & sæpè post annum demùm revertatur. Sed & illud æquè mirandum quod Boccatius, in Tract. de Stagnis & Paludibus, esse Averigum Stagnum, in quo, si quis vectus turpe quid aut ignominiosum effutiat, tanta, quasi indignantibus undis, Tempestas oriatur, ut in summo omnes sint periculo. Ita monet ipsa rerum natura, scurrilia *stultiloquia* vitanda esse. Ephes. 5.4. *Talium societati ne congressu quidem priore sociêre, quorum sermonibus prostitutis ac theatralibus, nullas habenas, nulla repagula permittit pudor. Nam quibus citra honestatis nitorem jactitabundis loquacis fæce petulantiæ lingua polluitur infrenis, his conscientia quoque sordidatissima est. Denique faciliùs obtingit ut quispiam seria loquens vivat obscænè, quàm valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, & probus moribus.* Hæc Sidonius Apollin. l. 3. Epist. 13.

LXXXII.
Asphaltites.

Qui tangit picem, inquinabitur. Sir. 13. v. 1. Lacus Asphaltites studiosè à multis describitur, Josepho, Egesippo, Strabone, Plinio, Tacito, Solino & aliis. Nihil viventium recipit, non pisces, non aquis assuetas aves, etiamsi viva merseris, quamvis vehementer allisa, resiliunt, excutiuntur:

Lu-

ſacrum, *efferri jus non erat.* Fabius Pictor l. 1. Quantò magis nefas erit verbum Dei in nugas ſcurriles detortum profanare? Ignem è vicinia petere moris fuit apud Veteres, & denegare nefas habitum: *Datur ignis, tametſi ab inimicis petas.* Plautus in Trinum. Act. 3. Scen. 2. meminit Eſ. cap. 30. 14. ubi Proverb. *Ne teſtula quidem ſupererit ad ignem de foco!* Aſt ab ara nec petere licuit, nec dare. Ita Deo conſecrata profanis uſibus impendere religio fuit: hodiè quamvis quisque domi habeat unde calefieri poſſit plus ſatis, tamen ab aris non ignem modò, ſed & cibum rapere peſſimis moribus receptum eſt: ſed plerunque accidit, quod aquilæ in fabulis, quæ dùm exta rapit, aliquid ſimul de favilla & carbonibus in nidum detulit, quo & illum & inplumes pullos concremavit. Deniq; ut Phædrus docet Fab. 69.

... nec Lucernam deflammâ Deûm,
Nec de lucerna fas erat accendi ſacrum.

Quod ex Populo Dei traductum, ubi nefas erat alio quàm ſacro & cœleſti igne ſacrificare, de quo Cl. D. Franzius in Schol. Sacrif. Quod Ennothea Priapi Sacerdos *teſto ignis pleno* ſacrum ignem reficit, ex viciniâ petito, apud Petron. in Satyr. non morem indicat, aut legitimum fuiſſe, ſed factum contra legem fortè, niſi vis tale fuiſſe ſacrum, qualis fuit Deus. Hodiè ut de ſacro igne lucernam accendit, qui verbum Dei profanat; Ita de lucernâ ſacrum ignem excitat, qui rationis ſuæ ductum in fidei myſteriis & cultu Dei ſectatur. Hæretici idem faciunt, quod fur ille apud Phædrum ſab. cit. de quo ait:

Lucer-

Lucernam fur accendit ex arâ Jovis
Ipsumq; compilavit ad lumen suum.

Sed nunc tandem desino.

LXVIII.

Tempestatis avertendæ remedia.

Pœnitentiam agite & convertimini, ut deleantur peccata vestra, Actor. 3. 19. Contra tempestates, fulmina, grandines varia olim superstitio commenta fuit remedia, carmina, sacrificia, & alia, de quibus prolixè Durant. Casellius l. 2. Variar. cap. 10.

Utq; Jovis Magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes præcinxit Vitibus albis.

Columella de Curâ Hortor. *Illud mirabile Cleonæ fuisse præpositos χαλαζοφύλακας, speculatores futuræ grandinis; hi cùm signum dedissent, adesse jam grandinem, quia exspectas? ut homines ad penulas discurrerent, aut ad scortea? imò pro se quisq; aut agnum immolabat, aut pullum: si quis nec agnum nec pullum habebat, digitum suum bene acuto graphio pungebat & hoc sanguine litabat. Protinus autem illæ nubes aliò declinabant, cùm aliquid gustâssent sanguinis.* Refert Seneca l. 4. qq. Nat. cap. 6. & Clemens Alexandr. quoq; 5. Stromat. Grandinis speculator est S. Petrus, prænunciat diem Populo Judaico terribilem ex cap. 2. Joëlis, vide Actor. 2. 20. diem turbinis & grandinis, Zephan. 1. 18. sed certiora longè & tutiora quoq; indicat remedia; Resipiscentiam & conversio-

cruento gladio notatos. Sic sæpè in Ecclesia plures, q. Soles exorti, de primatu pugnârunt, non sine multō sanguine. Sed ubi omnes? evanuerunt! *Nec enim mundus duobus Solibus potest regi, nec duo summa regna* (capita, inquam) *salvo statu terrarum potest habere*, ut Alexander Dario rescripsit apud Curtium l.4. alludens ad vulgatam de Sole fabulam, quod aliquando à Matre contenderit, ut & sibi uxorem ducere, parvosque mundo Soles dare liceret &c. ὡς, γὰρ ἡ γῆ δῆτα ἡλίοις οὐ δύναται θάλπεσθαι, οὕτω μία ψυχὴ δυάδος πυρσῶν ἐρωτικῶν οὐκ ἀνέχεται, Simocatta Epist. 39. *uti terra duos simul Soles; Sic anima una duos simul amores ferre nequit.*

Pentheus Bacchico furore percitus videre sibi videt δύο μὲν ἡλίους, διοσσὰς δὲ Θήβας, apud Eurip. in Bacch. *geminos Soles, & Thebas duplices*: Ita qui duos in Ecclesiâ Soles videre se putat, œstro perculsus & ex aureo illo τῶν βδελυγμάτων poculo inebriatus est. Apoc. 17. v. 4.

LXX.

Circius ubi & cur cultus?

In omnibus gratias agite, 1. Thess. 5. 18. Etiam in adversis. Galliam Circius ventus infestat, cui ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquàm salubritatem Cœli sui debeant ei. Divus certè Augustus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vovit, & fecit. Seneca l. 5. qq. Nat c. 17. Quantò magis par est Christianos etiam in sorte infelici Deo agere gratias, cùm sciant se

adverſitatibus ſuis & ſalubritatem animorum & Cœlum denique ipſum debere? *Non eſt arbor ſolida & fortis, niſi in quàm frequens Ventus incurſat: ipſâ enim vexatione conſtringitur & radices certiùs figit; fragiles ſunt, quæ in apricâ valle creverunt.* Idem de Proverb. cap. 4. Noverant S. Dei Martyres; ergò lata in caput ſuum peremptoriali ſententia dixerunt: *Deo Gratias.* Sic Cyprianus in vita quæ eſt apud Baron. & Graſium: Nam cùm Proconſul decretum *ex tabella* recitâſſet: *Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet!* Reſpondit ille: *Deo Gratias.* Pontius verò Diaconus, qui Paſſionem ejus deſcripſit, ait tantùm, Amen, dixiſſe, & Statium ei prænomen fuiſſe, &c. Rogatus quidam quomodò in aulis rem eſſet conſecutus rariſſimam ſenectutem? *injurias*, inquit, *accipiendo, & gratias agendo*, apud Senecam. Quantò æquius eſt Chriſti ſervos omnes mundi & Sathanæ injurias patienter concoquere, & Gratias agere, juxta exemplum Apoſtolorum Act. 5. v. ult.

LXXI.

Antrum Æolium, ventoſus pileus Erici.

Ex corde exeunt cogitationes malæ. Matth. 15. 19. Franciſcum Tridenteum refert Hier. Megiſerus in deſcript. Venetiar. quâ Patavio itur Vicentiam habuiſſe in prædio Paradiſum pulcherrimum inq; eo ſpeluncam longam pedes 4000. latam 3000. ex qua quoscunque vellet ventos poſſet emittere, in introitu erat Epigramma.

Æolus

Æolus hic clauso ventorum carcere regnat.
Antrum ejusmodi suum cuique cor est. *Has nimbi, ventiq, domos & naufraga servat Tempestas;*
Hanc quisquis in potestate habet verè ille ἀντίθεος & alter Æolus est, quem
--- Ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων.

2. Sed & Salomonium illud huc quadrat; *Sapiens iram Regis placat*, Proverb. 15. 15. Qui apud Potentes gratia pollent, ventos quos volunt, inducant. Habent quasi ventosum Regis Erici pileum, qui tàm familiaris erat malis Dæmoniis, quorum cultui summoperè vacabat, ut quocunque verteret pileum suum confestim indè optatus ventus adspiraret. Olaus l. 3. pag. 37. *In magnâ domo post Dominum, secundus est semper gradus amicorum; Soli sunt per quos apud Dominum & suggerendi liber locus & impetrandi facilis præbeatur accessus. Magna est securitatis portio, in rebus asperis de domo Regis habuisse suffragium*, &c. S. Valer. hom. 15. Sic Æolum & alios credebant veteres ventos in utrem concludere & emittere potuisse, quos vellent. Nat. Comes l. 8. Mythol. c. 10. Ita Sapiens verè dixerit;

--- mihi Pontus inertes
Submittit fluctus, Zephyriq; tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes.

ex Petron. Satyr. Si Sapientiâ eris instructus, ut canit Empedocles,

Flamina ventorum compones, concita motu
Quæ sola terrarum, pelagi quæ cærula verrunt,
Mox mundo induces eadem, si fortè libebit.

LXXII.

Rupes Austro Sacra, Psyllorum interitus.

Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei! Zachar. 2. v. 8. *Qui sanctos Domini tetigerit sic est, quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus, & illum nitatur clarâ luce privare, de qua loquitur in Evangelio: vos estis Lux Mundi!* aut Hieronym. in Zach. I. cit. Nil carius est oculo, undè *oculissimus, & oculitùs dilectus,*

Ambobus si quis carior est oculis,

Ut dicam cum Catullo: sed & nihil tenerius, tangique se non patitur. Hebræis Bath dicitur, ut Græcis κόρη filia, virguncula, nec aliter à Latinis pupilla, à Pupa, propter icunculam, quam exhibet, & est quoque tali virgine Pupa, ut nil fragilius, ita nec quippiam charius. Hinc illa proverbialia: *Custodiore quasi pupillam in oculo*, Deut. 32. 10. Psa. 17. 10. *tangere pupillam oculi alicujus*, aut etiam sui, sic enim apud Zachariam ex Hebræo aliqui vertunt, vide Vatablum. In Cyreniaca Africæ provincia rupes quædam est Austro sacra: hæc cum hominum manu attingitur, ille immodicus exurgit, harenasque, quasi maria agens, sic sævit, ut æquor fluctibus, hæc Pompon. Mela l. 1. cap. 4. meminit & Plinius lib. 2. cap. 45. Sic Ecclesia rupes est Deo Spiritui Sancto, Austro illi Cœlesti Cantic. 4. 16. Sacram hanc nemo impunè tanget. Deterrat Exemplum Psyllorum in Africa, qui cùm Austro nimis flan-

te

te omnes eorum aquæ essent exsiccatæ, irati, cum Vento belligerare & sumptis armis præliari adversùs illum incepêre, sed reflante illo, repentè magnis arenarum montibus operti perierunt. Ita evénit Pharaoni, Herodi, Antiocho; & in primis Sennacheribus sensit hanc Divini Spiritus iram, potentiam: qui amisso cœlesti plagâ exercitu, turpi fugâ ad suos relapsus, in idolio Nisrochi à filiis mactatus est, incisumque sepulchrali lapidi Epigramma: *In me intuens, Pius esto!* *meminit Herodotus.*

LXXIII.

Nivis Leæna.

Scitè Siracides de Garrulis Balatronibus, quos Græci ἀθυροςόμυς, quod os habeant semper patens, nullis foribus aut pessulis coërcitum, Latini, *Rimarum plenos*, dixêre: *Stultum concepto sermone non aliter parturire, quàm soleant gravidæ*, fœtu jam maturo, & erumpere alvi materni claustra gestiente, cap. 19. v. 11. Similes sunt hujuscemodi hominũ calumniæ, quas ex vanis rumoribus acceptas & continere non possunt, & in majus augere semper assolent, nivium molibus, quæ parvo ex principio exortæ, paulatim tuendo è montibus increscunt, donec tandem cum impetu per declivia lapsæ

--- *Sternant sata læta boumq́; labores.*

Sic, ut scribit Olaus M. de gent. septentr. l. 2. p. 18. Compertum in terris Suecicis, aviculas volatu excitasse globulos nivium, quorum augmento ca-

to casuque flante Australi vento, arces, & villæ sunt prostratæ.

Fama malum quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

Cùm in piscinam Lapis missus est, videmus in multos orbes aquam discedere, & fieri primum augustissimum orbem, deindè latiorem, ac deindè alios majores, donec evanescat impetus, & in planiciem immotarum aquarum solvatur. Seneca l. 1. qq. Nat. c. 2. Ita hic videas fieri.

Nam citiùs flammas Mortales ore tenebunt
Quàm secreta tegant, quicquid dimittis in aula
Effluit, & subitis rumoribus oppida pulsat;
Nec satis est vulgasse fidem; Simulatiùs exit
Proditionis opus, famamq; onerare laborat.

Inter Fragm. Petronii. De nivium cumulis, quos Helvetii Löwinen vocant, propter horrendum rugitum, quem in casu edunt, plura apud Münsterum &c.

LXXIV.

Gelu Scythicum.

A juventute excipe doctrinam & canescens invenies Sapientiam! Siracidæ dictum est cap. 6. v. 38. Antiphanes unus ex Platonis familiaribus dicere solebat: esse in quadam regione Scythiæ tàm dirũ gelu, ut & verba in ore colloquentium congelent, nec priùs audiri possint ac intelligi, quàm æstate resolvantur: Ita Platonis disputationes, quamvis apud juvenes proferantur, à solis tamen senibus intelligi. Plutarch. de prof. Virt

Virt. sent. Ita est, multa juvenes discimus, quæ serò tandem senes intelligimus. Obstat juventuti frigidus

— *circum præcordia sanguis.*

Unde negat Aristoteles juvenem esse οἰκεῖον ἀκροατὴν τῆς πολιτικῆς, Idoneum civilis doctrinæ auditorem; posse eum Geometricum fieri & Mathematicum, Prudentem non posse &c. *Difficile est*, dicebat Bion, *mollem caseum hamo piscari.* At nihilominùs tamen discendum est in juventute. *Turpis & ridicula est res, Elementarius senex: juveni parandum, seni utendum est*, Senèca Epist. 36. Hoc meritò Siracides juventuti suggerit, si obtemperes; fiet, ut sis *Ætate juvenis, maturitate senex.* Hieron. l. 1. in Ef. *ætatis cursum virtute prætervectus*, Panegyr. Max. & Constant. & verbo παιδαρογέρων, quomodò S. Macarius dictus apud Palladium hist. Lausiac. c. 19. & 20. Ita illi:

Canescant alii mento, nos mente; capillo,
Nos animo; facie, nos pectore; tempora quippè
Virtutem non prima negant, non ultima donant.

LXXV.

Mundi extrema tenebræ.

Ex parte cognoscimus. 1. Cor. 13. vers. 9. Habet humana scientia modum & terminum. Rati sunt veteres Cosmographi, extra mundum hunc quem incolimus, nihil esse, *præter caliginem & tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem mari, in quibus emoriens natura defecerit!* Curtius lib. 9. Qui concessos scientiæ limites excesserit, quid assequetur, nisi Cimmerias tenebras?

Sinamus eosdem esse intellectui nostro & mundo fines. *Furor est, profectò furor egredi ex eo, & tanquàm interna ejus cuncta plane jam sint nota, ita scrutari externa.* Plinius lib. 2. cap. 1. In primis latere Deum in caligine sua patiamur, quâ se profanis obtutibus non adeundum obsepsit. *Caligo est post omne Lumen*, ait ille, *& sola mentis ignorantia cognoscitur.* Bene igitur S. Prosper in Epigramm.

Scrutari ne cura procax obstrusa laboret,
Cui cuncta in Christo nosse & habere datur.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaq; prosunt,
Dùm mansueta fides, quædam dilata, modestè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.

Idem de Ingratis. Denique non terrarum modò sed & hominum extrema nox obscurrissima involvit. Ergò

Tu ne quæsieris scire, nefas! quem mihi, quem tibi
Finem Dj dederint!

ait Horatius. Latet unus dies, ut timeatur omnis, ultimus, ut quemq; apponamus lucro. Apud Pedonem navigante Germanico aptè miles:

Quo ferimur? ruit ipse dies, orbemq; relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris;
Dj revocant, rerumq; vetant cognoscere finem
Mortaleis oculos?

LXXVI.

Alphæus.

Sinceri in medio nationis perversæ. Philipp. 2. v. 15. Alphæus ex Elide Peloponnesi per medios Oceani fluctus servatâ dulci aquâ in Sicili-

am

am deproperat ad amatam sibi Arethusam. Testantur multi, Plinius, Seneca, Gregorius quoque Nazianz. in Monod. vide Natal. Com. l. 8. Mythol. c. 21. Majolum in Fluviis &c. Mundus mare est, Arethusa virtus, seu, ut Christianè dicam, Imago, Dei, Sanctitas & Justitia, Alphæus æternitatis Candidatus, Virtutis procus & competitor, sed maculis adhuc obsitus, ἀλφὸς enim macula est. Vin' amplecti fontem illum omnis beatitudinis? servate ἄσπιλον ἀπὸ τοῦ κόσμου τοῦτο Jac. 1. 27. Dabitur,

Si tibi, cùm fluctus inter labére Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Bona Mens, ut *Lucida veritas, omni malorum morum salsedine circumdata, pollui aliqua commistione non novit.* Fulgent. l. 3. Mythol.

Sic rosa de spinis nescit violarier ullis.

Histor. Apollon. Tyrii.

LXXVII.

Fontes & Lacus miri S. Scripturæ.

1. *Fons Sapientiæ Verbum DEI.* Sirac. 15. Fons est in India quotannis auro fluido scatens, quod urceis fictilibus hauritur, quia aurum illicò ut extrahitur concrescit, ut frangi vas necesse sit. In fundo ferrum est miri effectus, nàm si in terram defigatur, avertit nebulas & grandines. Ctesias in Indicis; nugatur se ex eo ferro duos enses habuisse. Ita Verbi DEI duæ quasi venæ sunt,

ferrea Legis, vitiorum arcens turbines, & aurea Evangelii. Habemus autem thesaurum hunc ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν. 2. Cor. 4, 7. Quid enim est corculum hoc? quid corpusculum? *vas quassum & fragile,*

Quod simul offendit ad fortunam frangitur!

Phædrus in Fab. Qualia miro, an Naturæ dicam ingenio, an Geniorum lusu? In Polonia effodi apud Nohaw & Poluki inter fluvios Bober ac Neus non procul à Guben & Lobersperg multis testatum, apud Jac. Mokium de aquar, affect. p. 1 p. 133.

LXXVIII.

2. *Die & Nocte.* Psalm. 1. 2. In Cappadocia lacus est Tatta Salis fontem habens, quo qui madescunt sal fiunt, aut sale incrustantur concrescente statim humore; & aves prætervolantes, si extrema alarum obiter tinxerint, illicò quasi viscatæ adhærent. Sacra Scriptura Fons est. *Salis*, quo omnia non modò verba sed & facta nostra condienda sunt, Marc. 9. v. ult, Coloss. 4. v. 6. At Salis hujus tanta est, mirum! dulcedo, ut teneat eos, qui semel mentem illo adsperserunt, non aliter ac Ulyssis Socios *Lotophagorum poma.* Hoc est quod de Sponso suo Ecclesia ait: *Guttur illius suavissimum.* Quia *incredibile est nescienti, quàm suave sit de DEO Opt. Max. ex sacris literis meditari, ac loqui*, Philo Carpath ibid. in Cant. 5. v. 16. Denique qui ingurgitant, fiunt Sal terræ, Matth. 5. 13.

LXXIX.

3. *Lex Domini perfecta.* Psalm. 19. 8. ut Linliguna Lacus, in Cambria insula Britannica propè Sabrinnum flumen, ingentes maris æstus excipiens, nunquam tamen augetur, ut margines excedat, quin cessante æstu reddit mari, eructans instar montis, aquas acceptas: Majolus de Lacub. Colloq. XII. ex Ortelio. Sic S. Scriptura multorum æstibus & salo quasi quotidiè accumulatur, quibus nihilò fit auctior; respuit itaque quicquid ab æstuoso humani cordis mari curarum & adinventionum accepit,

— *opis nihil indiga nostræ*

atque integra mortalibus contagii. Cœterarum artium hæc indoles est, ut ab hominibus inventæ hominum inventis indies excolantur, & perficiantur: Scriptura neque cùm dat inanior, nec cùm accipit plenior fit: *Ut ille, qui omnes aquas cœlo & terris præbet Oceanus, semper tamen in montibus suis totus est.* Panegyr. Max. & Const. Denique similis est *Lecytho olei Elisæi,* nec deficit affluentia Spiritualis gratiæ, nisi deficiant vasa haurientium, 2. Reg. 4. v. 6. *Afferamus igitur multa mentis nostræ vasa, ut impletis illis domum redeamus,* Chrysost. hom. 3. in Genes.

LXXX.

4. *Torrens qui non potest transuadari.* Ezech. 47. 5. In Siciliâ, Peloriade Lacus est quem ars sacrum approbat, à profundis in medio sita dividens brevia, usque ad eam aqua cruretenùs pertingit, quod

quod ultra est non licet explorare aut attingere, qui id ausus sit malo plectitur, quantamque sui partem ingurgitaverit, tantam it perditum, ut, qui lineam projectam recuperaturus, merso brachio, dùm nisum adjuvat, cadaver manum factam vidit. Ex Solin. c. 10. In S. quoque literis.

Est aliquid prodisse tenùs, si non datur ultrà:

Nam hic quoque modus est optimus *sunt certi deniq; fines!* Fluvius est in quo agnus ambulat, Elephas natat. Denique hîc quoq; altare est, Christus in medio situs, hic sistamus!

Qui Christum discit, satis est si cætera nescit!

Pertinet huc Stagnum mirabile, quod ex Polycrito describit Aristoteles, quod descendentibus in illud quibusdam magis magisque dilatatur, plures semper admittens, sed ad numerum certum. Quinquagenarium, tot si se immiserint, quasi gravetur, ἐκβάλλει μετέωρα τὰ σώματα τῶν λουομένων exterminat & in altum exspuit ultra ripas suas corpora lavantium, inque nativum suum se modum recipit. De Mirab. auscult. Monere potest sobriè tractanda sacra. *Ne quid nimis! Nam & in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio, & si quis propiùs adierunt, quod oculis in Solem se contendentibus evenit, præstrictâ acie, videndi facultate caruerunt.* Nazarius in Paneg. Constant.

LXXXI.

Aquæ castæ, pudicæ.

Nunquàm cum Ludentibus miscui me, ait Sara Tob. 3. vers. 17. Rem mirandam refert Zachar.

Theo-

Theobaldus in Arcanis Naturæ cap. XI. pag. 56. Non procul Risenberga, quæ Bohemiæ hinc illinc Bavariæ arx imminet, in monte reperiri fontem ex dura rupe scaturientem, qui si accedat mulier, dùm mensium profluvio laborat, aufugiat, & sæpè post annum demùm revertatur. Sed & illud æquè mirandum quod Boccatius, in Tract. de Stagnis & Paludibus, esse Averigum Stagnum, in quo, si quis vectus turpe quid aut ignominiosum effutiat, tanta, quasi indignantibus undis, Tempestas oriatur, ut in summo omnes sint periculo. Ita monet ipsa rerum natura, scurrilia *stultiloquia* vitanda esse. Ephes. 5. 4. *Talium societati ne congressu quidem priore sociere, quorum sermonibus prostitutis ac theatralibus, nullas habenas, nulla repagula permittit pudor. Nam quibus citra honestatis nitorem jactitabundis loquacis fæce petulantiæ lingua polluitur infrenis, his conscientia quoque sordidatissima est. Denique faciliùs obtingit ut quispiam seria loquens vivat obscænè, quàm valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, & probus moribus.* Hæc Sidonius Apollin. l. 3. Epist. 13.

LXXXII.

Asphaltites.

Qui tangit picem, inquinabitur. Sir. 13. v. 1. Lacus Asphaltites studiosè à multis describitur, Josepho, Egesippo, Strabone, Plinio, Tacito, Solino & aliis. Nihil viventium recipit, non pisces, non aquis assuetas aves, etiamsi viva merseris, quamvis vehementer allisa, resiliunt, excutiuntur: Lu-

Lucerna accenſa ſupernatat, extinčto lumine demergitur: Nihil gignit præter tenaciſſimum bitumen,quod avelli ſcindique non poteſt,quoniam in quantum ducatur, extenditur, navibus tamen capitur, quibus impletis, quod abrumpi vi non poteſt, contačtum filis menſtruo cruore pollutis & lotio perfuſum ſponte diſcerpitur,aut in oram terræ adduĉtum cuneis & ſecuribus, ut lignum finditur, cùm vi Solis inaruerit, quin & carmina quædam adhiberi Poſſidonius author eſt. Mundi imago, quem fugiunt viva omnia, ne immergantur, nec poſſunt, quamdiu Spiritum vitæ retinent. Aves itaque pii, qui pennas fidei habent, (*Da mihi fidei pennas,ut volem ſursùm DEO! erat* Marius Victorinus hymn. 3. ex Pſalm. 55.)

Queis celſa conſcendant Poli!
Quas ſibi cùm velox mens induit
Terras peroſa deſpicit.

Iidem piſces, ſemen Chriſti, qui veteribus ex acroſtichide nominis ἰχθὺς, *Piſcis eſt*, ait Optat. Milevitanus, *qui in baptismate per invocationem fontalibus,undis inſeritur, ut quæ aqua fuerat, à piſce etiam piſcina vocetur.* Pix & bitumen ſunt impii,hos in Eccleſiæ navim colligere,hoc opus,hic labor eſt. Adhibenda varia remedia,oſtendenda tabes peccati,quaſi cruor menſtruus Eſa.64.& ignominiæ æternitas, quod quaſi lotio eſt perfundere: deniq; ſi hæc nihil effecerint, ſacra carmina recitanda,piæ preces, quibus tamen niſi æſtus tribulationum,niſi ictus divinarum ſecurium efficaciam dederint, nil dederit. Hoc eſt πάτlαλον πατlάλῳ

ex-

ἐκκρούειν & *malo nodo malum adhibere cuneum.* Fuge Picem, qui ſapis, niſi impediri vis & pollui! Nam ut habet Theognis:

A puris pura accipies, ſed turpibus amens
Mixte, cave mentis perdere quicquid habet.

LXXXIII.

Ciconum aqua & ſimiles.

Diteſcere cupientes incidunt in tentationem. 1. Timoth. 6. 9. Ovidius.

Flumen habent Cicones quod potum ſaxea reddit Viſcera. In quibusdam Italiæ locis evenire ait Seneca, ut ſi virgam, ſi frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahas. Talis fons eſt Salis, de quo nuper ex Strabone, aquis tantâ celeritate concreſcentibus, ut ſi avium alæ madefiant, volatum impediant, & corollæ imbutæ ſtatim rigido ſalis gelu conſtent, vide alia apud Mokium de aquar. affect. Tales aquæ ſunt divitiæ. Ὅπȣ ἂν λάθῃ τὸ ῥεῦμα τȣ͂το, ἐντεῦθεν ἀναγκαῖον ἐξοικίζεσθαι ἀρετὴν, *non poteſt non exulare virtus, ubi hoc flumen latet*, ait Themiſtius in Grat. Act. ad Conſt. Imp. Ea de cauſa ait, ſe hunc quaſi felicitatis torrentem, occultis Cæſaris canalibus in domum ſuam derivatum, velut objecto aggere avertiſſe. Ubi opes, ibi ſemper ferè

Capit cor cura, ærumna corpus conficit.

Denique alas intervelli, & ipſos divitiarum amatios, lapideſcere teſtis erit uxor Lothi. Geneſ. 19.

LXXXIV.

LXXXIV.
Fons Vitæ Mortisque Index.

Ira Regis, nuntius mortis: Serenus vultus, vita. Proverb. 16. 15. 16. In Bohemia non procul à pago Milavvez, ut refert oculatus testis Zachar. Theobald. In Arcan. Nat. Fons est Woytieska dictus ab accolis, ex quo si quis hauriat eo vase, quo bibere solitus sit æger, indicium vitæ accipit, si serenus fluxerit; mortis, si turbidus: Ita in vultu Regum clarissimum argumentum est vitæ, necisque. Nihil pulchrius oculo eorum Clemente.

Contra fortuita adspectu Rex cives refovet suo. Verè Aurelius Anton. Imp. *Nihil magis commendare Imperatorem Gentibus, quàm Clementiam.* Nàm &

--- sola Deos æquat Clementia nobis!

Claudian. in Panegyr. Honor. 4. Ita ut exosos reddit, ita turbat animum, pervertit judicium, mortem præcipitat. Nàm juxta P. Syrum:

Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia.

Cogitent imperantes, *utrum Mundi status gratior oculis pulchriorq; sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies est quieti moderatiq; imperii, quàm sereni Cœli & nitentis! Crudele regnum turbidum, tenebrisq; obscurum est,* &c. Seneca de Clement. l. 1. c. 7.

LXXXV.

LXXXV.

Fons in Andro.

Cœtum publicum ne deseramus. Hebr. 10.25. In Templo liberi Patris, quod erat in Insulâ Andro Plinius author est, fontem quotannis Nonis Januariis vino fluxiſſe, ſed ut ſapor iſte nulli præberetur extra templum. Mutianus verò id ſingulis ſeptenis diebus accidiſſe prodidit. Refert Michaël Piccart. Vir Clariſſ. in orat. de Luſib. Naturæ. An id aliquando verè evenerit, id neque affirmare habeo, neque negare. Res Diaboli vires non excedit, miris ille præſtigiis hominum ſenſus ludere & poteſt, & ut ſibi locisque ſuo honori conſecratis divinitas opinionem augeat, ab antiquo aſſolet. Vide Libellum aureolum Nicol. Hunnii Theologorum acutiſſimi, qui probavit: *Eccleſiam Romanam non eſſe Chriſtianam*, hic titulus eſt. Epiphanius hæreſi 51. refert, quotannis eâ die & horâ, quâ primum in Nuptiis Canæ celebravit miraculum Dominus, vinum ex fontibus fluxiſſe, ſeque ipſum bibiſſe ex fonte Templi Geraſeni in Arabiâ, teſteſque eſſe, quod idem in Ægypto & Nilo evenerit. Mira res! niſi fortè idem his fontibus evenit, quod apud Æthiopas Menſæ ſolis, ut vino repleti fuerint, obduratis ſcaturiginibus, à Magiſtratibus aut aliis, ut miraculi memoria ſic commendaretur. Tempus ferè cum eo quod aſſignavit Plinius convenit. Remanſit credula ſuperſtitio, quod cum pace Epiphanii dicam, etiam ſub papatu apud ma-

Jores, qui nocte media, quâ natus mundi Salvator creditur, unde nostri Sanctam dicunt, die Weyhenacht/ Weyhe enim Sanctum est, undè Weyhen consecrare, in puncto temporis omnes aquas mutari in vinum crediderunt. Sæpè à Parente meo audivi puer, Deyssellæ, quæ ei Patria fuit in Hassiâ inferiore, temerarium quendam experimentum capere voluisse, profectumque extra pagum ad ripas Dimmelæ præterfluentis exspectasse, sub noctis meridiem, ictum campanæ duodecimam horam indicantem, tùm, cùm eum audisset, haustro arrepto aquas è fluvio petiisse, recitato quasi legitimo carmine:

In der Nacht der Weyhen
Da werden alle Water Wein/

quasi dicas: *Nocte sacri partus vinum fluit omnibus undis*; vix finierat, cùm horrendus ei vir adstitit, post quem nihil vidit, inque oculos inflans, dixit rythmum complens:

So sind deine Augen mein!

Sed quod de fonte Liberi patris dixit Plinius, quod Mutianus; de Fonte divini verbi verùs dixeris, efficaciùs & sapidiùs fluit in Templo; *Viva vox plus afficit*, plus efficit. *Sivè enim mœror aliquis negotium facessat, hîc relegatur; sivè curæ seculares, aufugiunt; sivè alienæ à ratione perturbationes sedantur. Qui huc cum studio & fide ventitat, innumeris thesauris ditatus abscedit, & si os tantùm aperuit, omni odorum suavitate continuò complebitur*: Hæc & alia S. Chrysost. in S. Lucian. Martyr.

LXXXVI.

LXXXVI.

Jordanes.

Qui perseveraverit, usque in finem, salvus erit. Matth. 10. 22. Jordanes unum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur, Tacitus l. 5. histor. Egesippus: Duos lacus victor egressus, tertio retinetur. Nam ut Lipsius in Notis ad Tacit. observat, transit stagnum Tiberiadis, & in Traconiti de lacu, cui Samochonitis nomen, tandem mari Mortuo hauritur. *Non requiruntur in Christianis initia, sed finis.* Hieronym. Quid juvat semel atque iterùm in acie contra vitia stetisse & rem gessisse fortiter, si tandem perduellis evadas aut deditione capiaris?

Non benè qui cæpit, sed qui benè perstitit, & qui
Pertigit ad metam donatur honore coronæ.

LXXXVII.

Gyndes fluvius.

Babylonis infantes ad petram allidere: Psalm. 137. v. 12.

--- *Consueta relinquere durum!*

CyrusBabylonem expugnaturusGynden latè fusum amnem vado transire tentavit: Uno autem equo, qui trahere regium cutrum albi solebant, vorticibus abrepto, irat⁹ juravit, se amnem eò redacturum, ut & à fœminis transiri possit, & tamdiu operi huic assedit, ut tandem in 160. rivos disper-

 geret,

geret, ſiccumque relinqueret. Seneca l. 3. de irâ c. 21. Babylon eſt *Concupiſcentia* prava *Vitionum*, ut ajebat Bion *Metropolis*. Hanc expugnaturis plerunque objacet malæ conſuetudinis flumen infidum, vorticoſum, in quo crebra naufragia &

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Pauci emergunt,

Nec revocare gradum quisquam greſſumq; referre
Præcipiti jam mente poteſt,

ut habet Alcimus Avitus l. 4. *Habet enim hoc infelix conſuetudo peccandi, ut quantum ampliùs quisque peccaverit, tantò minùs peccata ipſa intelligat, & tantò plùs eum peccare delectet.* Euſepius quispiam Gallus homil. 5. ad Monach. Remediũ à tempore venit, ſi deduxeris quaſi in rivos, & nunc hunc, nunc illum tranſilias. *Eſt conſuetudo hæc quædam gravis & pernicioſa catena, ſolvenda utique faciliùs quàm rumpenda, ut hic maximè vulgare illud proverbium videatur uſurpari, induſtriam violentiâ potiorem.* Bernhard. in ſerm. de VII. Sp. S. donis. Optimum igitur, obſtare principiis. Hinc S. Paulinus in Pſalm. ſuprà cit.

Si cupis extincta Babylonis ſtirpe beari
In te ipſo primis gliſcentia crimina flammis
Frange fidem, jam propter adeſt, Petra Chriſtus, in ipſo
Viperam ſobolem validis elide lacertis.

LXXXVIII.

Aqua dulcamara.

Labia Meretricis ſuavia, noviſſima abſynthium.

Pro-

Proverb. 5. v. 3. Hypanim tradit Herodotus ab ortu quinque dierum via dulcem fluere, deindè per quatriduum valdè amarum, apud Athenæum l. 2. Dipnos. cap. 2. Asanius lacus est, cujus aquæ in summitate sunt dulces atque potabiles, si ad profundiores processeris, vitiosas comperies, Boccatius de Lacub. Sic Voluptas primò dulcis, in fine amarescit. *Scitum est & scitu dignum Aristotelis dictum, quo voluptatum initia oblivioni mandanda asseruit, & solos exitus recordandos*, apud Saresber. l. 8. Policrat. cap. 5. p. 468. ὥσπερ καὶ ἡ ἁμαρτία γλυκεῖα μὲν τῇ γεύσει, πικρὰ δὲ τῇ πέψει καὶ τῇ ἀναδόσει καθὼς εἴρηται, ut & *Peccatum dulce gustu sed amarum concoctu*, ut ajunt, Andreas Cæsariens. in Apoc. c. 29. Juba, apud Plinium, in Troglodytis lacum esse dicit, insanum maleficâ vi appellatum, ter die fieri amarum salsumque, ac deindè dulcem, totiesque etiam noctu, scatentem albis serpentibus vicenûm cubitorum l. 31. cap. 2. Vita humana talis lacus, in quo multi serpentes genimina viperarum,

--- dolor & voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas.
Et subtexta malis bona sunt, lacrymæq; sequuntur
Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem.

LXXXIX.

Fons in Chersoneso Rhodiorum.

Effunde sicut aquam cor tuum. Threnod. 2. 19. Est in Chersoneso Rhodiorum fons, qui post magnum intervallum temporis, fœda quæ-

dam turbidus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatusque est. Seneca l. 3. qq. Nat. cap. 26. Imago Pœnitentiæ & confessionis; optimum liberandæ eliquandæque mentis medium! Nihil rarius, adeò ferè nullus qui dicat: quid feci? Jerem. 8. vers. 6. *Nam quis*, ut queritur Juvenalis,

Peccandi finem posuit sibi? quandò recepit
Ejectum semel attritâ de fronte ruborem?

Sed nihil salubrius, nihil DEO acceptius. *Noveris volo non ut est apud præsulem fori, sic esse apud judicem Mundi. Namque ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia damnatur; Ita nobiscum, qui eadem DEO fuerit confessus, absolvitur.* Sidonius lib. 4. Epist. 14.

XC.

Fons Garamantum.

Inangustiâ quæsierunt te. Esa. 26. 16. Garamantum oppidum est Debris fonte miro,

Frigore qui noctis fervet calefactus & umbris,
At Solis friget radiis glacialis & igni.

Priscianus de situ Orbis. *Quis ergò non stupeat fontem, qui friget calore, colet frigore?* Solin. cap. 31. Sed hoc plerisque hominum est ingenium, quando Sol illis candidus affulget, algent, nive Gallicanâ frigidiores: Si nox ingruat tempestatemque hyememque ferens incalescunt, ut sapienter dixerit Idiota de contempl. Patient. cap. 1. *Quamvis omnis fortuna timenda sit; tamen magis timenda est prospera, quàm adversa: quia hæc quidem sæviendo erudit; illa autem blandiendo educit.*

CXI.

Aqua Stygis.

Fortissimi quique interfecti sunt ab eâ, viæ inferi domus ejus. Proverb. 7. 26. Alter Stygis fons est circa Thessalica. Tempe, visus omnibus terrori est, traduntque etiam æs & ferrum erodi illa aqua. Profluit brevi spatio, mirumque, siliqua sylvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur, semper florens purpurâ, ex Plin. l. 31. cap. 2. Schenck. l. 7. obs. Medicin. 4. pag. 9. *Siliquæ*, S. Lucas Græcè vocavit κεράτια quod fructus cornuum formam habeat nostris. Johannsbrod/cibus tenuiorum hominum, undè Horatius l. 2. Epist. 1.

--- *Vivit siliquis & pane secundo,*

& porcorum est. Luc. 15. 16. Theophylact. *assimilatur siliquis peccatum, dulcedinem habens & asperitatem, delectat enim momentaneè, & perpetuò cruciat.* Euthymius voluptates putat indicare.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. Arridet oculis voluptatis virens purpura, palato dulcis silicula; at radices Stygem implicant, quæ æs quoque & ferrum erodit, adeò verè dixit Xenophon; *Multò plures posse in vincendis hostibus, quàm voluptatibus superiores evadere.* In vita Agesilai c. 33. Quod ut de omni, sic de meretriciá voluptate inprimis, usu comprobatur. Appositè vetus quidam:

Omnis mulier intra pectus virus celat pestilens,
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

 Deni-

Denique sola asini ungula reperta, neque ulla alia materia, quæ non perroderetur à veneno Stygis, Plinius l. 30. c. 16. Ita fieri nequit, ut ab impuris voluptatibus animus nullam capiat noxam, nisi prorsùs sit ἀναίσθητος, atque adeò ipsâ Asini ungula stupidior. *Amare & sapere, nec DEO conceditur.*

XCII.
Lacus Nidrosiensis.

Aquæ plurimæ non poterunt extinguere. Cantic. 8. 7. Propè Nidrosiam Metropolin Norvegiæ Lacus est qui in summis frigoribua non congelatur, in fundo enim venis sulphureis scatet & fervidus est, vide Olaum. M. lib. 2. cap. 1. Sic Charitas, etiamsi in summo sit frigida, in cordis fundo tamen fervet, nec ullo aut frigore, aut aquarum cumulo extinquitur. Non in oris superficie est, verbis non ostenditur, sed factis. *Parvus amor est qui oris testimonio sufficienter aperitur.* Ennod. lib. 7. Epist. 8. *Avi & atavi nostri cùm allium & cepe eorum verba olerent, tamen,* ait Varro Bimargo, *optimè erant animati.* Multi calida & callida verba dant, quorum animus frigidior est rigente brumâ. *Salices frugiperdæ!* de quibus Petrus Ravennas Chrysologus; *Sicut sterilis arbor, quæ vernali tempore cùm tota candescit in flore, fructum non dat, sed fallit: Ita Charitas quæ putatur, & non est occasionum concussa flatibus, evanescit.* Serm. 162. Addo, ut miraculum est lacus ille in hyeme non duratus gelu; Sic verè Charitas.

Rara

Rara avis in terris, nigroq; simillima Cygno.
Adeò ubique *refrixit!* Matth. 24. 12.

XCIII.

Insula natans.

Omni custodiâ serva COR *tuum*, Prov. 4. 23. Quid ita omni? Quia fugitivum eſt, vagum eſt; *Petulantium puerorum, more semper se domo proripit, ut vanitatibus & lusibus suis indulgeat: Est velut canis venaticus pruriens pedibus ad venationem & ad prædam suam omni momento exire gliscens.* Haëfftenus in Schola cordis lib. 2. Lect. 1. *Nihil est in me, Corde meo fugacius*, quæritur S. Bernhardus. cap. 9. Meditat. Hinc *David*, 2. Sam. 7. 27 *Invenisse se dixit Cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi velut fugitivum, & non posse comprehendere, ac clamara ad Dominum: Cor meum dereliquit me!* Pſalm. 38. v. 13. Auguſtin. in Pſalm. 85. In mari versùs Hiberniam, ajunt, inſulam, cui ex re nomen venerit *Fugitivæ*, viſam & à navigantibus ſæpè petitam ſemper effugere ſolitam, nullique ſe calcabilem præbere vo uiſſe, donec ſuaſu ſenis cujusdam Sapientis tela ignea in eam projecta ſint, quod ignem Lemuribus, à quibus inſula poſſeſſa tenebatur, adverſari dixiſſet. Talis inſula eſt Cor noſtrum, ſolo igni Gratiæ & verbi Divini ſtabiliendum Hebr. 13. 9. ſic D. Dietericus in Sap. cap. 1. conc. 5. pag. 71. Ergò utique ſumma diligentia cuſtodiendum. *Bonum castellum custodit qui corpus suum custodit*, vulgi verbum eſt. de quo Bernhard. ſermon. 46. ex Parvis: Quantò magis, qui Cor?

XCIV.
Alia.

Circumferri quovis vento, Ephes. 4. 14. Ipse ad Catulias natantem insulam vidi, quæ & arbores habet & herbas nutrit, tamen aqua sustinetur; & in hanc atque illam partem non tantùm vento impellitur, sed & aura. Nec unquàm illi per diem & noctem in uno loco statio est. Seneca l. 3. qq. Nat. cap. 25. Meminit & Macrob. 1. Saturn. c. 7. & alii. Tale est ingenium τ̃ ἀστηρίκτων, quale arundinum fluviatilium

--- quas leniter adflans
Aura susurrantis posset confundere venti.

Quid multa? Verè Boëthius l. 2. Met. 3.

Constat æternâ positumq́, lege est,
Ut constet genitum nihil.

Volvunt mortalia vices crebræ & omnium rerum fugâ vivitur. Symmach. l. 8. Epist. 27.

XCV.
Insulæ Accipitrariæ.

Saturitas divitis non finit eum dormire. Eccles. 5. vers. 11. Navigantibus ex Hispania in Americam obviæ sunt Insulæ Accipitrariæ: Primus detexit Bentencurius Gallus & Lusitanis vendidit; id mirum! circa eas qui navigant infestari culicibus, cimicibus, pulicibus, pediculis, sed simul atque prætervecti fuerint, liberantur. Ex Navigat. Hulsii. Idem accidit in hoc vitæ humanæ Pelago ut circa Accipitrarias, avaritiæ & am-

& ambitionis sedem, vela facientes multi undique circumstrepant culices; pediculi, qui oculis somnum videre non sinunt, & edacibus morsiunculis animum exagitant. Nam ut de avaritia cecinit. Prudentius in Psysomach.

Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, Commenta, insomnia, sordes
Eumenides Furiæ, monstri comitatus aguntur.

Ita pediculos, ait Aristophanes in Pluto, vellicare aurem & immurmurare

--- πενήσεις ἀλλ' ἐπανίσω!

Bene igitur Salomon: *Melior pugillus cum requie.* Eccles. 4. 7. vis te non infestari ab istis cimicibus, accipitrarias prætervehere, idque quam primùm: *in freto viximus, moriamur in portu.* Senec. Epist 19.

XCVI.

Montes & Luci asyli.

In Monte Sion erit Salus. Joël. 2. 32. In monte Parthenio Templum erat Panos, & circa illud area Aula dicta, in qua cervis aliisque imbellibus feris tutissimus receptus erat, adversùs Lupos & Leones: Ælian. l. 11. hist. anim. c. 6. Fortè non alius est locus in Lycæo monte Arcadiæ, sacer Jovi Lycæo, quo feras confugientes venator non persequitur, & jaciunt illæ in hac sacra area nullam de se umbram. Pausan. in Arcad. Sic apud Venetos Lucus fuit Junonis Argivæ, & alius Dianæ Ætolicæ, in quibus cervi inter lupos agebant impunè, Strabo l. 5. Pertinet huc Mons Kindaculle apud Austro Gothos altissimus, amœnissimus, & omni-

& omnium fructuum ſponte ſuâ feraciſſimus, ut ſit quaſi Paradiſus, ad quem nautæ tempeſtatibus jactati remis veliſque contendunt, nam ad pedes ejus tranquilliſſimus portus eſt. Olaus l. 11 &c. Talis mons eſt Sion Eccleſiæ, in quo fit quod ex Eſaia c. 11. in Sibyllinis extat; ex verſ. Caſtalionis:

Cumq; Lupis agni per montes gramina carpent,
Permixtiq; ſimul pardi paſcentur & hædi,
Cum vitulis urſi degent, armenta ſequentes,
Carnivorusq; Leo præſepia carpet uti bos,
Et pueri infantes colubros in vincula mittent.

XCVII.

Montium concurſus.

Mons pernicioſus. Jerem. 51. v. 25. Montes ſunt Principes & potentes: ſi boni; umbriferi, frugiferi,

--- tempus iræ dare
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo
Hæc ſumma Virtus, petitur hac Cœlum viâ.

Seneca in Octavia. Et ut iſti immoti, ſic Principum fidem eſſe decet;

Quâ ſine non tellus pacem, non æquora norunt.

Longè lateque conſpici poſſunt. *Quantò excellentiorem locum tenemus inter homines, tantò magis omnium patemus adſpectibus; omnium itaque mortalium oculi, omnium judicia, omnium vota noſtrum velle ac nolle conſiderant*, ait Conſtant. M. in Epiſt. ad Helen. Matr. Deniq; teſtante Senec. in Oedipo;

Ut alta ventos ſemper excipiunt juga;
Imperia ſic excelſa fortunæ objacent.

At

At cùm concurrunt terrâ movente, nihil perniciosius. Sic Anno Urb. Cond. 666. quo sociale bellum exarsit, in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque, inter eos flammâ fumoque in Cœlum exeunte: eo concursu villæ omnes elisæ, animaliaque multa, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Julius Obseq. de Prodig. cap. 116.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

XCVIII.

Æthna.

In irâ memor misericordiæ. Habac. 4. 2. Sicilia, ut est apud Priscian. de situ Orb.

--- montem mirandum sustinet Æthnam,
Vertice qui summo rigidâ nive temperat ignem,
Nec superant flammæ frigus, nec frigora flammas.

Possis ad impuros amatores transferre, in quibus durissimum frigus est, si Deum, si proximum respicias, & tamen, si amoris amentiam

--- acrior mentem excoquit
Quàm qui caminis ignis Æthnæis furit.

Seneca Herc. Fur. Sed ad Deum venustiùs, qui Iræ vindices flammas, nive & refrigerio gratiæ semper temperat, *De nostro justus*, ut ait Tertullianus, *de suo optimus*. Denique apud inferos quoque eodem modo Tartarus, ut visum antiquis,

--- Cobibet, mirabile dictu,
Æternam flammis glaciem, æternoque rigore
Ardentis horrent scopuli ---

ut de Æthna scripsit Silius lib. 14.

CXIX.

XCIX.

Spelunca Dalmatica.

Iracundia quiescit in sinu stultorum. Eccles. 7. 11. Specus est in Dalmatiæ ora, vasto in præceps hiatu, in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Nomen loco est Senta. Plin. lib. 2. cap. 45. Similia feruntur de lacu Lucernatium in Helvetia, lacus Pilati vocatur, obsessus ab immundis Spiritibus, in quem si quid deditâ operâ conjiciatur, statim fremit, intumescit, effluit, agris perniciem affert & obviis quibuscunque, ut prodidit Vadianus in Pomp. Mel. Lignaridus in oblectam. Academ. &c. Alia vide apud Majolum Colloq. XII. Zach. Theobaldus alium describit lacum in finibus Bohemorum situm non procol à Schüttenhoff/ cui nomen sit Bavarico, ut loco ubi est, in jener Welt/in altero mundo, cui si ferrum si lapidem injeceris, non prius quiescere videbis, quàm è fundo iterùm emoritur, & quasi evomuerit. In Arcan. Nat. Talis specus, talis lacus est cor τῶ φιλαυτίων καὶ μικρεγαυτίων, quibus animus

--- *levior cortice & improbo*
Iracundior Adriâ;

Si bene quid feceris *levior plumâ est gratia*, si vel minimo digitulo offenderis *plumbeas iras gerunt*, & vel ad imprudens verbulum ita excandescunt, ut *ab iis Lucernam*, loquar cum Theocrito, *possis accendere*. Malæ mentis, mali Spiritus argumentum! Nam ubi bona Mens, ubi S. Spiritus, ubi

Alcyo-

Alcyonii quaſi *dies* ſunt. Venuſtè Petronius in Satyrico: *Incultis aſperiſque regionibus diutiùs nives hærent; aſt ubi arato domeſacta tellus nitet, dùm loqueris levis pruina dilabitur: Similiter in pectoribus ira conſidit; feras quidem mentes obſidet, eruditas præterlabitur.* Quô nihil ad ſententiam Salomoniam aptiùs quadraret.

C.

Ager calvus. Lacus Gadarenus.

Ne diligatis Mundum. 1. Joh. 2. 16. Apud Indos campus eſt venenoſum gramen edens, quo paſta animalia pilos & cornua amittunt, undè nomen Calvo. Itaque Elephanti refugiunt, & nil ex eo natum guſtant. Ælianus lib. 8. hiſt. anim. c. 15. Par veneni efficacia aquæ Gadarenæ, è qua quod biberit pilis, unguibus, & cornibus, ſi quod ſit cornutum, animal deſtituitur. Strabo l. 16. voluptas, honor, opes virulenti ſucci, *κακὸν βλάςημα* ſunt. Tres denique in Mundo quaſi lacus ſunt in quibus maxima pars hominum peritat; Tria ſtagna, ait Marcellus Palingenius in Sagittario:

Quorum unum fertur limoſum illique Voluptas
Præſidet: aſt aliud ſpinoſum dicitur, in quo
Regnat Avaritia, & Lucrandi effræna cupido:
At reliquo eſt nomen fumoſo, cujus habet jus
Imperiumque tenet ſit ibunda ſuperbia honoris.

Robur omne animi & corporis enervat mundus.

Tri-

Triplex ille mundanæ voluptatis fons, eandem habet indolem cum aqua Salmacis:

Quisquis in hos fontes vir venerit, exiit indè
Semivir & tactis subitò mollescit in undis:

Ovid. 4. Metam. *Impedit consilium voluptas, & rationi inimica est, & mentis, ut ita dicam, perstringit oculos, nec ullum habet cum Virtute commercium,* Cicero de Senectute.

CI.

Fons Job.

Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis. Jacob. 5. vers. 11. Fons Job in Idumæa quater in anno colorem mutare dicitur, id est, pulverulentum sanguineum, viridem & limpidum, ternis mensibus in anno tenens unum ex his colorem. Hæc Isidorus lib. 13. Etymol. cap. 13. quæ Boccatius de fontib. repetit. Ita omnium rerum vicissitudo est. *Nostra certè mutatio, quod clausis, vel in totum Homericis oculis liquet, totum versiforme est: dies & nox invicem vertunt: Solstitionibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat,* &c. Tertull. de Pallio. Felix patientia!

Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum!

Specta Jobum, cui post pulverem & sanguinem nunc æternùm viret voluptas, & quasi limpida fluit ac sincera lætitia. *Meritò igitur beatificamus qui sustinuerunt,* Jacob. 5. v. 10.

--- *Dicimus autem*

Hos

Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ
Nec jactare jugum vitâ didicêre magistrâ.
Juvenal: Satyr. 13.

CII.

Aurea Pythiæ mensa & alia.

Non in persuasoriis humanæ Sapientiæ verbis. 1. Cor. 2. v. 4. De Pythiæ auri fodinis, & inexplebili siti, deque uxores prudenti consilio, quo animum auro unicè deditum mariti ab isto studio nonnihil abduxit, appositis omne genus ex auro elaboratis eduliis, visu quidem elegantibus sed quæ avido stomacho placando non essent, cùm neglectis agris omnes in eruendo auro essent subditi, famesque jam premeret regionem, notissima est historia. Argumentum elegans; nihil humanarum rerum famem mentis nostræ exsaturare. Heliogabalus Parasitis suis in secundâ mensâ sæpè ceream Cœnam, sæpè ligneam, sæpè eburneam, aliquandò fictilem, nonnunquàm vel marmoream etiam vel lapideam exhibuit, ut solis oculis vescerentur, & manus, quasi comedissent, lavarent. Lamprid. in Heliogab. Eloquar? an sileam? nunquid Deus, ipse insanos Mundi hujus Parasitos ita ludit? Quid omnes Persarum montes, qui toti aurei fuisse credebantur? quid honores quid voluptates, ipsa humana Sapientia eloquens, & Eloquentia sapiens, quid? nisi cibus ex auro, ebore, marmore? quem qui esse velit, cum calceatis dentibus veniat oportet, nec magis tamen abibit satur, quàm Tantalus apud Inferos.

Qui sitit inter aquas & poma fugacia captat.
Ita fit, quod prædixit Dominus, *mensa in laqueum*, ex Psalm. 69. 27. nàm non satiat cibus iste sed suffocat. Sed aliud erat in animo. Oratio elegans, & quasi aurea, at verò in recessu sterilis, epulum quoque est Pythiæ, Heliogabali mensa secunda. Zeno *argento Alexandrino* similem dixit, scitè percusso, sed nihili. Plutarchus, *operi coronario virginem*, quod ex pulcherrimis floribus contextum, diarium est & nullius frugis. Scitè Nazianz. in distichis:

ἦχοι θαλάσσης ἀνδρὸς ἄφρονος λόγοι,
βρέμοντες ἀκτὰς, οὐ πιαίνουσι χλόας.
Ut litorales sunt soni stolidi logi,
Fremunt in acta, nec solum pingue faciunt.

CIII.

Aureum rete, argentea anchora.

Aurum & argentum stabiliunt pedes, Sirach. 40. 25. Sunt quasi anchora firmissima, ut vulgo videtur, sapientibus non item;

Quisquis habet nummos secura naviget aura
Fortunamque suo temperet arbitrio.

Petronius in Satyr. Phœnices in Tartessum navigantes primò, tantam argenti vim ex permutatione aliarum mercium comparârunt, ut nautica vasa, omnia, etiam *anchoras* subdiscessum *argenteas* facerent, quod navès non essent capiendis tot opibus. *Argenteâ anchorâ niti* idem quod *argentei*

genteis hastis pugnare, & aureo hamo piscari. Nerò piscatus est *rete aurato*, purpura coccoq; funibus nexis. Sueton. in Nerone. Pulcherrimum nassæ aut reticuli genus, mirum si non pisces ipsi suâ sponte se induerunt. Nempè ut in auream Timothei Atheniensium Ducis nassam urbes spontè ingrediebantur, dormiente ipso, de quo alibi. Euripid. in Bellerophonte citatus à Seneca, de Pecunia venustè dixit:

Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cœlitum atq; hominum movet.

CIV.

Æneus aper Caledonius.

Non est finis ulli populo. Eccles. 4. 12. Novitatis semper avidum est vulgus, regnantibus nunquàm non infestum, præsentium tædio, futurorum ambitu. Id aper ille Caledonius significabat, qui Constantinopoli erat in Hippico æneus, setis horrentibus & dentibus fulmineis Leonem invadens; cui conjux Alexii Comneni Euphrosyna magicis artibus dementata rostrum præcidit: At Isacius Angelus in imperium restitutus in magnum Palatium transtulit, sic plebem se in officio retenturos sperabant. Nicetas Choniat. in Alexio & Isacio l. 3. & 4. Annal.

Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit & odit,

Meritò igitur timet, qui timetur.

λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος,
Ne vulgo credas, varium & mutabile semper.

CV.

Vitreus globus præstigiatorum.

Non esse sapientum cibum, non prudentum divitias. Eccles. 9. 11. Quid ita? brutorum ergò & dormientibus

--- *per ventos assa columba venit?*

Refert Nicephorus Gregoras. l. 8. suâ tempestate venisse Constantinopolin præstigiatores Ægyptios, quorum aliquis vitreum globum in altum jactatum, relabentem, nunc digito uno, nunc cubito, nunc alio modo dextrè excipiebat. Vitreus globus Fortuna est, nàm ut est in Mimis

--- *cùm splendet, frangitur:*

hunc cœlo delabentem excipere prudenter summum ad felicitatem compendium est. Ita pilæ sparsivæ confert divitias S. Asterius homil. in Calend. Januar. quæ datatim ab alio ad alium transvolat, & ex arte excipi debet. Quomodò tali cadant bono eventui in manu est, sed artis est qualemcunque jactum bene disponere. Sensus itaque est dicti Salomonii: (quamvis aliqui Epicureis tribuant, omnia in casu ponentibus, & apud quos Fortuna utramque facit paginam) non solo consilio & prudentiâ niti debere nos, multum in fortunâ, *quam Philosophi nihil suâ vi posse, sed providentiæ ministram esse voluerunt.* Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16. Fallitur Juvenalis:

Nullum Numen abest, si sit prudentia: Sed Te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloq; locamus.

Quare

Quare fallitur? quia φρόνησις τύχης δεῖται, *Prudentia eget fortuna comite.* Plutarch.

CVI.

Vitrum ductile.

Septies cadit justus. Proverb. 24. 16. Fertur sub Tiberio Cæsare quendam artificem excogitâsse vitri temperamentum, ut flexibile esset & ductile. Qui cùm admissus esset ad Cæsarem, porrexit Phialam, quam ille indignatus in pavimentum projecit, (imò, ut ex Petronio refert Saresber. l. 4. Policrat. c. 5. Faber ut admirationem intuentium verteret in stuporem ipse se in pavimentũ projecit tanto impetu, ut nec constantissima & solidissima æris materia maneret illæsa) artifex autem sustulit phialam de pavimento, quæ complicaverat se, tanquam vas æneum, deinde malleum de sinu protulit & phialam correxit. Hoc facto Cæsar dixit artifici: Numquis alius scit hanc condituram vitrorum? Postquàm ille jurans negavit alterum hoc scire, jussit eum Cæsar decollari, ne, si hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur, & omnium metallorum pretia abstraherentur. Hæc Isidor. l. 15. Orig. c. 15. Mirus Faber est Deus Opt. Max. vasa Gratiæ, quæ præparavit ipse, sæpè quasi pessum daturus solo affligit, ut stupeat orbis, expavescant ipsa: *Nùm robur mihi lapideum? nùm caro mea chalybea?* tinnit quasi Sanctissimus Jobus, optatque *conteri & comminui.* cap. 6. vers. 9. 12. Sed expecta paulisper: refinget ille opus suum de pulvere suscitatum, quod ita temperavit, ut cadere

possit, perire non possit. *De operibus Dei non est judicandum ante Quintum Actum.*

Dextra Dei in melius vertere cuncta potest.

CVII.

Turris ferrea.

Nervus ferreus cervix tua. Esai. 48. 4. Turris ferrea apud inferos fingitur à Platone Poëtarum Virgil. 6. Æneid.

Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ,
Vis ut nulla virûm, non ipsi excindere ferro
Cœlicolæ valeant ---

Superbia est: *quam nec Divinus timor, nec humana virtus nec famæ verecundia revocare potest.* Fulgent. Placiad. de Virgil. Contin. Ejusdem imago est turris Babylonica, vide Hieron. Lauret. Sylv. Allegor. in Turris. Verè enim γιγαντία superbia, montes imponit montibus, --- *& cœlum territat armis.* Pectus habet ferreum --- *& rigido stant adamante fores!* Zachar. 7. 12.

At mihi magnoperè faber est invisus, in altum
Qui struit, adnitens superare jugum Oromedontis,
ut est apud Theocritum.

CVIII.

Ferri Messis.

Exspectavimus pacem & non est bonum. Jerem. 14. 19. Ferrum alicubi in Cypro seritur circa Tyrrhiam, aquaque perfusum crescit, ut meti & colligi possit. Aristot. in Mirab. Auscult.

ô Pa-

ô Patria! quàm larga ubique ferri seges est! Succrescitque indies ut irrigua herba! At tu Paci infensa turba,

--- fœcundum concute pectus
Disjice compositam Pacem, sere crimina belli!

Ferrum seris, ferrum metes! Gal. 6. 6.

--- authorem scelus
repetit, suoq; premitur exemplo nocens.

CIX.

Aurea Tantali Phiala.

Omnes in unum spiritum potati sumus. 1. Cor. 12. 13. vel ut apud Clement. Alexand. legitur: πάντες ἐνὶ πόματι ἐπίομεν. Habeant sibi Brachmanes auream illam Tantali phialem, cujus gratia Philostratus ait Apollonium suum latissimo Phison amne transmisso pervenisse ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo & de Tantali fonte potantem audiret, verba sunt Hieronymi in Prologo Bibl. ad Paulin. Nam apud Brachmanas fuit statua quadricubitalis Tantali subscriptione notata, quæ propinanti similes porrigebat phialam, plenam semper liquore incorruptibili, nunquàm tamē exundantem, è qua bibere solebant ante somnum, amicitię firmandę causa, cujus ferunt Tantalum fuisse studiosissimum. Nobis alius divinior calix est præbitore Christo Domino, crater Philothesius, in mutuam *charitatis contesserationem*, viaticum morientium, pharmacum immortalitatis; hic verè incorruptibilis liquor Sanguinis Dominici, semper abundans

nunquàm superfluus, quem effudit cor ejus in cruce

Testa quidem felix qua Vitæ fonte repleta,
Corpora nostra fovet, animas quoque pace quieta.

Petrus Blesens. de Eucharist. cap. 9.

CX.

Poculum Alexandri, & Vespasiani.

Calix in manu Domini. Psalm. 75. 7. plenus mero mærore, temeto tribulationum. Hauriendus tamen etiam cum gratiis, quia Poculum Regis, & Patris est. Magnus honor cum Rege bibere eodem poculo! Invitavit Macedonum aliquando Alexander novem millia, habitusque omnibus is est honor, ut de eo poculo biberent ex quo Rex propinasset. Arrianus lib. 7. de reb. gest. Alex. Vespasianus Aviæ Tertullæ, sub qua educatus fuerat, memoriam tantopere dilexit, ut solemnibus ac festis diebus poculo quoque ejus argenteo potare perseveraverit. Sueton. in Vespas. post pr. Nos bibere renuemus, undè priùs Rex & Pater?

--- Quid, vita, rependam
Pro vita tibi, Christe, mea? nisi fortè salutis
Accipiam calicem, quo te mea dextra propinet,
Ut sacro Mortis pretiosæ proluar haustu!

Paulin. in Natal. Felic. 9. ex Psalm. 116. 13.

CXI.

CXI.

Cœlum Babylonicum, aureæ aviculæ.

Quantò magnus es humiliare. Sirac. 3.20. Apud Babylonios porticus erat, in cœli effigiem extructa, & Sapphiro, quæ cœlestis coloris gemma est, incrustata; siderum instar habebant aureæ Deorum Babyloniorum imagines: ex testudine pendebant quatuor Iynges, motacillas aut torquillas vocatur Latini, quæ *Deorum Linguæ* dicebantur, significantes Adrasteam Nemesin, & monentes Regem, qui ex eo loco jus populis dabat, hominem sese meminens, ne supra conditionem se efferret. Philostratus l. 1. de Apollon. De cœlo Cosrois suprà dixi, nec absimilis fuit Constantinopolitanorum Impp. Sedes Augusta, in qua Legatos solebant audire,

Quatuor eximiis circumvallata columnis,
Quas super ex liquido præfulgens cymbius auro,
Immodico similans convexi climata Cœli,
Immortale caput, soliumque sedentis obumbrat.

ut depingit Corippus l. 3. in Justin. Min.

Dominare tumidus spiritus altos gere,
Sequitur superbos ultor à tergo Deus!

Alludit ad Cœlum Babylonicum Esa. c. 14. 12.

CXII.

Corona Ænea.

Non est pax impiis. Esa. 57. ult. Henricus VI. Imp. Tyrannum quendam qui Apuliæ &

 Sici-

Siciliæ regnum affectâsset, horrendo supplicio peremit, æneam ei coronam quatuor clavis infigens, habes, inquit, coronam quam venatus es, nemo tibi invidet, fruere desiderio tuo! Nicetas Chroniat. in Alex. Comn. lib. 2. Annal. vide Phil. Melanchth. lib. 4. Chronic. Talis est corona gloriæ & felicitatis impiorum, trabalibus clavis infixa, *plus fellis quàm mellis habet*! Talis Tyrannorum potentia! *Neque frustrà præstantissimus Sapientiæ* Socrates (apud Platon. de Repub. vide Lipsii comm.) *firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus: quandò ut corpora verberibus; ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Tacitus lib. 6. Annal. Οὐδὲν Τυράννου δειλότερον Plutarch. in Arato. Exemplum apud Valer. Flacc. lib. 1. v. 25. Pelias, cui

Non nulla quies animo, fratrique paventi
Progeniem, Divûmque minas;

apud Egesippum Herodes, *aliter se non putans esse securum, nisi deficeret genus humanum*, l. 1. Excid. cap. 40. Vide Nicetam in Manuel. l. 4.

CXIII.

Artemisiæ trophæum.

Curam habe de bono nomine. Sirac. 41, 16. Artemisia post Mausoli Regis sui mortem devictis Rhodiis trophæum in urbe Rhodo constituit, æneasque duas statuas fecit, unam Civitatis Rhodiorum, alteram suæ imaginis urbi illi stigma imponentis. Rhodii posteà religione impediti, *nefas enim erat trophæa dedicata removeri*, circa eum locum

locum ædificium extruxerunt & id erectâ Grajâ statione texerunt, ne quis adspicere posset, & id *abaton* vocari jusserunt. Ita Vitruvius l. 2. archit. c. 8. Bona fama tenerrima res est, semel læsa tegi fortassè, persanari non potest unquàm.

Obducas licet usque cutem, manet usque cicatrix,
Utque tegas semper vulnera, vulnus habent.

Meritò itaque cura habenda est, potior quàm divitiarum ut Sirach. indicat. l. c.

Si bonam mihi ser vasse famam, dives ero satis.

Plaut. in Mostellar. *Pecuniam si cuipiam ademit fortuna, aut si alicujus eripuit injuria, tamen dùm existimatio est integra, facilè consolatur honestas egestatem.* Cic. pro Quint.

CXIV.

Delphicæ statuæ.

Schema Mundi. 1. Cor. 7. 13. *Habitus mundi*, est apud Tertullian. & quasi externa persona, *vacua enim sunt omnia, quæ cernimus*, ut est inter opera Cyprian. de laud. Martyrii, σχῆμα, transitivè, *decipit* adspectu suo, fallit & seducit, sic enim Faber Stapul. & Alciat. in παρεργ. ut persona Tragica, quia juxta Petronium, *totus mundus agit histrioniam.* Brennus Gallos suos, corruptis Delphorum captivorum suffragiis, induxit ut statuas Delphicas, ferreas auro superficietenùs litas, ex puro puto auro crederent. & alacriùs spe predę dimicarent. Polyænus l. 7. Stratagem. Quid honor? opes? voluptas? ferrum auro allusum, qro quo mundus tantâ contentione dimicat! *Bene! bene! cùm quis*

aurum

aurum quærit, invenit gladium! S. Zeno ferm. 1. de Avarit.

CXV.

Dodonæum æs.

Pulsate & aperietur. Matth. 7. 7. Dodonæ fuerunt duæ columnæ; in altera pendebat ænea pelvis, in altera pensile pueri simulacrum, flagellum æneum manu tollentis, quo vento inspirante percussa pelvis ad moderatos ictus paulatim increpuit, rogantibus numeris ligata reddens responsa; at vehementius flante vento crebriùs & fortiùs icta diutinum & inconditum edebat tinnitum. Hinc Proverbium: τὸ ἐκ Δωδώνης χαλκεῖον, de loquacibus, vide Adagia Erasmi. *Oportet* igitur ἀφιλονείκως καὶ ἀφιλοτίμως, ut utar verbis Clementis Alex. κρούειν τὴν θύραν τῆς ἀληθείας l. 8. Stromat. *modeste & placidè pultare ostium veritatis:* nàm qui aliter faciunt εἰ τὴν ἄχρηστον ἐξάγοντες φλυαρίαν, ut idem ait, ut fit in Sophistarum Leschis, *hirundinum Musæa* dixeris;

--- Verborum tanta cadit vis
Tot pariter pelves tot tintinnabula dicas
Pulsari. Juvenal. Satyr. 6.
Nimiùm altercando veritas amittitur.

CXVI.

Æolipilæ æreæ.

Spiritu ferventes, Rom. 12. 11. Ad ignes flatu excitandos. *Fiunt*, ut docet Vitruvius, *Æolipilæ æreæ cavæ*, hæ habent punctum angustissimum

mum quo aqua infunditur, collocanturque ad ignem, & antequam calescant, non habent ullum spiritum, simul autem fervere cœperint, efficiunt ad ignem vehementem flatum lib. 1. cap. 6. Licet autem, ut eodem loquar, *artificiosis rerum inventionibus, divinitatis exprimere veritatem.* Aqua in Æolipilâ scientia est, & doctrina; sic enim sæpè quoque in mysticis Scripturæ vide Lauret. Silv. Alleg. in aqua: hæc ut feliciter influat, instillanda est quasi, nec oneranda infirmitas discentium. *Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus vel etiam instillatis complentur*, Quintil. lib. 1. Instit. cap. 3. At nisi fervor accedat à Divino igni, Spiritum aquæ istæ habent nullum. Vis ignem excitare; priùs ipse incalescas necesse est.

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus, si vis me flere dolendum est.

Vides quàm sine Zelo parum proficiat eruditio, sine conscientiâ, scientia? Omne in sanctè Docto & doctè Sancto *studiorum omnium culmen antevenit, quod habet eminenti scientiæ conscientiam superiorum*, ut cum Sidonio Apollin. loquar. l. 1. Epist. 9.

CXVII.

Draco æneus Sinensium.

Draco Magnus. Exech. 29. vers. 2. Rex Ægypti dicitur, & fit ad insigne ejus allusio, nàm Crocodilus Ægypti Typus fuit, ut ex numis antiquis apparet; vide Occon. A.U.C. 707. Richter. in

in præfat. Politic. *Draco* autem *aquatilis* Crocodilus multo elegantiùs dicitur in sacra lingua, quam apud Romanos Struthiocamelus *Passer marinus*, Elephas *Bos Luca*, Gryphes *Pici* qui aureos montes incolunt, Panthera *mures Africani*, Camelopardales *oves feræ* &c. cùm adhuc ftivam redoleret eorum lingua, ut Lipsius in Elect. Sed sunt Tyranni ejusmodi Dracones magni, insatiabiles, gentium damnis alti & educati, ut, juxta proverbium, *Serpens nisi serpentem edat, non fit Draco*. Sinensium Reges instituto barbarico, cùm legatos audituri sunt, includunt se in vasti serpentis simulacrum, audiuntque ex fenestella vitrea non visi ipsi, sic metum & majestatem sibi conciliaturi. Pigafet. l. 3. c. 2.

--- Sors ista Tyrannis
Convenit, invideant claris, fortesq; trucident,
Muniti gladiis vivant, septique venenis.
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.

Claudian. in IV. Consul. Honori.

CXVIII.

CHRISTUS Dn. N. in labaro: & alia.

Radix Jessæ vexillum populorum. Esa. 11: 10. ad quod omnes nempè confluant, quod venerentur & colant, sub quo fortiter dimicent, undé LXX. *consurget, ut si Princeps gentium.* Nàm ut est in Senecæ Thebaide:

--- aurea clarum nota
Nomen Ducum vexilla præscriptum ferunt.

Nec

Nec ea, apud Gentes, Romanos inprimis, aliter culta, quàm si Imperator ipse adesset, cujus erant signa, de quo multa Alex. l. 4. c. 2. & ibid. Tiraquell. ut alios taceam. Hinc mos ortus ut Christi Domini Nomen à Christianis Impp. signis inscriberetur, sic, ut litera P. X. medium à summo dissecaret, in velo purpureo, cujus hastile transversum cornu habebat instar Crucis, Eusebius l. 1. de vit. Const. c. 25. &c.

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Prudent. 1. adv. Symmach. Bene, nàm & in Clypeis olim Impp. mox Domini nostri Nomen inscriptum. Prius ostendit Lipsius in Notis ad Tacit. pag. 37. posterius Notitia Imperii, ubi crux salutaris in præcipuis scutorum signis est, quibus Legionarii inter se discernebantur. Sic insigne Thebeorum secundæ Valentis, fuit in clypeo albo, crux rubra, quasi Christi sanguine purpurans, in cujus medio erat pelta, scutum breve & Lunatum, quomodò apud Virgilium:

--- *Amazonidum Lunatis agmina peltis:*

rubri quoque coloris, aureo globulo inserto, subtùs hinc indè quiescebant duo Tauri. Scutum fortissimum nomen Domini, nulla orbem meliùs tuebitur parma, quàm crux Salvatoris, sub quâ etiam ipsi orbis præsides, per Tauros significati ut Deut. 33. 17. tutissimi recumbunt. v. Pancirol. ibid.

Nil desperandum Christo Duce & auspice Christo.

LXIX.

CXIX.

Labarum Juliani.

Per me reges regnant. Proverb. 8. 16. Id Apostata sed minùs feliciter indicabat, cùm Jovem pingi curaret in suo labaro, de cœlo purpuram & coronam deferentem, Martemque & Mercurium se respicientes. vide Cuspin. in ejus vitâ. Nempè: *Omnem potestatem à DEO esse, & qui non legerunt, sentiunt; & qui legernnt, cognoscunt.* Orosius l. 2. adv. Pagan. c. 1. Enim verò Ausonio teste,

Bellandi fandique potens Augustus honorem
Bis meret, ut geminet titulos, qui prælia Musis
Temperát & Geticum moderatur Apolline Martem.

Sic T. Calphurnius de Imperatore, Diocletiano fortè, aut quisquis fuit, Eclog. 7. in fine:

--- *nisi me decepit visus, in uno*
Et Martis vultus & Apollinis esse putavi.

CXX.

Oscillatio ludus, larva argentea.

Vidi servos in equis sublimes, & principes ire pedestres. Eccles. Salom. 10. 4. Errore male imperantium, qui nulli Principum favent,

--- *Super ipsius ingens*
Justat fama viri, Virtusq; haud læta Tyranno.

Valer. Flacc. l. 1. maximos itaq; honores ad infimos devolvunt homines, & sui similes ut supra vul-

vulgus suum emineant. Sed quoque Dei talis ludus est in hoc mundo. Ita ille quasi pilas habet homines, & humana omnia fingit, arratque utlubet. *Oscillatio*, Ludus erat apud veteres: erant autem *oscilla* imagunculæ, ex XIV. figuris Geometricis factæ, quæ variis vertibularum coagmentis, mille formarum species simulabant, homines & feras, res animatas & inanimes, ut alius alio scientiùs variegebat. Ausonius in præf. Centon. Virgil. Ejusmodi oscillum fuit *larva Trimalchionis argentea*, quæ in mensam abjecta, articulis, vertebrisque suis in omnem partem mobilibus, varias figuras exprimebat. Petron. in Satyr. θεῶν παίγνια ἄνθρωποι. Bene Theophilus Philosophus apud Fulgentium: Μῖμος ὁ βίος. *Sceptrum & chlamydem cui fabulæ assignant in scenâ, is cothurnatus & elatus cùm exierit excalceatur*, Seneca Epist. 76. Ita fit in vitâ.

CXXI.

Neurospasta simulachra.

Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; Rom. 6. vers. 12. 13. De Oscillis scribenti Neurospasta in mentem venêre. Erant automata, quæ adductis fidiculis membra modò hæc, modò illa venustè motitabant. Qui hoc ludicrum exercebant Neurospastæ dicti, si filum membri, quod agitare vellent, traxissent, torquebatur cervix, nutabat caput, oculi vibrabant, manus ad ministerium præstò erant, ut tota viderentur vivere. Apulejus & antè Aristotel. ut creditur, de

Mundo. Ita peccatum, illud in irregenitis regnans, ludos facit, omnia eorum membra ad nutum regens, & occultis suis quasi fidiculis trahens, ut nihil sint aliud, nisi mortua hominum simulacra, flagitiorum verè *ancillarioli*, ut cùm Senecâ dicam l. 1. de Benefic. cap. 9. Ejusmodi homuncio, etiamsi Rex sit

--- servit miser atque
Ducitur ut nervis alienis mobile lignum.

Horat. l. 2. Satyr. 7.

CXXII.

Persarum regium sigillum.

Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter! Jerem. 48. 10. Sigillum Persicum habebat imaginem Rhodogunes Reginæ, Semiramidis puta, disjectis capitis crinibus. Poliænus lib. 8. Strategem. ita enim capillis nondùm in ordinem compositis de rebellibus Babyloniis, cùm famam accepisset, vindictam exegit, quo ei habitu quoq; statua Babylone posita est. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 3. Monet celeritate opus esse in bello. Μηδὲν ἀναβαλλόμενος,

Tolle moras, nocuit semper differre paratis.

Vel: Manifestis flagitiis confestim eundem esse obviam, ne contagio in plures serpat.

--- tutiùs ergò
Anteire auxiliis, & primas vincere causas.

Gratius de Venat. Nàm ut ex serpentibus & viperis aliisque venenatis concisis antidotum & Theriaca conficitur adversùs venena: Sic decet im-

improbos & δολωῤῥάφους concidere in commune remedium, ait Tzezes Chiliad. 8. v. 923. νόσους ἰᾶται ἰατρὸς, ἀφροσύνην θάνατος, *morbos medicus sanat, sceleratum mentem Mors sola*, Phalaris in Epistol.

CXXIII.

Parma Antæi.

Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat. Sirac. 13. 2, Honestus verò vulgato hîc & alibi, qui propter opes & potentiam aliis honoratus. *Paupertas & honestas utraque à DEO.* Sirac. cap. 11. &c. Onus verè grande, & humiliorum humeris intolerandum, amicitia potentum, & verbo *Parma* quasi *Antæi*, quæ apud Tingitanos ostensa olim, signum urbis suæ ab isto conditæ, ut Pompon. Mela prodidit in Mauritan. lib. 1. cap. 4. Erat autem elephantino tergore exsecto ingens, & ob magnitudinem nulli nunc usuro habilis, quam locorum accolæ ab Antæo gestatam pro vero habent, traduntque & indè eximiè colunt. Talis est infida cum Potente societas grandis, culta à multis, sed nulli usuro habilis, onus non honos, pondus ad ferendum gravissimum, ubi auxilio opus est *levius plumâ & cuniculi capillulo.* Clypeus est qualis ille Democriti, quem constituit contra exortum Hyperionis, & ita radiis Solis aciem sibi effodit luminis, ut Laberius scripsit, de quo alibi jam dictum.

Usibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge!

Viv tibi; quantumque potes prælustria vita;
Sœvum prælustri fulmen ab arce venit.

CXXIV.

Sepulchra Parentum.

Certare super semel traditâ sanctâ Fide! Judæ Epist. v. 3. Scythæ Dario inertiam exprobranti, quasi bellum declinarent, responderunt: tùm ipsum cogniturum animos Scytharum, cùm ad Parentum suorum sepulchra venissent, pro iis enim se usq; ad mortem esse præliaturos, Valer. Max. l. 5. c. 4. Sepulchra Parentum libri sunt Apostolorum, qui nos per fidem Deo genuerunt. Themistius; *Animam ego*, inquit, *Sapientis hominis illius Sapientiam esse arbitror, ac mentem & sermonem: Sepulchra verò ejusmodi animarum libros ac scripta, in quibus tanquàm in monumentis recondita eorum reliquiæ servantur,* Orat. 13. Pro his nos πὺξ οὐκ καὶ λὰξ pugnare decet, & si opus sit, sacris Fidei & Patientiæ

-- pugnando prognariter armis animam,

ut ait Ennius *de corpore mittere.* Agasicles Philophanem audire noluit, quod quorum, non esset filius, eorum nollet esse discipulus. Plutarch. in apophth. Lacon. Facit huc dictum R. Matthiæ Ben Horeschi, qui scitè dictitabat: *Esto cauda Leonum, non esto cauda vulpium.*

CXXV.

CXXV.

Sepulchrum Cadmi & Harmoniæ.

In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi, 2. Corinth. 10. ut ne pugnet, adversetur, quod cùm sit certissimæ pestis indicium est, ut cùm Cadmi & Harmoniæ sepulchrum in Illyrico mutuo conflictu mala omnia portendit.

Cernitur hic tumulus, qui Cadmi dicitur esse
Harmoniæque simul, namque hic serpentibus illi
Corpora post tempus longum mutâsse feruntur,
In senio, postquam Patriam Thebasque relinquunt.
Hinc illos aliud posuerunt numina monstrum,
Namque duo tumuli concurrunt peste futurâ,
Significant quoties sævissima damna Colonis.

Priscian. ex Dionys. Afro de situ orbis. Sepulchrum Cadmi quid est nisi prisca illa & originalis Sapientia, authore ipso DEO antiquissimo dierum ad homines profecta? Ut Cadmi nomen videatur esse à *Kedem* deductum, à quo Academia. Hæc sic cum Harmoniâ id est cum recta Ratione, quod sine prodigio quasi fieri nequit, nàm ut verum vero, sic recta Ratio cum Fide semper consonat & concordat, concurrat, & confligat, quam pestem, quanta damna ferat, nemo nescit. Nàm ut Sol Lunam non extinguit, sed suo lumine auget & venustat, cùm per se Luna non nisi exile habeat; meritoque inter ostenta est relatum, *Solem visum esse*

cum Lunâ pugnare, Hartmann. Schedel. in Chron. Norib. apud. Wolff. anno. 1494. Cent. XV. Ita profectò Fides rectam rationem non tollit, sed sanat, illuminat, dirigit, & si pugna sit, jam ostentum est, & monstrum, futuræ in populo Dei pestis præsagium & origo. Patiatur itaque se hæc ab illa regi, & deferat

--- *Submissis fascibus imperium.*

Tunc enim recta est cùm regitur, tunc ratio cùm contra datorem satoremque Deum non insanit. *Licet supereminens claritas Divinæ fertilitati, nimiâ subtilitate abdita sit, nec humanis omninò subjaceat inquisitionibus, tamen quia eadem argumenta maximis minimisque causis conveniunt, non ex toto ipsa se subtrahit nostris demonstrationibus*, ait Hugo Eterianus lib. 3. adv. Græcos præfat. *Veruntamen*, addit, *spuria vitulamina hujusce acuminis præcidenda sunt proprietatis circumscriptione, quâ cognoscuntur aliena.*

CXXVI.

Silenii Alcibiadæi.

Homo exterior & interior. 2. Corinth. 4. 16. Nihil ad explicationem hujus mysterii venustius, quàm quod de Silenis imagunculis Proverbio dicitur; Sileni Alcibiadis, de quo vide Erasmum. Nam Athenis *οἱ δημιουργοὶ* Venerem & Gratias & ejusmodi alia pulcherrima Deorum simulacra solebant Silenorum & Satyrorum statuis quasi amicire, & sic *πρόσωπον θεῖον ὑπὸ φαυλοτέρῳ σχήματι* occultare, ut foris quidem ventrosus quidam & deformis senex, talis enim

erat

erat Silenus, vel proverbio attestante, τῶν Σειλήνων αἰσχίων *turpior Silenis*, appareret, intùs verò pulcherrima numinis alicujus imago exhiberetur. Tali Sileno confert Alcibiades Socratem, nos multò rectiùs Christianum, in quo sub turpissimo schemate hominis externi, peccato corrupti & quotidiè corrumpendi per renovationem, intùs homo novus, imago DEI, occultatur, de die in diem formosior apparens. Sic S. Macarius hom. 43. confert eundem βαλαντίῳ σαπρῷ πεπληρωμένῳ μαργαριτῶν *marsupio putri margaritis referto*, nàm secundùm exteriorem hominem humilis & despectus, in interiore continet τὸν πολύτιμον μαργαρίτην *pretiosam margaritam*, illam de quâ apud S. Matth. cap. 13. vers. 45. de Silenis quæ dixi, habet Synesius Epistol. 154.

CXXVII.

Statua Memnonia.

Labia mea aperies & os meum annunciabit laudem tuam. Psalm. 51. 16. Apud Thebanos Ægyptios celeberrimum fuit olim Memnonis monumentum, quem ex Æthiopia ajunt Trojanis venisse auxilio. Fuit id statua ex nigro lapide, quamvis Zezes dicat πυῤῥοποίκιλον fuisse, hominis impubis, ita sedentis quasi consurgere jàm velit, oculiq; & labia sic sunt, quasi sermonem conari videantur. At radio Solis, quod fit cùm exoritur sidus istud in os incidente sonum quendam, artibus Magicis, edit dulcem,

quasi salutet salutare lumen, cui etiam assurgere videtur, oculisque hilaribus de adventu gratulari. Sic Suidas Zezes addit histor. 64. Chiliad. 6. pag. 110. interdiu, velut lætetur de Matris Auroræ præsentiâ, χαρμόσυνον πέμπειν μέλος, noctu contrà γοερὸν ᾄδειν. Ita fit; cùm bona Mens mole malorum obruta, magis muta est quàm statua, si primoribus modò labris radius incidat à summo illo Sole, exultabit & in hymnum erumpet ad Dei laudem. Hoc est quod ait Rex Psaltes: *Ad vesperum demorabitur fletus ad matutinum lætitia!* Psalm. 30. v. 6. adde v. 9. & Psalm. 40. v. 1. 4. Expertus est S. Bernhardus, qui roganti, undè præsentiam Verbi gratiosam, deprehendat? *Vivum*, inquit, *& efficax est: Mox ut intùs venit expergefecit dormitantem animam meam* &c. *Cœpit quoque evellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare frigida inflammare, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus!* Serm. 74. in Cant. Hæc matutina fuit Bernhardi lætitia, fletum vespertinum quoque accipere: *Dominus declinavit in irâ à servo suo, hinc ista sterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior. Non compungi ad lacrymas queo, non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi est illa inebriatio spiritus? ubi mentis serenitas, & gaudium, & pax in Spiritu Sancto?* Serm. 54. ibid.

CXXIII.

CXXVIII.

Scyphus Josephi auguralis.

Ignis probat ferrum durum; Vinum corda. Sir. 31. v. 30. Ex calicibus divinare veterum fuit superstitio, species Hydromantias de quâ Delrius lib. 4. Disq. Mag. cap. 2. q. 6. sect. 3. Talem se Divinum simulat castissimus Josephus, ut personam, quam ex vulgi & fratrum opinione acceperat, prudenter quamvis joco, sustineret. Sic enim rectè explicant locum Genes. 44. v. 5. & 15. Augustin. D. Lutherus & alii. Sic ex vino licet augurari, qualis cujusque sit animus. *In vino veritas*, ajunt, *& quid in corde sobrii, id est in linguâ ebrii.* Quare ut canit Horatius ad Pisones:

Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitiâ dignus?

Quod Agathoclea fecisse memorat Diodorus Siculus, ut quo quisq; erga se esset animo exploraret, *Vino veritatem citra velamentum prodente.* l. 20. Hinc cum Siracide consentiens Theognis (nisi mavis hanc ipsam sententiam ex Theognide velut flosculum sacro Siracidæ serto aptatam, ut alias aliorum multas) ait:

Igne aurum argentumque solent dignoscere Fabri,
Sed qui sint homines, vina recepta probant.

CXXIX.

Poculum Herculis.

Vita animæ & corporis vinum modicum. Sir. 31. 36.

31. 36. *Scyphus* Herculis poculum est, ut Liberi patris *cantharus*. Herculem verò veteres fictores non sine causa cum Poculo fecerunt: non solùm quod is Heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quod antiqua historia est, *Herculem poculo tanquàm navigio ventis immensa maria transisse*. Macrobius l. 5. Saturn. cap. 21. Vino moderatè sumpto non corporis modò sed & animi vires excitantur. Ita fertur

--- magni Catonis
Sæpè mero caluisse virtus.

Qua de causa Amyclæ, de quibus Proverbium apud Catull. in Pervigil.

--- Amyclas perdidit silentium;

Bacchum coluêre aligerum, quod animo quasi pennas faciat, & ingenium evehat, uti se alites pennis. Pausan. in Laconic. *Fomes & incitabulum ingenii Virtutisque si mens & corpus hominis in vino flagret*, Platonis apud Macrobium est l. 2. c. 8. Itaque ut Herculi sic Poëtis quoque pro navi est vinum, pro Cymba, Cymbium.

Magnus equus lepido vinum Geniale Poëtæ,
Potator undæ nil potest parere boni.

Niceratus apud Erasm. in Adag. *Aquam bibens nil boni parit.*

CXXX.

Poculis sal inditum.

Vino qui delectatur non gerit sapiens. Proverb. 20. 1. Moris erat olim ut convivis Gryphi id est ζητημάτων κύλικεια proponerentur, quæ qui

non

non poterat solvere, eum salsum poculum ebibere oportebat, quod in hunc finem circumferebatur, & quidem manibus in tergum rejectis ἕλκειν ἀπνευστὶ educere sine respiratione. Refert ex Antiphanis Ganymede Athenæus l. 10. extremo. Monebant veteres vinum esse bibendum *cum grano salis*, quod ajunt. *Salem apponito*, vetus verbum est, prudentiam modum in rebus omnibus adhibendum indicans. Quod nisi fiat, *Vinum sapientiam* omnem expectorat, vel ut eum Eubulo dicit Plinius, *obumbrat*, --- vitiis alimenta ministrat, libidini inprimis, ut & Iracundiæ, stultæque simplicitati prodigæ arcanorum &c. Hinc caper in Poculis cælatus, *stat caper in Phialâ*, Martialis ait, & Juvenalis commemorat

--- *Stantem extra pocula caprum*;

quia lascivos facit *Vinum* quod *Veneris lac* vocavit Aristophanes. De quo Sirac. cap. 9. 12. 13. Hinc Baccho cornua addita, undè ejus epithetha, ταυρόμορφος, ταυροκέφαλος & apud Orpheum βούκερως, ut apud Latinos *Corniger* & *Bicorniger*, mosq; ut ex cornibus biberetur, de quo Langius l. 1. Epist. Medic. 29. Stukius in conviv. alii. Etenim

-- *tunc pauper cornua sumit. Vina parant animos.* vide Proverb. 23. 29. Hinc Pica avis loquax Baccho consecrata, quia *nullum secretum est, ubi regnat ebrietas* Proverb. 31. 4. *Nàm quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* ait Ambrosius de Elia & Jejun. cap. 17. addit: *Plerique vino utuntur ut equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut Patriæ statum,*

salu-

salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. De quo paulò antè. Nota sunt exempla Crassi apud Dion. l. 51. & Bonosi apud Vopiscum, &c. Sal ergò vino apponendum. *Sapientis Viri super mensam celebre dictum est: Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.* Apulejus 4. Florid.

CXXXI.

Poculum saluberrimum.

Calix Salutis. Psalm. 116. 4. ad literam, ut rectè & breviter ibi docet Jansenius, intelligitur poculum, quod in convivio gratulatorio coram Deo apud Judæos bibi cum lætitia, addo & benedictione atque Gratiarum actione, solebat. De quo Constant. L' Empereur. Vir Clar. in Middoth. cap. 2. sect. 6. *Calix*, inquit, *cujus Psaltes meminit, erat calix Gratiarum actionis, usitatissimus apud Judæos: siquidem moris fuit inter eos, ut in quotidianis etiam mensis DEO benedicentes biberent,* (de quo in Barochot & meminit Buxtorff. in Synagogâ) *quantò magis ubi Eucharisticis sacrificiis vescerentur?* Nempè post celebratum sacrificium, in atrio Templi, & quasi præsente Domino, qui populum suum eo dignatus erat honore, ut quasi ὁμοτράπεζον καὶ ὁμοδίαιτον haberet. Imitati sunt, ut alia multa pagani, qui in conviviis suis sacris in Idoliis celebratis carchesia priùs ter Diis suis libantes, aliquid effundebant, deindè, ut habet Horatius.

Explicuére mero contractæ seria frontis.

Nec absimile erat poculum quod vocabant, ἀγα-

θεῦ Δαίμον⊕, post epulas circumlatum cum gratiarum actione. Mysticè verò alii Davidem loqui putant *de calice Passionis*, qui Domino ita ordinante, non in sacco modò Benjamin Gen. 44. aut S. Pauli, *qui inventum etiam in suo sacco fatetur cùm ait: Ego stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto!* Galat. 6. Prosper. Promiss. & Prædict. p. 1. cap. 31. sed & omnium fidelium reperitur; alii *de calice illo* εὐλογίας *Eucharistico*, 1. Corinth. 10. 16. Apud Indos circa Hyphasidem ajunt pasci onagros Monocerotas, ex quorum Cornibus, habent autem singuli unum in fronte, pocula fiant regia, saluberrimi usus, nàm qui ex tali biberint nullis venenis lædi, ex igne incolumes egredi, & si vulnerati fuerint non dolere feruntur. Ælian. hist. anim. lib. 3. cap. 41. & alii, Philostratus lib. 3. non procul à principio, fert Apollonium credulitatem & ampullas Indorum de tàm salutari cornu deridiculo habuisse! *Credam*, inquit Damidi sciscitanti, an fidem haberet Indorum fabulis de tàm pretioso poculo? *Si Regem immortalem intellexero.* At Calix salutaris Domini verè immortales facit, dolorum pausam inducit, in igne & aquis transeuntes tuetur illæsos Esa. 43. 2. 3. ut qui ex eo bibunt verè dicant:

O turtuose serpens.
Discede, Christus hìc est!
Hìc Christus est, liquesce!

Christi immortalem sanguine bibimus, nostro sanguini Christi sanguis adjunctus est; hoc est salutare remedium scelerum tuorum! quod id die afficiat, à

Deo

Dei plebe mortiferum virus excludit, ut ait Julius Firmicus de errore profan Relig. Accedit quod Filius Dei *Monoceroti* confertus Num. 23. v. 22. de quo fortè alibi. Ergò, ut S. Remigius calici suo inscribi curavit Eucharistico;

Hauriat hinc populus viam de sanguine sacro:
Inflicto æternus quem fudit vulnere Christus!

CXXXII.

In poculis specula.

Ne intuearis vinum splendens in vitro, Proverb. 23. v. 31. Quid ergò? Te ipsum in fundo, ut maturè advertas quàm soleat homines reddere deformes, & caveas. Hunc in finem puto jam olim *pocula ita figurantur, expulsis intùs crebris ceu speculis, ut vel uno intuente, populus totidem imaginum fiat*. Plin. l. 33. c. 9. Nàm si, ut Anacharsis censuit apud Laërtium, ad præcavendam ebrietatem nihil salubrius, quàm si quis ebriosorum imaginem animo suo circumferat; quidni salubre erit se ipsum intueri, antequàm vino succumbat animus?

--- *aut semel icto*
Accedat fervor capiti, numerusque lucernis?

Horat. l. 2. Satyr. 1. Ita Spartani liberis suis ad ebrietatis detestationem servos suos Heilotas deridendos propinabant, mentem multo mero saucios, & in omnem turpitudinem provolutos, ut solent ebrii ludos dare

Cum redeunt, titubant, & sunt spectacula vulgi.

Ovid. 3. Fastor. Plato certè ebriis, Laërtio teste l. 3. consuluisse legitur, ut in speculo se studiosè in-

ntuerentur. Et *quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit adspexisse speculum*, apud Senecam de Ira l. 2. c. 36. cui tamen hoc consilium supervacaneum videtur. *Iratis quidem nulla est formosior effigies, quàm atrox & horrida, qualesque esse, etiam videri volunt.*

CXXXIII.
Speculum Heræ Megapolitanæ.

Videmus nunc per speculum. 1. Corinth. 13. 12. Apud Arcadas in Templo Heræ, quod fuit Megapoli, in pariete visebatur speculum mirum, in quo Deorum quidem signa, quæ in Templo erant, & solium ipsum resplendebant, sed aliorum intuentium nulla resultabat imago. Pausanias in Arcadic. At Sacra Scriptura speculum est perfectissimum non Dei modo sed & nostri nobis imaginem exhibens, quod nulla alia possunt specula neque uda, neque suda. Lais anus Veneri speculum suum dicat, ex more, sic enim Virgines Virginitati renunciaturæ Veneri Erycinæ pupas donabant; Sic bullam auream, quàm de collo suspensam ferebant, Laribus adolescentes cùm in Ephebos transscriberentur; Sic naufragi soliti

—. suspendisse potenti
Vestimenta maris DEO;

Sic Timon Luciani aurea quasi virgula dives factus Rhenonem suum & ligonem Pani consecrat: &c. Ita ergò Lais quoque quòd speculo uti jam nollet, aut non posset,

quia

--- *quia cernere talem*

Qualis sum nolo, quales eram nequeo.

inquit apud Ausonium in Epigr. Enim verò speculum verbi Divini omnimodis nos nobis ostentat, quales ante lapsum fuerimus, quales per peccatum evaserimus, & quales per regnerationem fieri debeamus? ut scitè docet Oecumen. in c. 1. Jacobi v. 23. 24. de quo in vindemiolis Biblicis alibi. Deniq; in omni speculo falsa apparet imago, quia ea quæ dextra sunt, in speculo fiunt sinistra, & quæ sinistra, dextra. Ita

Apparet mendax illimini fonte figura:

At *Speculum veritatis nemini blanditur nullum seducit.* Bernhard. serm. 1. de VII. Panib. Plura ubi locum Jacobi explano c. 1. in Vindem. & in Tab. Oeconom. mea.

CXXXIV.

Speculum Smyrnæum.

Invidiæ pedisequa calumnia. 1. Petr. 2. 1. Invidus oculus similis est speculo quod Smyrnæ fuit, cujus ut monstrifici meminit Plinius l. 33. cit. nàm & pulcherrimos ita repræsentabat ut horribiles viderentur. Oculus *naturæ speculum est*, ut speculum *oculus quasi artis*. Sed livido oculo nihil monstrosius! ex suo ingenio alios judicant invidi; ut arquatis omnia videtur lutea, ita illis omnia prava, ita enim reddunt non ut sunt ipsa sed ut ipsi, *eumq; innocentiam destruere atque expugnare non valeant, satis habent famâ mendacii & falsorum ore maculas inspergere:* Cyprian. ad Cornel. l. 2. Ep. 10

Sanda-

ſandalium, quod ajunt, Veneris reprehendere audent, atque alabaſtra unguentis plena putere putant

--- *amaracinum fugitat Sus & timet omne unguentum,*

Nec mirum, quia oculus livore ſuffuſus, non poteſt rem cernere uti eſt. *Quia acier noſtra in humido labitur, nec apprehendere, quod vult, fideliter poteſt.* Seneca l. 1. qq Nat. cap. 1. Τὰς εὐνοίας ait Synesius Epiſt. 1. δεινὰς διαφθεῖραι τὰς ψήφους, *nihil magis corrumpere judicium benevolentiâ*, excipio Malevolentiam: illa etiam turpicula pingit, ut placere poſſint; hæc pulcherrima adeò devenuſtat ut turpiſſima videri queant. Invidi, ait S. Zeno ex Baſilio ſerm. de Livore, *ſobrium, acerbum dicunt, juſtum, crudelem: Prudentem, callidum vocant, liberum, arrogantem criminantur, liberalem verò luxurioſum dicunt, parcum, avarum nominant: Omnes prorsùs virtutum ſpecies decolorare contrariis & à malitiâ aſſumptis appellationibus geſtiunt.*

CXXXV.

Specula dentibus hebetata.

Dentes ejus lacte candidiores. Geneſ. 49. 12. vide Cantic. 4. v. 2. Dentes Chriſti & Eccleſiæ Doctores ſunt, qui verbum veritatis ὀρθοτομοῦντες 2. Tim. 2. 15.

Quicquid habent, tribuunt, ſibi nulla caduca relinquunt,

ut canit in Cant. Wilramus, quærunt enim non ſua, ſed Chriſti. Hos decet eſſe candidos, ne verbum Dei obnubilent, ne teneros Eccleſiæ co-

Ee lum-

lumbulos enecent. *Hominum dentibus inest quoddam virus: namq; & speculi nitorem ex adverso nudati hebetant, & columbarum fœtus implumes necant.* Plinius l. 11. cap. 37. Experitur id virus non illud modò S. Scripturæ speculum, sed & arctissima necessitudo quæ inter virum & uxorem est, interq; amicos trabali quasi clavo connexos. Quid est amicitia, nisi speculum, in quo videri potest, *Alter ego?* undè Siracides reconciliatum ex inimico amicum *speculo æreo terso* comparat, quod semper iterum æruginat. c. 12. 20. Æra enim extersa celeriùs rubiginem trahunt, quàm neglecta, nisi oleo perungantur. Plin. l. 34. c. 9. & Plutarchus venustè docet, uxorem similem debere speculo esse, in quo non quæritur, an auro & gemmis sit exornatum, sed an rem objectam verè repercutiat? & ut illud vitiosum est speculum, quod tetricum vultum exhibet quasi renideat; aut lætum, quasi ringatur: Ita uxor illa nihili est, quæ non juxta viri instar mores suos componit. In Conjugial. Præcept. Hæc tamen specula quàm sæpe livido dente hebetantur? nitoremque suum perdunt? *Nam susurronum lingua* quid non efficit? quàm *sæpè pacificos turbavit!* ut docet Sir. 28. 14. 15. 16.

Quâ fingente nefas Pyladen odisset Orestes,
Dissereretque suum Thesea Pyrithous.

Sunt ea de re scitissimi versus Gregor. Naz. εἰς τὴν ἐν νησείαις σιωπήν, quos ita Latinos facio:

Sæpè domos domibus committere & urbibus urbes
Confestim ac nullo lingua labore potest,

Tam

Tam citò principibus populos,populisque Regentes;
Quam vapor in cannis flagrat arundineis.
Illa Patres,natos,atque nomina sacra,
Mutua mox,ubi vult,armat in exitia &c.

CXXXVI.

Specula ustoria.

Satagite immaculati & inviolati inveniri in pace. 2. Petri 3. 14. cùm nempè Dominus revertetur judicaturus omnem carnem in flammâ ignis. Specula fiunt cava ustoria, qualia fecit Proclus Mathematicus insignis, Vitaliano Thrace Constantinopolin obsidente,quibus in muris contra classem hostis suspensis, cum radii solares impegissent, tanta erupit vis ignium, ut naves cum classiariis militibus incenderit, Zonaras, Evagrius & alii. Fecit & olim, ac de totâ speculorum ratione scripsit *ingenti volumine Archimedes Syracusanus,vir in omni quidem Geometriâ multùm ante alios admirabili subtilitate*, ait Apulejus Apolog. 1. Sed id mirum,aliorum colorum materias facilè flammas concipere,candidissimas non nisi multo Sole, & longo tempore, ut author est Bodinus l. 4. Theat. Nat. Ita cũ impios ignis ille irę,quo mundus& mundana omnia in cinerem ibunt & in nihilum succendet,ignis à facie Domini erumpens *qui limpidissimum Divinæ virtutis speculum est*, Sap. 7 26. quanquàm veterum quorundam sententia fuit, omnes illo eliquandos esse, vel ut cùm Ambrosio dicam,*baptisandos,et si,aliquis ut Petrus sit,ut Johannes* &c. in Ps. 118. tamen candidæ mentes,

& jàm hic, dùm in carne viverent, à vitiorum sordibus Dominico sanguine emundatæ, transibunt intactæ, obviam factæ Deo Judici in nubibus. *Hi qui Temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluvium igneum, & vada ferventibus globis horrenda transibunt; quanta fuerit peccati materia, tanta & transeundi mora.* August. l. 50 hom. 16. Opinio ab Origene traducta nulli solido innixa, imò ideò suspecta meritò, quia errori manifestario implicita, de salute omnium Christianorum, quamvis quis sit

Per multa sæpè devolutus crimina,
Tamen fidei nomen æternum gerens
Nunquam salutis exulabit finibus: &c.

Paulinus in Psalm. 1. Quippè, inquit,

Qui concremanda gesserit, damnum feret,
Sed ipse salvus evolabit ignibus:
Tamen subusti corporis signis miser,
Vitam tenebit, non tenebit gloriam!

Quæ in Theologicis, in Loco de Purgatorio, & ad explicationem dicti Apostolici 1. Cor. 3. 13. suum habebunt usum. Mihi aliquis autem vellit & admonet: *Hoc age!*

CXXXVII.

Annulus pretiosissimus.

Doctrina Sapientiæ auro potior. Proverb. 8. 10. Nonii Senatoris annulus, inclusam habens gemmam XX. millibus, id est integro auri millione, taxatam, famâ celebratissimus fuit. Opalus fuit gemma, cui generi pretiosissima, ut docet Plinius, gloria. Est enim in iis carbunculi tenuior

ignis

ignis,& amethysti fulgens purpura,estSmaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixturâ lucentia. Propter hanc proscriptus Nonius ab Antonio,& fugiẽs solum hunc annulum è fortunis suis omnibus abstulit secum, mirâ contumaciâ,cùm etiam feræ abrosas partes corporis relinquant, propter quas se periclitari sciant. Plin. lib. 37. cap. 6. Lubet exclamare! Si tanti vitrum, quanti margaritum? Nàm *lapillos istos qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter quam lapillos & calculos, ejusdem terræ minutalia?* Tertull. de Habitu Mulieb. cap. 6. Quantò his pretiosior Sapientia? in quâ verè omnia sita sunt, ut Stilpon Megarensis, captâ Patriâ, amissis liberis, amissá uxore, cùm ex incendio publico solus & tamen beatus exiret, rectè dixerit Demetrio Regi; *Omnia bona mea mecum sunt.* Seneca in Epist. 9, Quidni? secum abstulerat annulum, in cujus palâ Opalum Sapientiæ incluserat, omni auro & supra terram egesto,& infra condito contrachartam.

--- Virtus pretiosior auro,
Per quam præclarum plus micat ingenium.

Corn. Gallus Eleg. 1,

C XXXVIII.

Annulus Salomonis.

Signati Spiritu sancto, Ephes. 1. 13. Qui & arrhabo est nostræ hæreditatis, v. 14. & Spiritus Sapientiæ v. 17. Annulum Sapientiæ fertur habuisse Salomon,quem cùm meretrices amasiæ ejus in Jordanem abjecissent, evenisse, ut Sapientissimus

Regum non magis saperet, quàm occisa sus: sed cùm in pisce posteà repertus & redditus esset, resipuisse. Refert ex Pinedâ l. 3. de Reb. Salomon. cap. 29. Cornel. à Lap. in cap. 2. Hagg. vers. 24. *Meretrix est hæc vita, quæ in delitiis & voluptatibus transigitur, eaq; turpissima, & multos tamen decipit:* ait Chrysost. hom. quod nemo lædatur nisi à se ipso, verè! *Nam quid tam meretricium quàm secularis voluptas?* Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 40. Hæc ut annulo Sapientiæ insidiatur, sic ubi animo recepta est, omnem expilat. Amisit homo hunc annulum in Paradiso, hinc quantus quantus est mera stultitia est! Recipit autem in regeneratione & quando resipiscit, perfectè tamen non ante diem illum restitutionis,

Tunc patre placato meriti reddentur honores,
Annulus, & cinget me stola justitiæ.

Canit plenus bonæ spei S. Paulinus in obit. Celsi ex Luc. 15. v. 22.

CXXXIX.

Calasiridis annulus.

Beata terra cujus Rex nobilis est. Eccl. 10. v. 17. Qui verò nobilis? si frugalitatis legem calleat, si bibat non ad temulentiam, sed ad vires reficiendas. Ita ibid. Fallor? an hoc annulus significabat, quem Calasiris dedit Nausicli, ut eo redimeret Charicleam, erat autem electrinus insertâ in palam amethysto, ad modulum oculi Virginalis magnâ, ebrietatem arcente ab eo, à quo gestabatur. Emblema habebat pastoris, qui fistulâ præcinens

cinens pascebat oves aurei velleris lascivientes. Heliodorus l. 5. Æthiopic. Felix Resp. felices oves tali custode! Bene de Gratiano suo Ausonius, si verè: *In cibis cujus Sacerdotis abstinentior ceremonia? In vino cujus senis mensa frugalior? Operto conclavis tui non sanctior ara vestalis, non Pontificis cubile castius, non pulvinar Flaminis tàm pudicum!* In Gratiar. Act. Quæ talem pastorem habent, aureum vellus ferunt oves. At contrà nihil turpius, nil infaustius *quàm si custos ipse custode opus habeat*, ut ebriis usuvenit, juxta Platon. Dial. 3. de Republ. unde probare se ait Carthaginensium legem: *Vinum in castris nunquàm gustanto: nunquàm magistratus, Gubernatores, Judices munus suum obituri.* Dial. 2. de Legib. Certè & Solonis lex fuit: τῷ ἄρχοντι ἂν μεθύων ληφθῇ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν, Magistratui, si ebrius deprehendatur, capitalem pœnam irrogandam. Laërt. l. 1.

CXL.
THRIPEDESTA.

A vermibus comesta sunt; Jac. 5. 1. Ante usum sigillorum Lacones, ut Hesychius prodidit, ligna à vermibus corrosa variisque notis signata, adhibuerunt, quibus utensilia & quæ volebant, obsignabant, ea signacula θριπήδεστα dicebantur, vide Etymol. M. Dignum patellâ operculum! Quàm aptè à vermibus obsignatur, quod à vermibus olim consumendum est? *Omnia habent vermem suum!* ait S. Augustin. Sed si divitum cor liceat inspicere, nunquid differet

ab his thripedeftis? *ubi autem thesaurus, ibi Cor*: nulla ergò fignacula thefauro affervando aptiora, quàm quibus & cor ipfum impreffum, claufumque eft. At exedunt illud vermes, avaritia, invidia, intemperiæ,

Fœdaque avaritiæ complexæ pectora matris
Insomnes longo veniunt examine curæ!

Claudian. l. 1. in Rufin. Facit huc aliud annuli fignatorii Emblema, quod Chriftianos in digitis circumferre optat Clemens Alex. l. 3. Pædag. c. 11. *Navis, quæ celeri volatu à vento defertur!* Adde Lemma illud ex libro Sap. 5. v. 10. *Transierunt omnia quasi navis!* Quippe *incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, affluunt subitò, repentè dilabuntur*, &c. Valer. Max. l. 6. cap. 9.

CXLI.

Annulus pronubus.

Mulieres viris subditæ sint, tanquàm Domino. Ephef. 5. verf. 22. Annulus olim fervitutis fuit Symbolum, & ab ipfo ortu fuo; primus enim geftavit ferreum inferto pro gemmâ faxi Caucafei fragmento Prometheus, juffu Jovis, cùm eum in gratiam recipiffet ne meritæ pœnæ unquàm fubreperet oblivio. Herculem enim mifit, qui eriperet diræ Titana volucri,

--- poft fatis fibi *furtum*
Ignis & ætheriæ defensa silentia mensæ!

Notiffima fabula, de quâ fic Valer. Flacc. l. 4. Hinc apud Cattos ignominiofum erat ferreum geftare annulum, nec erat abfolvi nifi cæde hoftis.

Tacit.

Tacit. de Germ. Triumphantis in digito æquè ferreus annulus fuit, ac servi à tergo coronam auream sustinentis. Plin. l. 33. c. 1. Ad honorandam Augusti defuncti memoriam censuere quidam exequiarum die ponendos aureos annulos, & ferreos sumendos. Sueton. cap. 100. in August. &c. Itaque qui Sponsæ mittebatur annulus pronubus dictus, ferreus & sine gemma, Plinius loc. cit. servitutem ei quandam & ut ait Franc. Junius in Tertullian. τὸ οἰκονομικὸν commendabat, domi enim, etiam qui ob legationem aureos annulos acceperant, ferreis utebantur, antequàm luxus in immensum excrevit, eò usque ut & pedibus aurei inducerentur. Vide Plin. l. 33. cap. 1. & 3.

Haud ulla salva mansit unquam familia,
Partes priores uxor in qua gesserit!

Eurip in Andromachâ. *Bona uxor est ancilla dans opera ancillis* Ambrosius in c. 31. Prov. c. 3. nec aliter multò Augustin. l. 50. homil. 49.

CXLII.
Ponti lapides.

Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. Proverb. 17. vers. 10. In Ponto Medorum fluvio lapides sunt combustiles, sed ingenio quàm carbones ex lignis diversissimo, nam ventilati extinguuntur, aquis perfusi redardescunt, & pulchriùs resplendent. Aristot. in Mirab. Auscult. Ita ingenuum ingenium verbis acui solet, servum non nisi verberibus. *Phryx non nisi plagis emendatur*, juxta Pro-

verbium. Nostri ajunt, Rustico si rogetur tumescere ventrem. Et in veteribus rythmis, Heldenbuch:

Wir wollen ihn bitten und sagen/
Als man den Esel thut/
Wann er nicht Säck will tragen/
So schlägt man ihn genug.

Concinit quod dici solet:

Nux, Asinus, Mulier simili sunt lege creata;
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera desint.

Sic sumus naturæ pravâ conditione,

--- durum genus experiensque laborum,
Et documenta damus, quâ simus origine creti!

Virtus duritiâ extruitur, molliriâ destruitur, Tertullian. ad Martyr. Facit huc fons Garamantum, apud Priscian. de situ orb. de quo suo loco; Et Sal Agrigentinus ibid. v. 496.

Naturas in quo proprias mutare videntur
Ignis & unda, Salem namque illum solvere flamma
Unda solet crepitus illi conjuncta movere.

Itaque ignem patitur, aquam cum crepitu respuit.

C XLIII.

Uxor Lothi lapidea.

Respiciens retrò, non est aptus: Luc. 9. ult. Sic respiciens uxor Lothi

In fragilem mutata salem stetit, ipsa sepulchrum,
Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans:
Durat adhuc etenim nudâ statione sub Æthram,
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis:
Quin etiam si quis mutila verit advena formam,

Prôti-

Protinùs ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet:
Dicitur & vivens *alio jàm corpore* ſexus
Munificos *ſolito diſpungere ſanguine* menſes:

Sic anno 1348. in Bavariâ ex terræ motu 50. homines ruſtici vaccas in prato emulgentes ſubitò diriguerunt, mutati in ſalarias ſtatuas, Aventin. l. 7. Annal.

--- *Quibus opes & gloriam*
Fortuna tribuit ſenſum communem abſtulit,

ait Phœdrus in fab. & Sedulius:

--- *nemo retrorsùm,*
Noxia contempti vitans diſcrimina Mundi,
Reſpiciens ſalvandus erit!

CXLIV.

Tragemata lapidea.

Facite fructus dignos pœnitentiâ. Matth. 3. 8. ut appareat vos verè pœnitentes eſſe, non hypocritas atque

Aſtutam vapido ſervare in pectore vulpem.

Inter Anienis arenas albi legũtur lapilli, amygdalum, aniſum, cinnamomum aliasq; ſpecies Indicæ arundinis ſucco indui ſolitas referentes, quos accolæ conferti da Tivoli appellant, tragemata Tiburtina, iisq; hoſpitibus ignaris illudunt; Sic vitia fallunt ſub imagine virtutum &c. Lanſius in Conſult. contra Italiam. Sic lapideas caſtaneas, mala quoque Punica, uvas, & alia vidiſſe ſe ait Zachar. Theobald. c. 1. arcan. Natal. nullâ humanâ induſtriâ elaborata. Tales ſunt hypocritarum

tarum fructus, quibus ignaris illudunt, non Deo χαρδιογνώστῃ, *Fallit enim vitium specie virtutis!* *Mala*, ait Seneca, *interdùm speciem honesti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit. Sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia, ac perditis quoque & turpibus recti similitudo est*, vide eum Epist. 120. *Vitium & virtus in eadem habitant vicina.* Proverb. est apud Galen. &c.

CXLV.

Mortis poculum.

Fel Draconum vinum eorum, Deuteron. 32. id est: Doctrina ab iis tàm impiis expressa, & manans, quam ipsi aliis propinant, ut in eos sua scelera transfundant, est venenata & lethifera, velut, fel Draconum, quod omnes bibentes perdit & occidit, Sic Corn. à Lap. ibid. Matthesius vir sanctæ memoriæ in Concil. X, de metallicis rebus, Berg-Predigt; refert se de Cobalto, sic metallici vocant quàm Cadmiam Græci, lapidem ex pyrite & argento concretum de quo Georg. Agricola in Bermanno pag. 459. habuisse testulam Cobaltscherben / quam naturæ ingenium finxerit ad speciem calvariæ humanæ, suis capsulis & cellulis distinctæ, sed propter admixtum argentum vivũ adeò venenatam, ut peremptoria esset, si quis ex eâ biberet, hinc *Poculum mortis* vulgò dici. Tale poculum est sinciput delirorum hominum, plenum veneno aspidum insanabili. Fuge, qui sapis, & si vita tibi chara est, bibe de saluberrimis DEI fontibus, quam-

quamlibet amaris, nàm verbum lucis, verbum crucis.

Sed calicem crucis ac vitæ libare verentes,
Vipereum obducto potamus melle venenum.
Dulcia sunt etenim gustu, specieque decora,
Quæ morbos mortemq; animæ generantque foventque.
Canceris & ritu languentia viscera carpunt.

Prosper de Provid.

CXLVI.

Lapis Scoticus.

Exultabit solitudo & florebit quasi lilium. Esai. cap. 35. v. 1. In mari Scotico scriptores rerum Scoticarum confirmant, lapides vulgariter reperiri, qui cùm sint durissimi tamen herbescant. Cardanus ait se habuisse unum in umbrâ adservatum, qui virentia emiserit folia, & radiculas candicantes, cùm ipse esset ater, spectaculo pulcherrimo. Ita refert Dn. MichaëlPiccart. in orat. de Lusib. Naturæ, Imago vocationis Gentium, & efficaciæ verbi divini. Lapidi Scotico similimus est animus, vere Christianus! durus & nulli cedens ictui adversitatis, florens tamen & fructificans. *Tantum potest illa venerabilium Doctrinæ Sacrornm antistes Philosophia* Dominica scilicet, *quæ ubi pectore recepta est hominum inhonesto atque inutili adfectu dispulso,* insitisque, quod addo, melioris vitæ seminibus, *totos in solido virtutis munimento confirmat, potentiores metu ac dolore faciens.* Val. Max. l. 3. cap. 3. in Extern. num. 1.

CXLVII.

CXLVII.

Adamantum venatus, & hircino sanguine molliri.

Mulieres etiam cordatos auferunt. Sir. 19.2. juxta Pagnin. Indorum historia est, Græcæ tamen fidei propior; ultra orbem Bisinigar in monte Abingar procreari adamantes, quos accolæ missis ex editiore loco in eum montem sagittis, carnibus tectis, venari soleant, carnibus enim adhærescere adamantes, & ab aquilis simul cum illis in nidos deferri, sub quibus delapsos adamantes inveniri: Aliter inaccessum esse montem, propter venenosas bestias & serpentes, quibus differtus sit. Scaliger Exerc. 113. sect. 5. Adamantes sunt, qui cum Paulo dicere possunt: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames?* Rom. 8. adamantes quos Deus in manu suâ habet, Amos 7. v.7. juxta Septuag. & Symm. nàm *nisi quis Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem*, tùm verò tàm robustus est, ut dicatur ad eum: *Si transieris per ignem, flamma non comburet te.* Esa. 43. 3. *quantoque magis tentationibus cæditur, tantò fortior fit*, &c. Capit tamen nonnullos venator infernalis sagittis suis ignitis carnes jaculatus: vel ut cum Hieronymo pergam, ex quo ista in cap.7. Amosi, *cùm à nullo superari queat* talis adamas, *solo mortiferæ libidinis calore dissolvitur.* Ita enim & adamas quamvis nulli cedat materiæ, non ferro, nàm antea incus & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur;

non

non igni, quod duriorem reddit; non limæ, nàm & ipsam limam terit; solo hircorum cruore dissolvitur & missus in calidum sanguinem perdit fortitudinem suam. Hæc & alia S. Hieron. l. cit. Caveas itaque olentem hircum, caveas carnes, quas mundus jaculatur, 1. Joh. 2. 15. *Carnes*, ait aliquo loco Ambrosius, *etiam volantes aquilas deponunt*. De duritia adamantis, & hircino sanguine vulgò notum est, dubium tamen & incertum. Efficaciam sanguinis dominici indicare plerisq; dictum, vide D. Pelargum in cap. 16. Lév. Corn. à Lap. in c. 3. Ezech. Marbodeus de lapid. pretiof. sic habet:

Cujus durities solidissima cedere nescit,
Ferrum contemnens, nulloque domabilis igni,
Incudis damna percussorumque labore,
Hæc tamen hircino calefacta cruore fatiscit.

Priscian. de situ orbis v. 1090.

Quem minimè valeat ferrum superare nec ignis,
Frangitur hircino maceratus sanguine tantùm,
Sed tepido, fractis multis incudibus antè. &c.

Ne quid desit expoliendo, Legem Dei molliri & à rigore suo ἐπιείκειαν adduci solo sanguine Christi, notabis, fata Dei olim in tabulis adamantinis perscribi creditum fuisse. Adamas in electri similitudinem venena deprehendere & maleficis artibus resistere dicitur. Hieron. l. c.

Indomitumque facit mirâ virtute gerentem,
Et noctis lemures, & somnia vana repellit,
Atra venena fugat, rixas & jurgia vincit, &c.

Marbodeus vetus Poëta l. cit.

CXLIII.

CXLVIII.

Adamantum amor & partus.

Fortis ut mors dilectio. Cant. 8. 6. *Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet, si amor verus est; omnia vincit*, ait Petrus Ravenn. Chrysologus. serm. 40. Mirum referunt Rueus de gemm. l. 1. cap. 1. & Bustamantius lib. 5. Reptilib. 5. Script. c. 15. Dominam Heverensem ex illustri familiâ Luxemburgorum, duos habuisse adamantes, virum quasi & fœminam, qui quotannis sobolem eniti videantur, alium tenellum adamantulum, quasi partum suum musteum. Plurimi oculares testes confirmant. Adeò

Omnia vincit Amor! quid enim non vinceret ille?

Juxta Ceir. Virgil.

Perque Cœlum, perque terras, perque pontum subditum,
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.

Catull. in Pervigil. Amorum.

CXLIX.

Gemma triumphans.

Rex hodiè, cras morietur. Sir. 10. 12. Alexandro Magno ferunt oblatam dono gemmam, quæ in lance posita, facilè omnia alterius lancis pondera suo vincebat, undè Triumphanti nomen fuerit; omni autem quamlibet pondusculo victam cessisse, asperso pauxillo cinere. Michaël Piccart

Piccart. de Lusib. Nat. Imago Regum potentissimorum, & ipsius Alexandri inprimis, quorum omnis gloria & invicta virtus cineri cedit. Hinc vetus quidam Poëta Alexandrum inducit sic loquentem:

Omnia tollebam, ne mors tulit omnia tollens,
Nulla tenere queo, pulvis & umbra teror.

Apud Joh. Hussum in serm. V. Tom. 2. oper. ubi alia ad rem idonea, inter alia mos vetus in Coronatione Impp. Constantinopolitanorum: ut lapicida oblatis marmorum variorum diversicolorum fragmentis inauguratum percontaretur; *quo de marmore jubet imperium, ut sibi fiat sepulcbrum?* quasi diceret: *Omnia mors æquat. Æquo pede pulsat pauperum tabernas Regumque turreis!* Ne mirere igitur, si quo die tibi imponitur corona, præparetur & sepultura. Hodiè Rex es, cras moriêre! De morte nemo triumphabit homo mortalis natus, illa de omnibus. Ἀξιωμάτων λαμπρότητας ὀ δυσωπεῖται ὁ θάνατος, *Mors dignitatem splendores non reformidat, omnibus enim* τοὺς παμφάγους ὀδόντας, *omnivoros dentes infigit.* Agapetus Diacon. ap Justinian. Imp.

CL.

Achates Pyrrhi.

Reges erunt nutricii tui. Esa. 49. v. 23.
Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achaten,
Cujus plana novem signabat pagina Musas
Et stans in medio Cytharam tangebat Apollo;
Naturæ non artis opus: Marbodeus l. cit.

 &qui-

& quidem ita discurrentibus maculis, ut Musis quoq; singulis sua redderentur insignia. Plin. 37. cap. 1. Quos colebant veteres maximè, eorum in annulis gestabant imagines. Ad Principum sanè pleriq; malunt Epicuri, quod ejus factitabant familiares, in anulis & poculis circumfere.

---similes in imagine vultus:

Qui Musas & Apollinem, rarus est. *Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvus ille nobilior fecit, quòd acceperat Herculem Musagetam esse: Idemque novem Musarum signa ex Ambraciensi oppido. translata, sub tutelâ fortissimi Numinis consecravit ut res est, quia mutuis operibus & præmiis juvari ornariq; debet; Musarum quies defensione Hercules, & Virtus Herculis voce Musarum,* ait Eumenius Rhetor pro Scholar. restitut.

CLI.

Amethystus cur vilis?

Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Num. 21. 5. At cibus iste manna erat, panis Angelorum, omnem in se habens delectationem. Adeò, ut verè dixerit Tertull. de habit. Mulieb. *Semper abundantia contumeliosa in semetipsâ est.* Ita Amethystus lapidum pretiosorum flos & quasi rosa cui similis colore,

--- contrarius ebrietati,
Aarus haberetur meritò, si rarior esset,
Cbt nunc negligitur, quoniam communis habetur.

Marbo-

Marbodeus de gemm. τὸ γὰρ σπάνιον τίμιον. Plato in Euthidemo.

--- Amica vincit
Uxorem. Rosa Cinnamum veretur;
Quicquid quæritur, optimum videtur.

Petronius.

CLII.

Alectorius.

In silentio & spe. Esa. 30. 15. De Alectorio idem Marbodeus:

Invictum reddit lapis hic quemcunque gerentem,
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præside vicit,
Hoc etiam multi superârunt prœlia Reges!

Est autem lapis Crystallo similis, nascitur in ventriculo galli gallinacei, exsectis testibus,

Cùm tribus ad minimum factus spado vixerit annis.

Cæterùm, addit Gallus noster Poëta,

Ut bona tot præstet clausus portetur in ore.

Invicta est patientia, cui *vultus tranquillus & placidus, frons pura, nullâ mœroris aut iræ rugositate contracta, supercilia æquè in lætum modum remissa, oculi humilitate non infelicitate dejecti, os taciturnitatis rubore signatum, color qualis securis & innoxiis,* Tertull. de Patient. Sententiam Esaiæ pro Symbolo sibi delegit D. Lutherus, in quam lusi olim hoc disticho:

Dùm tacet & patitur VIRESCIT Vulnere Virtus!

Efficit invictos spes taciturna pios!
Est & fideli tuta silentio merces ! juxta Horat.

CLIII.

Aëcites in nido aquilarum.

Lex DEI prægnans est. Zephan. 2. 2. parturit enim inevitabiles pœnas, suo in lucem edendas tempore. Ut Aëtites lapis, loquar cum Marbodeo,

Quem petit extremis orbis Jovis ales ab oris
Custodem nidi defensoremq; futurum:
Continet hic alium prægnantis more lapillum.
Creditur ergò potens prægnantibus auxiliari,
Ne vel abortivum faciant, partuve laborent.

Elegans profectò divinæ legis icon, quæ in nidulo aquilarum spiritualium semper reperitur, partumque novi hominis adjuvat Matth. 24. 28. Psalm. 29. 8. & 40. 9. sed & hypocritas prodit, qui epulas divini verbi gustare nequeunt, si subsit hic aëtites, uti juxta eundem Poëtam:

Pulmento posito, cui sit submissus Etites
Si fraus corde subest, tentans glutire nequibit.

CLIV.

Abestos.

Non aquæ plurimæ poterunt amorem extinguere. Cantic. 8. 7. Abestos Arcadiæ lapis ferrei coloris, ab igne nomen sortitus, eò quod accensus semel nunquàm extinguitur. De quo lapide mechanicum aliquid humana ars molita est, quod gentiles capti sacrilegio mirarentur. Deni-

Denique in Templo quodam fuiſſe Veneris fanum dicunt, ibique candelabrum, & in eò lucernam ſub divo ſic ardentem, ut eam nulla tempeſtas, nullus imber extingueret. Iſidorus lib. 16. Origin. cap. 4. *Lucet in amantium pectore*, ut vetuſtus Poëta Valerius Æдituus apud A. Gellium venuſtè ait, *flamma* inextinguibilis:

Iſtam non potis eſt vis ſæva extinguere venti,
Aut imber cœlo candidu' præcipitans!

CLV.

Callaidis venatus.

Tempus & Fortuna! Eccleſ. 9. 11. Callais gemma è viridi pallens, naſcitur poſt averſa Indiæ & in Carmania, in rupibus inviis, oculi figura extuberans, leviterque adhærens; Scandere ad eam pigritia pedum equeſtres populos tædet, ſed & periculum terret; ergò fundis è longinquo inceſſunt & cum toto muſco excutiunt. Quidam ictu primo cepêre præclaras, multi inſectandó nullas. Plin. l. 37. c. 8.

Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris.

ait Gratius de Venatione.

Quin etiam infelix virtus, & noxia felix,
Et malè conſultis pretium eſt, prudentia fallit.

Manilius lib. 4. Nunquid ambitus honorum, opum, gloriæ, quaſi Callaidis venatus eſt?

CLVI.

Carbunculus.

Qualis Rex talis grex. Sirac. 10. 2. Carbun-

 culus

culus Principum & Magiſtratuum præfert imaginem. Primò quia, ut ait Plinius, principatum habent carbunculi, à ſimilitudine ignium appellati. Deindè, quia omnes omnium gemmarum virtutes habet, Phœbo ea propter conſecratus ſiderum Regi. Adhæc ejus

--- *nec tenebra poſſunt extinguere lucem,*

ut canit Marbodeus.

Quin flammas vibrans oculis nitet adſpicientum,

ſub vivis quidem carbonibus & in ignem jactatus, quaſi intermortuus extingui videtur, ſed aquis perfuſus redardeſcit. Iſidor. l. 16. c. 13. Denique authore Ariſtotele, omnibus aliis gemmis ſpeciem ſuam imprimit & figuram, quod ipſi nulla præſtare poteſt. Rucus l. 2. de Gemm. cap. 14. Qua de re plura dixi in cap. 4. Amoſi. Sic Magiſtratuum in terris præcipua authoritas, tanta quanta ſingulorum poteſtas, lux inter titiones ardentes Eſa. 7. 4. etſi deficere videatur, tamen inextinguibilis eſt, & exempli vis pollentiſſima in utrumvis.

--- *totus componitur orbis Regis ad exemplum.*

Quales in Repub. ſunt Principes, tales reliqui ſolent eſſe cives, ut ait Cicero, & viciſſim: *Talis eſt Rector, quales illi, qui reguntur.* S. Cyprian. l. 1. Epiſtol. 3. ad Cornel.

CLVII.

Carbones foſſiles.

Deſideria diteſcere cupientium peſtifera. 1. Tim. 6. verſ. 9. In partibus Britanniæ ſeptentrionalibus, fodinæ ſunt carbonariæ, in quibus lapis, quem

quem Plinius vocat obsidianum reperitur, non procul novo castro, spiritum tàm gravem nonnunquàm ex halantes, ut conductas operas nulla mora interficeret, nisi ex indicio ardentis lucernæ, cujus flamma tùm antè paulò & liquescit & consumitur, quàm is adventat, statim sese subducerent Schenk. lib. 7. observ. 1. ex Joan. Cayo Anglo de Ephem. Britann. Adeò magno cum salutis periculo quæritur opulentia, nisi lucernam Divini verbi oculo irreflexo adspicias, 2. Petr. 1. 20. Nàm juxta Martialem lib. 11. epig. 6.

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.

Et quid id est, quod tanti constet, ut sine Virtutis & vitæ dispendio vix aut acquiri possit, aut possideri? *De tenui filo pendet puer Plutus, quod si casus aliquis ruperit, omnia dilabantur, & thesaurus fit, quod ajunt, Carbones.* Lucian. de Votis.

CLVIII.

Ceraunios.

Fidelis DEUS, non patietur tentari vos, supra quod potestis. 1. Corinth. 10. 13. Ceraunia gemma est Crystallini generis, cœruleo & rutilo infecta, similisque securibus, ut scribit Sotacus, rarissima non alicubi invenitur, quàm in loco fulmine icto. Plin. l. 37. c. 9. Castè si gestetur ab omni tempestate & fulminum ictu illæsum præstat. Magi ea urbes & classes expugnari jactant, & ut Marbodeus docet:

Ad causas etiam vincendaque prælia prodest,
Et dulces somnos & dulcia somnia præstat.

Denique Cœlo cadit, juxta eundem,

Ventorum rabie cùm turbidus æstuat aër,
Cùm tonat horrendum, cùm fulminat igneus æther.

Ita inter ipsa irati DEI fulmina cœlo demittitur invicta Patientia, quâ suis ad ferendum vires sufficit. *Nàm non sic est, ut servos suos tantùm spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur.* Cyprian. ad Martyr. lib. 2. Epist. 6. Adhæc vera & rara illa calamitatum omnium victrix Patientia, ut non nisi usu mala tolerandi discitur, sic non nisi in corde sæpè icto reperitur. *Contemptum periculorum dat assiduitas periclitandi.* Seneca de Provid. ut fabricando, quod dici solet, fabri; sic patiendo patientes simus. Denique superior est omni fortunæ procella, & *quâvis*, ut habet S. Zeno Veronensis, *turbationum tempestate tranquillâ, serenitatem suam nebulis turbulentare non novit.* Serm. de Patient. ac ne quid indictum patiar, somnum quoque beatissimum tandem conciliat, & somnia omnibus hujus mundi vigiliis veriora. Perfer ergò & obdura, ac cogita:

Omne malum volucri cum tempore transvolare cursim,
Nil grave, quod peragi finis facit & quiete donat.

Prudent. hymn. 5. Peristephan.



CLIX.

CLIX.

Chrysopasius.

Patientia parit probationem. Rom. 5. 4. ut Chrysopasius juxta Marbodeum:

Noctibus igne micans, vanescit luce diurnâ,
Absque nitore jacens, auri pallore sepultus:

Ita virtus sub cinere quasi sopita in prosperis, stricturas suas effundit in adversis. Latet sæpè vir magnus temporum felicitate quasi sepultus, at duris temporibus opes animi sui explicat, & ut de cane Britannico dixit Gratius in Venat.

Ad magnum cùm venit opus, promendaque Virtus,
Et vocat extremo præceps discrimina Mavors.

2. Quadrat etiam id Siracidæ, cap. 6. 7. quod & Ennius dixit:

Amicus certus, in re incertâ cernitur.

CLX.

Chrysolithus.

Crescite & multiplicamini. Genes. 1. 22. 26. Chrysolithum τετυπωμένον refert Rueus repertum, in quo naturæ ingenio picta esset fœmina, unâ avem manu, alterâ piscem præferens. Imago Veneris, id est ingenitæ omnibus cupiditatis generandi sui simile, hæc enim omnibus divina benedictione insita est,

Denique per maria ac terras, fluviosque rapaceis,
Frondiferasque domos avium, camposque virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem

Efficit, ut cupidè generatim secla propagent.
Lucretius in princ l. 1. confer Emblema Alciati, de Amore piscem & flores tenente n. 106. & ibi Claud. Minoëm.

C LXI.

CHRYSELECTRUS.

1. *Verecundiæ comes gratia.* Sirac. 32. 14. & *gratia verecundiæ super aurum.* Idem. c. 7. v. 21. sed ut Chryselectrus similis auro, matutino tantùm adspectu jucundus est;

Hic matutinis visu jucundior auris,
Dissimilem speciem pòst adspicientibus offert,

ait Marbodeus. Ita verecundia non semper æquè pulchra est. In adolescente color virtutis est rubor, sed seni erubescendus. *Juvenes verecundos laudamus omnes, senes nemo. Nihil enim eos agere convenit, quod erubescendum sit.* Aristot. lib. 4. Ethic. Nicom. c. ult. *ut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, veluti quâdam dote commendatur naturæ*: Ambros. 1. officior. cap. 17. Benè quoque Bernhardus cùm ait: verecundiam esse pulchram & splendidam morum gemmam in vita & vultu adolescentis. In Cantic.

2. *Omnis caro fœnum est!* Esai. 40. 6. *Vana est pulchritudo.* Prov. 31. 19. Quid ergò carnem in deliciis habes? *An ejus virtutem diligis? frangit ac subigit illam quivis dolor. An pulchritudinem ejus? at commutabilis res est, & quæ unâ febri vel quâlibet facillimè delentur injuriâ?* S. Zeno de Spiritu & car-

carne, post allegata verba Esaiæ. Sic manè tantùm pulcher est Chryselectrus.

Cujus materies rapidissima dicitur ignis,
Nam citò vicino corruptus flagrat ab igni.

C LXII.

Chalazias.

Induraverunt vultus suos magis quàm saxum. Jer. 5. v. 3. Chalazias grandinum & colorem & figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in ignem additæ manere suum frigus, Plin. l. 37. cap. 11. Marbodeus:

Ictibus omnimodis invicta chalazia gemma,
Cujus naturæ vis tanta probatur, ut omni
Tempore frigida sit, nulloq; calescat ab igne.

Ita *Impietas flagella quidem excruciata sentit, sed à quo flagelletur obdurata non sentit*. Orosius l. 7. adv. Gent. c. 22.

--- animos genius excæcat malus,
Dorsumq; reddit æreum, ut, ferro velut
Incus, domari non queant mille ictibus,

Gregor. Nazianz. adv. opum amant.

C LXIII.

Diadochus.

Exurge à mortuis. Ephes. 5. 14. Quod fit per pœnitentiam ab operibus mortuis Hebr. 6. 1. quæ mortua sunt quâ privativè, quia carent vitâ gratiæ, quâ effectivè, quia mortifera Diadochus Beryllo similis ad Divinationem à Magis adhibita est,

Nec

Nec lapis est alius qui fortiùs evocet umbras;
Sed si defuncto quis forsitan applicet illum,
Protinùs adseritur solitas amittere vires,
Namque lapis sacer est, & quæ mors sternit abborret.

Ita fides cum operibus mortuis sociata, solo nomine manet fides, mortua est, Jac. 2. 16. Hinc ex lege Mosaicâ qui morticinas carnes attigissent, impuri erant

--- *donec se flumine vivo abluerint*:

Pythagoras θνησιμαίοις abstinuit Laërt. lib. 8. Polluti funere, sacra ne facerent religione vetabantur. Servius 11. Æneid. Flamini Diali locum in quo bustum erat ingredi, aut mortuum attingere nefas fuit, A. Gell. lib. 10. cap. 15. Jamblichus ne eam quidem per viam ire voluit, quâ modò funus erat deductum. Eunapius in vitâ. Ita Diabolus, ut ferè semper DEI simia est. Nàm & levitas Deo initiandos jussit Lex radi & depilari, quod crines & pili τῆς νεκρώσεως σύμβολον essent, de quo Theodoretus Cyrensis; vide Num. 8. 7. undè Sacerdotes Ægyptii ne quidem in superciliis crines habebant, rati *naturis æternis & vitâ perpeti fruentibus cum mortuis rebus nihil commercii esse oportere*, de quo Synesius Cyrenensis, de Calvit. Denique rasura Clericorum hinc orta est, docens & monens Clericum:

Capturum claram Christo cedente coronam,
Ceu crines capitis convellero crimina cordis,

ut canit Calvorum encomiastes Hugbaldus in carm. ad Carol. Calv. Imp. v. 17.

CLXIV.

CLXIV.

Draconites.

Mulieres ornent se verecundiâ & sobrietate, non auro aut margaritis. 1. Tim. 2. v. 9. Nàm, juxta P. Syrum:

Smaragdum ad quam rem viridem, pretiosum vitrum,
Quo Carchedonios optas, ignes lapideos?
Nisi ut scintillent! PROBITAS est carbunculus.

Σοφία ἢ χρυσαλλος Theognetus apud Wovvern. in Petron. Satyr. Deindè

Invia quis calidi scrutatus regna profundi
Tethyos invasit gremium? quis divitis algæ
Germina flagrantes inter quæsivit arenas?
Quis junxit lapides ostro? quis miscuit ignes
Sidonii rubrique maris? Claudian. in IV. Consul. Honorii. Dracontides ex cerebro Draconis eruitur, quæ nisi viventi abscissa fuerit, non ignescit. Audaces igitur viri explorant Draconum specus & spargunt ibi gramina medicata ad incitandum Draconum soporem, atque ita somno sopitis capita desecant, & gemmas detrahunt. Isidorus lib. 16. cap. 13. Ergò *hoc quoque deerit Christianæ, ut de serpente cultior fiat. Sic calcabit diaboli caput, dùm de capite ejus cervicibus suis aut ipsi etiam capiti ornamenta struit.* Tertull. de Habit. Mul. cap. 6. &c.

CLXV. CLXVI.

Enydros, Dionysia.

Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem & no-

noctem. Thren. 2. 18. Enydros gemma ſemper eſt abſolutæ rotunditatis, in candore levis, & ad motum fluctuat intùs velut in ovis liquor. Plinius lib. 37. cap. 11. imò & perpetuis lacrymis deſtillat:

Quæ velut è pleni fontis ſcaturigine manant.

Marbodeus & ex eo Iſidorus ſimiliter. Gemmei profectò oculi ſemper lacrymis pleni. Quid enim *oculis illis formoſius perpetuo lacrymarum imbre & quaſi margaritarum decore ornatis?* Chryſoſtom. hom. 30. in Geneſ. hinc in Hieroglyphicis & apud ſomniorum interpretes uniones ſignificant lacrymas:

δηλοῦσι μαργαρῖται δακρύων ῥόον;

lacrymas fluentes margaritæ denotant.

Denique guttæ Enydri febricitantibus prodeſſe dicuntur, juxta Albert. M. at lacrymarum ex animo ægrotantibus ſalutares ſunt. Quid enim æſtuans pravis cupidinibus, algens in pietate, quid ille?

Merſisne anhelat febribus?

Atque igne venarum furit?

Prudent. in Martyr. Laurentj. *Mirum tamen in hoc artificis Dei ingenium, in lacryma de venis erumpens peccatorum, profuſa humiliter abſorberet omne peccatum!* Petrus Abbas Cellenſ. Tom. 9. Biblioth. PP. Dionyſia gemma in aquâ trita vinum fragrat, ut Marbodeus & Plinius,

Et tamen ebrietas ipſius odore fugatur.

Vinum Angelorum fragrat cor lacrymis exundans pœnitentium, & fugat *ebrietatem culpæ*, de quâ Ambroſ. de Heliâ & jejun. c. 16. & Hieron. *Omnis*

Omnis animæ perturbatio ebrietas adpellatur, quæ concipitur de vino furoris Draconum & de veneno aspidum insanabili. Hieron. in cap. 5. Esa.

CLXVII.

Formica in gemma.

Vade ad formicam, ô Piger! Prov. 6. v. 6. Michaël Gehlerus D. in Epist. de Formicâ refert, inter alia veterum hieroglyphica reperiri formicam in gemmâ sculptam, cum tribus spicis ori ejus insertis. Imago boni Patris familias qui aliquid pro amicis, procq; Deo acervat. Nostri dicunt: Ein Hausvatter soll ein Zehr-ein Ehr-und Nehr-und Wehr-Pfenning haben. --- Sicut

Parvula, nam exemplo est magni formica laboris,
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit haud ignara ac non incauta futuri.

Horat. l. 1. Satyr. 1.

CLXVIII.

GAGATES.

Responsio mollis frangit iram. Proverb. 15. 1. Gagates, schwartzer Augstein / ut habet glossator Marbodei:

Vicinas paleas trahit attritu calefactus,
Ardet aquâ lotus, restinguitur unctus olivo.

Ita multi iracũdi leviculas ob res insaniunt. *Quid enim est, cur tussis alicujus, aut sternut amentum, aut musca parùm curiosè fugata nos in rabiem agat?* Seneca l. 2. de Ira c. 25. Frigidam si affundas, magis incandescunt, inq; tuam perniciem, ut *Si quis Bacchæ*

Bacchæ Bacchanti velit adversari. At tùm demùm cum Æschyli Prometheo existimo:

Mederi posse rationem iracundiæ,
Siquidem, qui tempestivam medicinam admovens,
Non adgravescens vulnus illidat manus.

CLXIX.

Gagatromeus.

Vir sapiens fortis est. Proverb. 24. 5. Gagatromeus diversicolor est pelli capreoli similis:

Quem qui portarit dux pugnaturus in hostem
Hostem depulsum terrâque marique fugabit:
Illius Alcides ope multa pericula vicit,
Succubuit quoties lapidem non sustulit illum.

Utor enim Marbodei versibus libenter, quia rarus est.

-> *Sæpè acri potior Prudentiâ dextrâ!*

Valer, Flacc. l. 4. at

Vis consili expers, mole ruit suâ!

CLXX.

Glossopetra.

Non sum Propheta, non sum Prophetæ filius. Amos. 7. 14. Glossopetra linguæ similis humanæ, in terra non nascitur, sed deficiente Luna cœlo decedere creditur, & ventos ea comprimi narrant. Plinius l. 37. c. 9. Sic deficiente Ecclesiæ ordinaria luce, de Cœlo suscitat Deus linguas & extra ordinem demittit. Tales fuêre Lothus apud Sodomitas, Jonas apud Ninevitas, Amos apud Israëli-

Iſraëlitas, quique noviſſimis temporibus ventos Doctrinæ erroneæ. Epheſ. 4. 14. diſpulit, Dn. Lutherus. Ita fit quod ait Dominus: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*. Luc. 19. 40.

CLXXI.
Gonia petra.

Ego baptizo quidem aquâ; ille autem Spiritu & igni; Luc. 3. 16. In Carthaginenſium regione mons eſt Gonius, in quo petra æſtate flammam emittens, hieme aquam limpidam. Juxta fons eſt oleo ſcatens, odore lacrymarum Cedrinarum, ſed haurientem oportet ἁγνεύειν caſtum & impollutum eſſe. Ariſtot. in Mirabil. Talis mons eſt Eccleſia, in qua fons eſt ſapientiæ Sir. 1. 5. Sacra Scriptura. *Hæc enim fons eſt æthereo de margine ſcaturiens, de quo quantò ampliùs hauritur, tantò minùs expenditur.* Carol. M. l. 2. contra Synod. Græcor. de Imag. cap. 30. &c. Petra Chriſtus eſt. 1. Corint. 10. 3. è quo uterque *baptismus fluminis* inſtitutus per Baptiſtam cùm adhuc quaſi hyems eſſet, vere Novi Teſtamenti vix dùm ineunte, Cant. 2. 12. & *flamminis*, Act. 1. 5. cœlitus miſſus, cùm jàm æſtas eſſet, Luc. 10. 2. Joël. 2. 28. ut de baptiſmo Johannis verè dictum ſit, fuiſſe ἐξ οὐρανοῦ & non ex hominibus. Matth. 21. 25. Marc. 11. 30. Luc. 20. 4. Itaque ut canit Prudentius Cathemer. hymno. 7.

Hoc ex lavacro labe demtâ criminum,
Ibant renati, non ſecùs quam ſi rudis
Auri recocta vena pulchrum ſplendeat.

Succinit S. Paulinus in Carm. de S. Johann Bapt.

Diluit infusis credentum crimina lymphis,
Absolvitque metus hominum, pœnasque remittit,
Atque ignem restinguit aquis, &c.

CLXXII.

Galactites.

Væ mihi si non evangelizavero! 1. Cor. 9.16. Galactites lactei aut cinerei coloris gemma est, & ut lac auget, si bibatur è mulsa, ac si circum ovile spargatur cum sale mixtus aquæ,

Lacte replentur oves, scabiesq; fugatur ab illis;

Juxta Marbodeum: ita tritus lacteum succum edit,

Et si quis terat hunc, albescit lacte liquescens.

ut ait Priscian. de situ orbis v. 453. verùm, ut iterùm habet Marbodeus. *turbat mentem*

— Si clausus in ore liquescat,

Verbum Dei denotat, lac illud rationale continens de quo 1. Petr. 2.2. quod bonorum omnium fons est & thesaurus, ut de Galactite ait Marbodeus noster, persuasum fuisse veteribus, omnia bona præstare gerenti:

Quæ simul à reliquis cuncta virtute darentur.

Væ autem illi qui clausum ore sinet colliquefieri vide Jerem. 1. 9. *Cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus qui eo tacente periérunt, perit!* Prosper de Vita Contempl. l. 1. cap. 20.

CLXXIII

CLXXIII.

Gemma Arurophylax.

Quasi tuba exalta vocem tuam. Esa. 58. 1. Divites in Elide gemmam feruntur habuisse miram, cui nomen inditum Arurophylax, ab argumento, quòd ante thesaurorum limina posita aurum custodiret, fures sonitu tubæque clangore & arceret, & repelleret, non aliter ac si à satellitibus abrepti, per præcipitia agerentur. Plutarch. de Fluminibus. Malim dicere tamen θησαυροφύλαξ. Tales sunt in Ecclesia custodes divini depositi, verbi præcones. *Depositum custodi* ait Apostolus 1. Tim. 1, 14. & 6. 20. *Quid est depositum? id quod tibi creditum est, non quod à te inventum* &c. *Aurum accepisti, aurum redde! Nolo mihi pro aliis alia subjicias; nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas.* Vincent. Lirin. contra Novatores.

CLXXIV.

HELIOTROPIA.

Beati mundo corde! Matth. 5. 8. Heliotropium, ut ait Plinius, porracei coloris, sanguineis venis distincta, extra aquam speculi modò Solem accipit; at in vas aquæ dejecta, ut habet Marbodeus,

Sanguineum reddit mutato lumine Solem,
Eclipsimque novam terris effundere cogit.

Denique eam ipsam aquam in nebulam & imbrem resolvit, &

--- Post modicum vas ebullire videbis,
Adspergique forâs subitæ scaturiginis imbrem.

Ita *Mundicordes*, ut loquitur S. Augustinus, specula sunt in quibus Dei imago pura refulget, videbuntque DEUM ipsi & hîc fide, quâ corda mundantur, Act. 15. velut in speculo, & illic adoculum. At si cordis oculi suffusi sint aqua opinionum erronearum, aut cupiditatum terrenarum, jàm Deum ut est videre nequeunt. *Purâ mente coli, purâ vult mente videri!* Sed & Fides cœlestis illa Heliotropia aquam omnem istam sensim evaporat. *Munditia cordis & conscientiæ puritas*, ait Chromatius, *nullam nubem ad intuendum Deum patietur.* In Matth. l. cit.

CLXXV.

Hephæstites.

Omnis vallis exaltabitur: omnis collis humiliabitur! Esa. 40. 4. Hephæstites rutila gemma, aridam materiam in Sole addita accendit, at ferventem aquam statim refrigerat. Plinius lib. 37. c. 10. alia multa efficit, sed in pectore, ait Marbodeus --- *memori fixum teneamus oportet,*
Quâ cor parte jacet lapides hos esse gerendos.

Mira divinæ Eloquentiæ, si modò ex corde procedat, efficacia, *in utrumque peritia est! Sagas & Divinipotentes posse Cœlum deponere, terram suspendere: fontes durare, montes diluere: Manes sublimare, DEOS infirmare, sidera extinguere, Tartarum ipsum illuminare*, ut ampullatur Apulejus 1. Miles. Logi sunt & nugæ meræ. Virga Mercurii quâ

animas

--- animas evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit,
Dat somnos, adimitque &c.

Nebulæ in pariete pictæ! Plura & majora potest, illa verè *Divinipotens*, *Flexanima* & *Verticordia* Elequentia! Eadem & destruit, & ædificat! colles infimat, valles sublimat! Cœcos illuminat, videntes occæcat! vivos mortificat, mortuos exsuscitat! &c.

CLXXVI.

Hieracites.

Semei maledicit Davidi exuli. 2. Sam. 16. 5. 6. De Hieracite gemma hæc habet Marbodeus.

Muscis expositum corpus nudato gerentis,
Lactis commixto mellisque liquore perunctum,
In tactum cupido miraberis agmine linqui:
Si lapidem tuleris facto grege spicula figent.

Musca est Semei; Hieracites Regia dignitas, quæ dùm aderat Davidi, non ausus erat ille prorepere, ne tùm quidem cùm se quasi nudo corpore, admisso in Bathsebam adulterio, palàm prostituisset. Muscæ susurrones sunt, ad ulcera convolant, saniem exsorbent. Hæ muscæ Magnates sugillare non audent, dùm salva est potestas. *Non* ajunt, *tutum est in eum scribere, qui possit proscribere.* Periculosum est deridere eos, qui gladio ἀντιμυκτηρίζειν solent. *In omnibus Regibus hæc urbanitas extimescenda est.* Sen. Suasor. 1. Quod si casus aliquis tulerit hunc Hieracitem, quem stantem meruêre, videbis odisse jacentem, venenatisque spiculis proscindere.

Turba Remi sequitur fortunam, ut semper, & odit Damnatos, &c. Juvenal. Sat. 10. v. 74.

CLXXVII.

Hexicontalithos.

CLXXVIII.

CHELIDONIUS.

1. *Quid mihi in cœlo ? & à te quid volui super terram?* Psalm. 73. vers. 24. De Traglodytis Solinus cap. 33. Nullus ibi habendi amor, à divitiis paupertate se abdicârunt voluntariâ. Tantùm lapide uno gloriantur, quem Hexicontalithon vocant:

Qui sexaginta modico gerit orbe colores,
Corporis exigui numero dispendia supplens,
Dùm tot gemmarum fert gemmula sola decorem.

Hæc Marbodeus. Mihi Hexicontalithos JESUS est, in quo omnia! hoc uno glorior! Præ hac unâ gemmula *omnia ut stercora arbitror*. Phil. 3. 8. Solis *lux in multis multipliciter lucet : Si incidat in carbunculum, egrediens vicinam aërem facit rutilare ; in Smaragdo virescit ; in Sapphiro firmamento puriori conformatur ; Hiacinthi quoque speciebus efficitur concolor*, &c. Sic lux & gratia Spiritus sancti, in aliis alia efficit (vide Saresber. l. 5. Policrat. c. 3.) in Christo Jesu, qui omnem recipit sine mensurâ, omnia. Hinc mihi factus est *Sapientia & Justitia, Sanctificatio & Redemptio*, 1. Cor. 1. 3.

2. *Parva volucris apis, at fructus ejus est omnium dulcissimus.* Sirac. 11. 2. ἀρχὴ γλυκασμάτων *principium*

cipium omnium dulcedinum. Ita Hexiconthalithos gemmula aliarum omnium decore ornata est. Ita Chelidonius.

Parvus & informis, sed nulli viribus impar.

Marbodeus, & Tecolithus apud eundem:

Adspectu vilis, naturæ vi pretiosus.

Granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum extat in olore. S. Paulin. ad Amand. Epist. 1. Deus in minimis maximus est!

Sic adamas punctum lapidis pretiosior auro,
Parvula sic totum pervadit pupula cœlum.

Manil. l. 4. Quam S. Chrysostomus vocat μικρὸν κέντρον de humilit. Τὰ τίμια ὅσῳ μικρότερα, τοσούτῳ καὶ χαλεπώτερα. Vide Augustin. l. 22. de C. Dei cap. 24. &c.

CLXXIX.

JASPIS.

DEUS pacis conteret Satanam sub pedibus vestris, **Rom. 16. 20. Invenitur in Jaspide vir clypeum in collo & in manu cuspidem habens, pedibusque serpentem conculcans, ajuntque eam vim habere contra omnes inimicos, sic Rueus lib. 2. de Gemm. cap. 1. Meminit & Piccart. de Lusib. Nat. &c. Imago victoriæ spiritualis adversus Draconem infernalem: Insidiatur ille calcaneo nostro, nec fuit, excepto Christo Domino, qui morsus ejus omnes evitarit**

—— fugientis adunco
Dente pedem strinxit, virusque in corpore liquit.

Varios ille perimendi modos novit, mille nocendi artes

--- hos morsu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflatu, funestâ hos tabe veneni.

Sed qui clypeo Fidei, & enseSpiritus armati sunt, tandem conculcabunt, non suâ, sed Christi virtute, ambulabuntque *super aspidum & basiliscum*, Ps. 91. v. 13.

CLXXX.

Alia.

***Liga Sapientiæ leges ad collum tuum.* Proverb. 3. 3. Galenus legitur in digito gestasse Jaspidem, in qua vir fasciculum herbarum de collo suspensum ferens visus fuerit: Virtutem** ejus fuisse, ut gestans morbos omnes descernere sanguinemque sistere posset. Ruus ex Tethulio Judæo l. cit. Sapientia in verbo Dei patefacta *omnibus herbis & malagmatis potentior est*, Sap. 16. 12.

Omnes humanos sanat medicina dolores!

Hujus Medicinæ archiatros est Christus, discipuli verò sunt Medici. Orig. in Psalm. 37. Spernit mundus, ut --- *amaracinum fugitat sus* --- at prudens collo suspendit, cordi apponit. *Non omnium est herbarum genera virtutesq; nosse: & si quis imperitus aut nescius in agrum salubribus herbis divitem venerit, omnia inutilia & promiscuè genita existimans præteribit: at verò si peritus & doctus hunc pretiosum his germinibus agrum fuerit ingressus, omnia quæ ab aliis præterita erunt, demetet, & quæ ab ignaris erunt neglecta, mirabitur: Sic & in divi-*

divinis scripturis esse intelligendum est, &c. Hilarius in Psalm. 134.

CLXXXI.

IRIS.

Consolatio scripturarum spem facit Rom. 15.4.

Iris gemma Crystallo similis, ex argumento vocatur. Nàm sub tecto percussâ Sole, species & colores arquus cœlestis in proximos parietes ejaculatur, subindè mutans, magnaque varietate admirationem sui augens. Sexangulam esse ut Crystallum constat, optimaque quæ maximos arquus facit, simillimosque cœlestibus. Plinius l. 37. cap. 9. Ita S. Scriptura recepto fulgore à Sole patre luminum, spem in corda piorum ejaculatur, cujus figura & in Sacris literis Genes. 9. 26. & in Onirocriticis, arcus cœlestis est. *Quomodocunque apparuerit Iris in somnis, semper his qui in multâ paupertate, aut alio aliquo infortunio constituti sunt bona judicetur: Quia aëris constitutionem & statum mutat*, &c. Artemidorus. l. 2. cap. 39.

CLXXXII.

Lipare.

Nomen tuum unguentum effusum. Cant. 1. v. 3.

Lipare suffitu ad se inviat genus omne ferarum, vide Isidor.

Non eget ergò canum morsu curâque sagaci
Saltus perlustrans, lapidem qui gesserit istum,
Sternendæ satis est venabula tollere prædæ.

Marbodeus. Lapis salutis odoratissimus est,

omnes ad se gentes nationesque trahit. Denique hâc gemmâ freti fuerunt Apostoli *Venatores, cùm potentes mundi hujus ex montibus & collibus, videlicet ex diversis seculi dignitatibus, detractos, ad humilitatem Christianæ servitutis deposuerunt.* Radulph. Flaviac. lib. 13. in Levit. cap. 2. vide Jerem. 16. 16.

2. Mundo Lipare pecunia est. *Pecuniæ obediunt omnia!* Eccles. 10. 19. *Lucri* autem *bonus est odor ex re qualibet.* Sed & illud quadrat, quod feras tantùm pecudes capit.

Si dicitur à pecude ipsa pecunia; rectè
Fiet, pecus ut habeat, quod suum vocavit.

Ait Scaliger in Epidorp.

CLXXXIII.
Lyncurius.

Thesaurus absconditus cui bono ? Lyncurius electri colore lapis, ex urinâ lyncum natus creditur;

Quem mox egestum properant operire liquorem,
Et super accumulant congestæ pondus arenæ,
Scilicet invidiâ ne nostros cedat in usus.

Marbodeus. Similes sunt lyncibus qui quamvis Sapientiâ polleant, tamen Reip. nil. prosunt, opes animi sui supprimunt, & libros, si quos bonos vel ediderunt, vel edere possunt - tenebris & carcere damnant. Sir. 20. 32. Ovid. aut Lucan. ad Pison.

Abdita quid prodest generosi vena metalli?
Paullum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Horat. l. 4. od. 9.

CLXXXIV.

CLXXXIV.
Lychnis, Noctiluca.

Lychnus apparens in loco obscuro. 2. Pet. 1. 19.
--- *Flammæ similis splendenti lumine Lychnis,*
ut canit Priscian. v. 326. gemma fuit, quam Juno Hierapolitana in vertice ferebat, noctu fulgorem edens, Lucian. de Deâ Syriâ. At in vertice Ecclesiæ radiat alia Lychnis, quæ & noctu lucet, & omnibus, & sine imminutione suæ lucis. *Nunquàm sensit luminis sui damnum plurimis ignis accensus, nec minuit Solis lucem considerantium multitudo; sed quanti ad eum prosperint, tantis munera sua commodat, & ipse semper integer permanet.* Euseb. Gallus hom. 7. ad Monach. sive Cæsarius est.

CLXXXV.
Magnes & Ferrum.

Si exaltatus fuero, omnes ad me traham! Johan. 12. v. 32. Magnes alia omnia quieta sinit, ferrum duntaxat ad se trahit, & in altum sublatum quasi ostentat, etsi nec ab inferiori ulla re suffultum, nec à superiori ab aliquo visibili nexu colligatum sit, sed solâ occultâ lapidis virtute pendeat. Sic Verbum Dei, quamvis omnes audiant, solos tamen fidei alumnos capit, animis eorum occulta rerum invisibilium spe suspensis, hæc pluribus Theodoret. sermon. 5. de Cur. Græc. Ne mirére si Magnes cœlestis non omnes cum effectu trahat! Non virtu-

virtutis id defectus est, sed materiæ vitium. Obstat divino tractui, aut *rubigo* induratæ in pravum mentis, aut *adamas* actualiter contumax cordis inobedientis, de quo Zachar. 1. v. 12. Sæpè etiam *allium* pravi sodalitii retrahit halitu suo pestilenti. Hæc enim & magneti officere dicuntur, vide Scaliger. Exercit. 112. Adamas, ait Marbodeus, adducit ferrum,

Quod facit & magnes absente potens Adamante
Nam præsens Adamas, Magneti quod rapit, aufert.

CLXXXVI.

Magnes in igne. Theamedes.

Qui non mecum colligit, dispergit. Matth. 12. 30. Proverbium in hypocritas, qui se simulant stare à partibus Christi, & tamen hostibus clàm favent, aut medii & Neutrales esse volunt, quos in Repub. sua tolerare non vult Dominus, ut & Solon infamiâ notavit, qui in seditione neutram partem sequutus esset. Plutarch. in Solone. Tales erant Pharisæi, qui acceptâ à Deo legis scientiâ cum Christo stare & colligere debuissent, sed quia post principia stabant finem certaminis quod Dominus cum Satana susceperat exspectaturi, meritò pro hostibus habentur, copias Domini clàm dispergentibus. Sic Pompej sententia fuit: *Omnes adversarii sunt, nisi qui nobiscum sunt.* Cicero pro Ligario. Magnes in igne positus amittit efficaciam, cœruleam flammam & fumum sulphureum eructans; Bapt. Porta Mag. Nat. l. 7. cap. si fragmina ejus in ardente, prunas posita domum aliquam divitem vapore impleant,

Men-

Mentibus eversis, velut impendente ruinâ,
Defugient omnes inteâ quicunque manebunt,
Et fur securus rapiet quæcunque libebit,

Marbodeus. Ita Magnes ille divini verbi positus in igne livoris, ambitionis, iræque adversum Dei Filium insanæ, apud Pharisæos vim trahendi perdiderat, multos è domo Dei fugabat, furibus fores patefaciebat. Hic est ignis ille alienus, quem Deus aversatur. Lev. 10. 1. *Ignis alienus est cùm animus ardet irâ, avaritiâ, luxuriâ*, Radulph. Ibid. Sic aliquis in Æthiopia mons gignit *Theameden* qui ferrum omne abigit respuitque Plin. l. 36. c. 16. Et in Sardiniæ montibus soli magnetum, qui ad Orientem reperiuntur, ferrum trahunt, qui alias Cœli plagas respiciunt, respuunt Cassin. ex Leandro.

CLXXXVII.

Magnetici annuli.

Docete & commonete vos invicem cantionibus. Coloss. 3. v. 16. Nàm ut Magnetis spiritus, quo ferrum trahit, in annulum transfusus, ab eo aliis communicatur, ut longâ serie & concatenatione cohæreant; Ita Spiritus Divinus in Psalmis & sacris cantilenis latens, diffundit se, animosq; Deo facit adhærescere. Fit enim multò magis hîc, quã quod Angelus Politianus canit in Nutritiis:

Carmina Phœbeos videas adflare furores,
Et cœli spirare fidem, quin sancta legentem
Concutiunt parili turbam contagia motu,
Deque aliis alios idem proseminat ardor
Pectoris instinctu Vates: Ceu ferreus olim

Annu-

Annulus arcana quem vi Marpessia cautes
Sustulerit, longam nexu pendente catenam
Implicat, & cœcis inter se conserit hamis.

Qui verbum Dei diligenter tractant,& ipsiSpiritu Dei animantur, ac incalescunt, & alios atque alios deinceps inflammant, ut ab his quoque alii posteà incendantur. Sic Pharmacopolæ odorem unguentorum aliis quoque, qui cum ipsis conversantur quasi affricant. *Si unguentario*, ait S. Chrysost. hom. 52. in Johan. *aut unguentariæ tabernæ quispiam assideat, etiam invitus illum odorem accipit: longè magis qui Ecclesiam frequentat, etsi durus, & asper fuerit, tandem gemet & incipiet aliquandò audita opere implere.*

CLXXXVIII.

Medus.

Odor vitæ & mortis. 2. Cor. 2. 16. Lapis inMedorum regione reperitur, dictus

— Mortis dator atque salutis.

Nam super cotem solutus mulieris lacte, quæ semel peperit,& puerum edidit partu, cœcos multo jàm tempore,persanat inunctus; idem aquis solutus misto cotis pulvisculo, oculos lavantis extincto lumine occœcat: ex Marbodeo, & Dioscoride. Medus est prædicatio nominis Christi,qui,si lacte rationali Ecclesiæ Dei resolutus 1. Petr. 2. 2. & secundùm fidei ἀναλογίαν applicitus Rom. 12. 6. inungatur, cœcos efficit videntes. Idem aqua prudentiæ carnis, aut quam hæretici caupones Divino vino miscent, traditionum humanarum vide Esa. 1. Hieron.

aqua

aqua errorum in qua porci moriuntur Matth. 8. 32. in qua ferrum demergitur. 2. Reg. 6. 5. &c. vide Lauret. Sylv. allegor. in AQUA. temperatus, addita cotis, id est, improbi Doctoris fungentis

--- Vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi, mixtura, videntes illitus facit cœcos. Adeò
Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Ut rosa hominibus vitæ odorem afflat.
--- Rosæ tribuit Pater ipse medendi
Corpore ab ægroto varios depellere morbos,
ut canit Passeratius; Scarabæis cicuta & venenum est: Ita verbum Dei, ita Sacramenta, denique Christus ipse in utrisque oblatus, Luc. 2. 34.

Mors est malis, Vita bonis.

CLXXXIX.

ORITES, Myndan.

Super aspidem & basiliscum. Psalm. 91. 13. conf. Esa. 118. Orites niger lapis curat lethiferos morsus ferarum, &

Per vastos eremos interque feras gradientes
Illæsos servat, morsus abigendo ferarum.

Marbodeus. Similis est Myndan niveus, quem qui secum fert, οὐδὲν ὑπὸ θηρίων ἀδικεῖται Leontius apud Caussin. Innocentia insularum loco est.

Integer Vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, nec arcu!
Ut libeat cum Petronio exclamare,

ὦ maxi-

--- ô maxima rerum
Et meritò pietas homini tutissima virtus!

CXC.
Ophthalmius.

Ne quis circumveniat in negotio fratrem. 1 Theſſ. 4. 6. Accipio cum vulgo Interpretum de fraudibus & impoſturis negotiatoribus uſitatis, non de technis adulterorum quibus circumveniunt quorum thalamos inſeſſitare cupiunt, cum Hieron. quem Eſtius ſequitur. Habent autem Mercatores artes ſuas, ſua aucupia, & quendam quaſi Ophthalmium lapidem, de quo Marbodeus:

Aſſeritur furum tutiſſimus eſſe patronus,
Nam ſe geſtanti viſus conſervat acutos,
At circumſtantes obducta nube recondit,
Ut ſpoliare domos poſſit impunè latrones.

Quod in rem ſuam ſit acutiùs vident, quàm ſerpens Epidaurius, juxta vulgatum vetus: *Nihil est, Cocio ſi eſt cæcus!* ac fraudibus deniq; & perjuriis oculantiſſimos exoculant. *Quid aliud eſt cunctorum negotiantium vita, quàm fraus & perjurium?* Salvianus l. 3. de Gub. Dei, quid aliud imò, quàm quoddam *neglectum à majoribus, à nobis etiam conceſſum intra mœnia & in ipſo foro latrocinium?* ut de canino ſtudio rabularum forenſium dixit Columella l. 1. de Re Ruſt. præf. Atque etiam pejus furto *Majores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſiverunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli.* Cato de Re Ruſt. in princ.

CXCI. Fa-

CXCI.

Pantherus.

Pietas ad omnia utilis. 1. Tim. 4. 9. Pantherus, at Panthera, à qua dictus, fera diversicolor,

India quam pingit, cujus pavefacta Draconum
Voce fugit rabies, quam bestia contremit omnis;

Varios habet colores, idem niger & rubeus, viridis & pallidus, roseus & purpureus,

--- *sparsimq; colores*
Hos habet, & vario distinctus stemmate vernat.

Si quis inspiciat Sole exoriente, eo die invictus erit. Marbodeus. *Oportet rectè Philosophantem adveniente aurora cum Djs versari, procedente die de Djs loqui, reliquum tempus humanis rebus & sermonibus impendere.* Apollon. apud Philostrat. l. 1. A Pietate lucis liquidissimum auspicium est. *Manè igitur adstandum Deo.* Psal. 5. 4. & 88. 14. & 92. v. 3. ita,

--- *manè quod tu occæperis*
Negotium agere id totum procedit diem.

Plaut. in Persa.

2. Sed & à juventute operandum sapientiæ, monet Pantherus, ut invictus sis Sir. 1. 24. & 6. v. 18. Diversicolor illa est, complexuque suo omnes bonas artes vinculo quodam sororio nexas continet. Scitum enim est, *omnes disciplinas inter se conjunctionem rerum & communicationem habere.* Vitruv. l. 1. de Archit. cap. 1. Sapientes non sunt, nisi qui, ut idem ait ibid. *pluribus disciplinarum quasi telis armati sunt*, & ut habet Gratias de venatione:

--- ex omni florem virtute capessunt.

Ergò ait Ruffinus de Metris:

Vos Phœbi comites, animis hæc condite vestris
Et memores doctis componite mentibus artem:
Non unum natura dedit nos ferre laborem,
Legibus alterius pulchras quæ junxerat artes.

CXCII.
Pantarba.

Invenerunt me, qui non quæsierunt me. Esa. 65. 1. Pantarba, ut Jarchas nugatur Brachmanum apud Indos Princeps, lucet sicut ignis, lumen ejus spiritus est potentiæ admirabilis, quicquid enim propè est attrahit, lapides alios quoque in profundo maris aut fluminum, ut coacervati velut examen apum ei subjaceant. Sed inquirere nemini licet, aufugit enim nisi summa cum ratione trahatur. Philostratus lib. 3. pag. num. 141. Linquo equidem suum Pantarbam Brachmanibus, attrahant illo, quantum volunt lapidum; Ego verò cum S. Bernhardo.

Quocunque loco fuero
Jesum meum desidero!
Quàm lætus cùm invenero!
Quàm felix cùm tenuero!

Sed *non est volentis, non currentis!* Roman. 9. 16 Nisi trahat ipse, lux mundi, frustrà trahatur; Joh 6. 44. Ergò, ô Jesu! trahe nos post te, lapides no in profundo mersos,

--- durum genus, experiensq; laborum!

CXCIII.

PANDIA.

Vir duplex animo, inconstans. Jac. 1. v. 8. Hæsitans & dubius homo *Bianimis* dicitur: quia
--- animum nunc huc, nunc dividit illuc
In partesque rapit varias.
Quem, ut cum Cassiodoro loquar l. 5. variarum Epist. 34. *non immeritò Pandiæ gemmæ dicimus esse consimilem, in qua unus se fulgor non potest continere, fluctuat adspectibus tremulis, dùm lapis teneatur mobilis. Nàm quod modò videris, mox aliud ibi, si ampliùs intuearis, advertis; sic mutatum credis, quod neminem eripuisse cognoscis.* Tales sunt qui in precibus fluctuante animo, modò fidunt, modò diffidunt, quorum vota venti discerpunt. *Tantum enim quisq; accipit, quantum credit*, ut S. Machtildi revelatum ajunt, vide Blosii Monile c. 7. p. 90. Ipse Cassiodorus leves promissores confert. *Quia levissimi animi mos est, polliceri facilè, quod non disponit implere.* l. cit. sed & vaga studiosorum ingenia similia sunt, de quibus Seneca: *Nusquàm est, qui ubique est. Nihil æque sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non coalescit planta, quæ sæpè transfertur.* Epist. 2.

CXCIV.

PYRITES.

Viri diligere debent uxores ut corpora sua. Ephes. 5. v. 28. quonam modò? Sincerè, sed & cum modò, μὴ εἰς ἐπιθυμίας, Rom. 13. 14.

Uxor legitimus debet quasi census amari,
Nec censum vellem semper amare meum.
ait Petronius. Pyrites furvi coloris lapis.
Tangi vult leviter, pavidâq; manu retineri,
Nam pressus nimium digitos stringentis adurit.
Juxta Marbod. & Plin. l. 37. c. 11. Hinc Xystus Pythagoræus in Enchirid. Interp. Ruffino: *Adulter etiam propriæ uxoris est, omnis impudicus, vel amator ardentior.* Nempè si ex legis rigore judicandus sit sed apud pios Christianos fit quod ait Lactantius l. 6. c. 16. *Si libido extra legitimum thorum non evagetur, licet sit vehemens, tamen culpâ caret.*

CXCV.

Rupes Harpasæ.

Ne loquaris cum potente tanquàm cum æquali, Sir. 13. 14. Juxta Harpasa oppidum Asiæ cautes stat horrenda, uno digito mobilis, eadem si toto corpore impellatur, resistens. Plin. l. 2. c. 96. Ita cum potentibus si quis feliciter conversari velit, caveat improbè impellere. Modestè tangenti cedent, contra vim aut impudentiam adferentes, stabunt --- *veluti Harpesia cautes.* Cum Regibus, ut Soloni dixit Æsopus, δεῖ ὡς ἥκιςα ἢ ὡς ἥδιςα ὁμιλεῖν, Plutarch. in Solone extr. Quomodò & Callisthenem Aristoteles monuit ut cum Rege, *aut quàm rarissimè, aut quàm jucundissimè loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior.* Val. Max. lib. 7. cap. 2. *Regibus etiam quæ prosunt, ita tamen ut delectent, suadenda sunt.* Cestius apud Senec. Suasor. 1.

CXCVI.

CXCVI.
Sagda.

Filius hominis quum venerit, fidemne inveniet in terrâ? Luc. 18. 8.

Difficilis gemmas super omnes Sagda repertu, ait Marbodeus, nascitur enim in profundo mari, Chaldæi adhærescentem navibus inveniunt coloris Prasini. Plin. 37. cap. 10. nam ut magnes ferro sic ista ligno adhæret, *morsu --- sic fixa tenaci*

Quòd nequit abrasa ligni sine parte revelli.

Sic fides vera rara avis est! Quâ pia mens ligno crucis adhæret, & ex profundo emergens, cum Gregor, Naz. ait:

Quæro Nohæ navem, mortis quò flumina vitem!

CXCVII.
Selenites & Turcois.

Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Rom. 12. 15. Selenites

--- Jaspidis æmula gemma,
Lunares motus & menstrua tempora servat,
Crescit enim Luna crescente, minorq; minuta
Efficitur, tanquàm Cœlestibus auxia damnis:
Idcircò sanctus lapis à plerisque vocatur.
Dicitur esse potens ad amorem conciliandum.

Nihil potentius animos ligat & devincit similitudine morum, *Idem velle & idem nolle, ea demùm firma est amicitia.* Catilina Sallusti. Sancti lapides sunt qui bonorum prospera in suis commoditatibus numerant, aspera in damnis. 1. Petr. 2. v. 5.

Hi ad ædificium Templi Dominici facilè per se coalescunt. *Semper enim natura gaudet æqualibus, & familiare sibi est omne, quod simile.* Symmach. l. 1. Epist. 37. sic Rueus rem miram de Turcoide narrat, quæ mortuo domino nubilum sibi obduxerit, & rimam egerit, deindè vendita felicem dominum reperiens, pristinam pulchritudinem receperit. Michael Piccartus repetit, de Lusib. Nat. Consulem quendam Argentinensem alaudam habuisse, quæ colorem cum fortunâ ejus mutarit audire memini à fide digno. Ita servus debet domino

--- *concolor esse suo.*

Probos quosq; & Bonæ Mentis servos pro ingenio Dominico conversari videmus, Siquidem artificium promerendi obsequium est: obsequii verò disciplina, morigera subjectio est. Tertull. de Patient.

CXCVIII.

Silex bufone fœta.

Scindite corda. Joël. 2. 13. Bufones in durissimis silicibus reperiri, ubi metalla fodiuntur, inter alios prodidit Agricola de animal. Subterran. latere in medio, aditu inaccesso, ut ne quidem aurula ulla penetrare possit, quod si ruptis silicibus in lucem proferantur statim intumescere, & mori. Sic in durissimo humano corde latet non unus bufo, Feuerkrodt/Erdkrodt/ sed si malleo legis Divinæ contundatur illud, ut in confessionem erumpat, cum Davide: *Peccavi*! interit fœdissima pestis. Scindamus ergò, frustillatim discerpamus durum hoc saxum quod salit

levæ

--- *lævæ sub parte mamillæ!* Nàm.
Quid valet abscondi? quoniam sua crimina nutrit,
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.
Sedulius. Μόνη ἔμοίγε δοκεῖ ἴασις ἁμαρτίας, ὁμολογεῖντε ἁμαρτάνοντα. Arrian. lib. 7. de Exped. Alex. M.

CXCIX.

Smaragdini oculi.

Rex sedens in solio judicii, dissipat omne malum intuitu. Proverb. 20. 8. Apud Cyprios juxta Cetarias marmoreo Leoni in tumulo Reguli Hermiæ oculi erant inditi ex Smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumenta refugerent thynni, diu mirantibus novitatem piscatoribus, donec mutavêre oculis gemmas. Plin. l. 37. cap. 5, Ita bonus justusque princeps fugat oculorum quasi fulgore improborum colluviem. Odere illi istum non minus quàm ululæ Solem. Innocentia sola non fugit, amat etiam & colit, quid enim oculis Smaragdinis lætius? visuve jucundius? Ἀφοβία μεγίστη τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους. Synesius Epist. 2. Leges qui metuit, nil habet metuere.

CC.

Vitrum Dei, ollæ fossiles.

Fingit nos DEUS opere quasi Phrygio in inferioribus terræ. Psalm. 139. 14. Vitra fossilia reperiri in India quæ Dei dicantur, Gottesglaß / meminit Dn. Matthesius & ex eo Theobaldus de Arc. Nat. credo ea esse quæ Myrrhina dicuntur:

de quibus Scaliger ad Cardan. &c. Naturæ artificio fingi & pingi credidêre quos citavi & alii. Nec abnuet, qui noverit ex eadem officina eodem ingenio profectas tot pulcherrimas gemmarum, marmorum, lapidum, aliarumque materiarum picturas, sculpturas, de quibus legere est Epistolam D. Michaëlis Gehleri de gemma formicina. In Polonia apud Nohaw & Polukii, item inter duos fluvios Bober & Neuss dictos non procul à Guben & Lobersperg, ut & alibi mira ollarum forma reperitur, omnis generis, tanquam si in foro venales invenirentur, vulgò natura ita crescere & asseritur & persuasum est, de quibus Jacob Mokius de aquar. affect. Ita fingit nos Deus in abstrusis locis, ita format *hoc vas animæ rationalis* Paulin in obit. Celsi, *hoc terrestre vasculum*, Salvian. *Vas fictile, quod simul offendit ad fortunam frangitur*: Phœdrus in fab. *Vas quassum & fragile*, juxta Senecam! Sed & olim ita refinget. Quid dubitas? *Idoneus est reficere qui fecit! quantò plus est fecisse, quàm refecisse; initium dedisse quam reddidisse; ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione!* Tertull. de Resurr. carn. Quid mirum? non & in communi vita *Calix bene sibi conscius, & de diligentia ministerii commendatus, coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut adspergine florum honorabitur?* Ibid. In qua spe nunc quidem finio.

Gratia tibi ô JESU!

IN-





INDEX SYMBOLORUM.

Prior Numerus Symbolum, alter Paginam denotat.

Christus

Lapis

FINIS.



S. JEREMIÆ, VIRGA VIGILANS ET OLLA SUCCENSA

Occaſione

Terribilis nuper viſi

COMETÆ,

propoſita, & illuſtrata

à

JOH. HENRICO URSINO.



NORIMBERGÆ,

Sumptibus JOHANNIS DANIELIS TAUBERI.

Typis Chriſtiani Sigismundi Frobergeri.

ANNO M. DC. LXXXV.



A & Ω.

PROOEMIUM.

I.


Gladium vindictæ justus scelerum ultor DEUS triplici modo gestare perhibetur: 1. *In vaginâ*, accinctum femori; dùm, quamvis armatus jàm, tamen adhuc patiens, peccatorum Conversionem exspectat, malens ipsorum pœnitentiam quàm pœnam, Psalm. 45. v. 4. 2. *In ore*, nudatum; dùm bellum palàm impœnitentibus indicit, & supplicia, quæ sceleribus debentur, comminatur, quâ Verbis, quâ signis terribilibus: quæ tubæ instar creaturas in prælium adversus rebelles excitant & ad arma vocant; quædam q. *Cœli Lingua*, ut Stellam Magorum Ducem appellavit S. Augustinus, Apoc. 1. v. 16. cap. 19. v. 15. Denique 3. strictum & acutum *vibrat manu*, cùm jam inexorabilis quodammodò furit, & implacabiliter fecit obvios quosque:

Namq; injustorum justos mala ferre necesse est, ut est apud S. Prosperum, Psal. 7. v. 13. 14. Deut. 32 v. 40. 41. Ezech. 21. v. 9. & antè 3.

2. Ea verò perditorum hominum socordia & securitas est, ut neque paternis blanditiis se duci neque severis comminationibus flecti, neque horrendis suppliciis frangi patiantur; dùm tan-

dem

dèm planè efferentur, brutescant, & in exitium, quod merentur, eant præcipites. Ità iisdem mediis quibus boni meliores fiunt, mali evadunt pejores:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Uno eodemq; igni!

3. Neque hoc impiis accidit sine tremendo, sed justo, Dei judicio: Vere enim dictum est; *neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis, Securitatem.* Scilicet *eùm fata jam prævalent consiliis, omnemque animi aciem præstinguunt: Quippè ità se res habet, ut plerumq; quibus fortunam mutaturus est Deus, consilia corrumpat,* Vellejus Paterc. l. 2.

4. Nostra tempora nec accusare, nec deplorare libet. Utrumque vulgare & tralaticium est: nullicp hîc disertiores sunt, quàm qui non vident *id manticæ quod in tergo est.* Qui nuper in cœlo fulsit Cometa, quamvis terribili face omnes ferè gentes, spectatoresque toto orbe adverterit & affecerit, tamen à plerisque jam susque deq; habetur: nec desunt qui omnes artes advocant, ut doceant hæc naturæ abortantis portenta contemnere. Neque vituperandi essent, qui inveteratæ forsan superstitioni cuperent opponere remedium; nisi quo collyrio oculos parant ad acutiùs cernendum inungere, eodem omninò extinguerent, & ut veteri verbo dicam, *elucificarent.*

5. Absit à Christianis mentibus profana vanitas. Non metuamus *Cœli signa*, ut qui non metuunt Deum, Mundi fabricatorem & Iudicem. Tu-

tiores tamen sunt qui timēt dubiâ mente, quàm qui temerè feruntur securâ. Naturam magistram de talibus possumus rejicere; quia tacet; & non audire experientiam; quia fallax, aut incerta est: Quid Divina Oracula? quæ & clamant, & neque falli possunt, neque fallere? Quid deindè rerum nostrarum quis status, temporum quæ conditio sit, an ignorare possumus, ut pueri? aut non videre, ut cœci? Nihil mali prænuncient isti in Cœlo ignes, si nihil est, quod jure metuamus: imò aliquid boni, si quidquam sperare audemus.

6. Verùm, ubi Divina extant de Cometis Oracula? Dicam, cùm priùs *de Geminâ S. Jeremiæ Visione*. Hanc videre Deumq; audire interpretem, operæ erit pretium. Posteà statuat quisque quod animo allubescet: Suum cuique pulchrum, mihi meum. Eventus judicium comprobabit.

Visio S. JEREMIÆ,

Cap. 1. v. 11. seqq.

7. Versio Vulgata: *Et factum est Verbum Domini ad me, dicens: quid tu vides Jeremia? & dixi; Virgam vigilantem ego video.*

v. 12. *Et dixit Dominus ad me; Benè vidisti: quia vigilabo ego super Verbo meo, ut faciam illud.*

v. 13. *Et factum est Verbum Domini secundò ad me dicens: Quid tu vides? & dixi; ollam succensam ego video, & faciem ejus, à facie Aquilonis.*

v. 14. *Et dixit Dominus ad me: ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ.*

v. 15. *Quia ecce Ego convocabo omnis cognationes*

nes regnorum Aquilonis, ait Dominus, & venient, & ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, & super omnes muros ejus in circuitu, & super universas urbes Juda.

v. 16. *Et loquar judicia mea cum eis, super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libaverunt Diis alienis, & adoraverunt opus manuum suarum.*

Hanc interpretationem cum fontibus & aliis versionibus, inter explicandum, conferemus, compendii gratiâ.

8. Præmitto autem, oblatam visionem istam Prophetæ nostro in ipso vocationis Divinæ initio: *Anno* scilicet *Regis Josiæ XIII.* quo ipso *Nabuchdonosor M.* Babyloniorum Rex, junctis cum Prosocero *Cyaxare* Rege Medorum, cujus Neptim in matrimonio habebat, viribus, *Nineven* Assyriacæ Monarchiæ Metropolin, cepisse, & tandèm evertisse post annos aliquot, fertur: vide quæ ex diversis Chronologis dixi, in Isagogâ p. 169. 170. & h. l. Cornel. à Lap. Illud indubium, incidisse hanc visionem in primordia surgentis Monarchiæ Babylonicæ, quam Deus ideò voluit suscitare & extollere, ut fastum & insolentiam Regni Judaici deprimeret. Evénit hoc annis pòst XL. occupatâ à Babyloniis Hierosolymâ. Hic visionis nostræ fuit eventus.

9. Eam, ut per partes explicemus, considerabimus 1. *Materialiter*; Quid viderit Propheta? 2. *Formaliter*; quo fine? & quæ visionis significatio fuerit?



De PRIMO: Quid viderit Jeremias.

Duo indicantur; inter ſe tamen,ut fine & ſignificatione,ità & tempore ac loco conjuncta; *Virgam* primò *vigilantem*; *ollam* deindè *ſuccenſam*, vidiſſe ait.

10. Virga vigilans in fontibus Hebraicis eſt, מקל שקד *Makkel Schaked.* *Makkel propriè Baculus, voce videlicet non abludente ab Hebræâ, M. cum B. ejuſdem organi elemento permutato*, ut ait Marinus in Arcâ Nohæ. Avenarius conjicit per literarum Metatheſin hinc dictum *Calamum*. Derivari videtur à *Kalal*, q. d. baculum *levem*, qui manus geſtantis non oneret,aut & lævem, *levigatum*, politum: quales ſibi è lignis decorticatis faciebant *paſtores*, Gen. 30. v. 36. 1. Sam. 17. v. 41, Zachar. 11. v. 7. &c. Ponitur etiam pro baculo, *Viatorum*, Gen. 32. v. 10. Exod. 12. v. 11. *equitantium*, Num. 22. v. 27. & pro *Sceptro Regio*, Jerem. 48. v. 17. cum epitheto, *baculus gloriæ*. Quid inter ſit inter, מטה *Matte*, פלך *Pelech*, שבט *Schebbet*, משען *Miſchan*, quibus ferè nominibus iſta geſtamina manuum, quæ vel dignitatis inſignia vel greſſuum fulcra, vel defenſionis, aut aliorum inſtrumenta ſunt, ab Hebræis appellantur, inquirere non eſt hujus loci.

11. Epitheton baculi *Schaked*, à radice *Schakàd feſtinavit, ſedulus fuit, maturavit, vigilavit*, varias admittit interpretationes: propriè *amygdali* nomen eſt, ut dixi Arboreti Bibl. cap. 31. ubi de

h. l.

h.l. Jeremiæ. Hinc LXX. habent Βακτηρίαν καρυΐνην, Theodotion, ἀμυγδαλίνην, Aquila & Symmachus, γρηγορῦσαν, ut Vulgatus, *Vigilantem*. Cætera mox dicam, & expendam.

12. Venio ad OLLAM SUCCENSAM: סיר נפוח *Sir naphuach*, Hebr. *Sir* vas coquinarium rotundum significat, in quo ad ignem admoto, carnes & pulmenta coquuntur. Vulgatus *ollam* & Græci λέβητα habent. Levitæ 2. Paralipom. 35. v. 13. dicuntur coxisse, *sanctificata*, hostiarum carnes, *Bassiroth, ubaddvadim, ubazzelachoth*, in *lebetibus*, *cacabis*, *ahenis*, *ollis*, *caldariis*, &c. LXX. habent ibi χαλκεῖα καὶ λέβητας: hîc verò λέβητα ὑποκαιόμενον. Vocabulum tamen *naphuach* propriè indicat, *exsufflatam*, quod quidam *ebullientem*, *ferventem*, vertunt: Emphasis est in Hebræo: q.d. ollam aheneam, circumdatam flammis, easque q. undique eructantem, ut fit, cùm vehementi flatu inspiratur. Causa ponitur pro effectu, ut Jobi, 41. v. 12. Es. 54. v. 16. Ezech. 22. v. 20.

13. Hinc colligo vidisse Prophetam nostrum in cœlo,

COMETAM.

Quod ut obtineam, 1. præmitto; *visionem hanc non fuisse imaginariam, sed externam, sensibilem*, oculis ipsius objectam; quomodò Moses vidit Rubum ardentem, Exod. 3. v. 2. Verba clara, bis vidisse, significant. Neque ulla apparet ratio, cur à propriâ verbi, *videre*, significatione recedendum sit? Imò contrà est, quod à certo cœli cardine vidisse advenientem ollam dicitur. Quid opus erat ut ima-

ut imago hæc in imaginativâ efformaretur? aut quomodò depingi potuit? quàm multa hìc addenda & inferenda verbis Prophetæ, ut hæc per imaginationem oblata intelligantur? Scilicet: & cum Dominus imaginationi meæ formam, primò baculi, deindè ollæ, impressisset, sivè per semetipsum, sivè ministerio angeli alicujus factum est Verbum ejus ad me, dicens: Quid vides? id est, oculis feriantibus & otiosis, quam imaginem animo concepisti? vel ut apud Ghislerium est; *quidnam est illud, quod Prophetarum more imaginariâ visione intueris?* aut ut apud Castrium; *ostenso spectro hunc ad me sermonem fecit Dominus*, &c. Talia interponere nulla urget necessitas. Potuit enim videre oculis corporeis, ut cœlum ipsum, verso vultu in Aquilonem: imaginatione non potuit; nisi Cœlum quoque & terra, oculis à sensu abductis, animo per spectrum repræsentarentur. Verùm etiàm finis visionis & utilitas persuadet, vidisse quod verè visibile esset, & ab aliis quoque conspici posset, ac deberet. Vidit enim non sibi, sed universo Populo. Itàque quod Chislerius habet in Paraphrasi: *Enarra amodò, quid singulariter videas, quod ab aliis minimè cernitur: Tu instar totius Judaici populi oculus intuens, quæ illi immineant, expone, quod cernis, ut quantum in te est, id ab eis evitari queat*: partim accipio partim respuo. Accipio; Prophetam, *Videntem* scilicet, quod Prophetarum proprium nomen est, totius Populi in hâc visione oculum fuisse, ut & ad videndum adverteret securos, & visum ipse divino oraculo interpretaretur: Solum vidisse,

diſſe, neque verba indicant, quibus niſi cogat neceſſitas, nihil addendũ eſt;& finis refutat. Fruſtrà puto vidiſſet, ſi ſibi ſoli. Nã ſi in ipſo muneris ſui exordio, ſpectrũ tale vidiſſe naraſſet omnium naràſſe creditus, fidem apud præfractum populum nullam inveniſſet. Novo igitur prodigio de cœlo, Prophetæ firmanda erat auctoritas, oculisque priùs apertis aures erant contumacibus reſerandæ, animusq; ad attentionem excitandus. Accedit ratio ab ipſo viſionis tempore: Nam eo ipſo anno Rex Joſias in eam curam ſeriò incubuit, ut everſis idolis, deſtructisq; ſacellis, avitam religionem reſtitueret, 2. Paralip. 34. v. 3. & ſeqq. Sed & circa hunc articulum temporis ſurgebat nova Babyloniorum Monarchia, exitio regni Juda. Has regnorum mutationes prodigiis prænunciari ſolere quis neſcit? Et ſi nulla tunc temporis conſpecta fuiſſent; nihil inſolitum, viſuq; horrendum, mentes exterruiſſet; quis prudenter Prophetæ crediciſſet, viſa ſua narranti, ultimamque cladem minitanti regno, quod, tàm pius & de pietate tàm ſollicitus, Rex tùm adminiſtrabat? quem, niſi mors cruenta rebus humanis exemiſſet, aureum quoddam ſeculum in Judæam reducturum, quis non ſperâſſet? Quid? quod in Novo Prophetâ, homine adhuc juveni, nihil reperiebatur, quod aliquam auctoritatem ei conciliare poſſet, apud auditores, inprimis in ſummâ dignitate conſtitutos. Itàque, quod & aliâs fecit Sapientiſſimus juxtà ac optimus, Maximus Deus; inſolito aliquo ſigno præparandi erant animi, nondùm planè obdurati, ut

fidem dicenti haberent, pœnasque pœnitendo si non omnes, tamen æternas evitarent. Ita *Hoseæ* Prophetæ mirabile connubium, pestis locustarũ tempore *Joëlis*, *Amosi* terræ motus, quæq; spectra Regibus Babyloniis tempore *Danielis*, dormientibus aut vigilantibus, oblata fuerunt, animos excitârunt & erexerunt, ut rebus præsentibus admoniti, post facta. Verba Dei admitterent, aut si spernerent, nullam posteà excusationem invenirent. Quamobrem ità censeo; visionem hanc fuisse sensibilem, nec à solo Prophetâ conspectam: idque & vero similius, & suavi providentiæ divinæ rationi esse convenientius. Quod & PP. Græcis placuisse, audiemus.

Segniùs irritant animos commissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

14. Jam quod Cometam viderit 2. *probo*: 1. per ἀνασκευὴν aliarum interpretationum. Nam edisserat nobis aliquis, quomodò potuerit videre baculum aut Virgam vel vigilantem, vel festinantem, vel nuceam, aut amygdalinam? Audio Hebraizantes; visam fuisse *virgam amygdalinam, quod amygdalus prima floreat, fructumque maturet*, quâ de re dictum satis in Arboreto cap. 31. cit. Audio Græcos; *Virga amygdalina celeritatem vindictæ indicat: floret enim hæc arbor ante alias*, sic Theodoretus h. l. sed cur *nucea* dicitur? *Quia lignum* hoc στερρὸν καὶ βαρὺ καὶ πληκτικὸν, ut Severus in Catenâ, & Olympiod. aut quia *nux naturâ suâ vigilias inducit*, ἀγρυπνίας ποιητικόν ἐστι, iidem. Sic Cyrillus Alexandrinus: *nuceam Virgam*

gam capiti suppositam vi naturali efficere vigilantiam, l. 10. de Adorat. Audio Hieronymum; *Quomodò Nux, sivè Amygdalus, amarissimum habet corticem, & testâ durissimâ cingitur, ut detractis austerioribus & duris, fructus dulcissimus reperiatur: Sic omnis correptio, & labor continentiæ, amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos.* Hæc quidem ità sunto; Verùm cùm certum sit apud omnes; non baculum verum, sed formam baculi visam, rogo; quomodò potuerit Propheta nuceumne, an amygdalinum viderit discere? aut materiam discernere? Hìc nihil apud Interpretes invenio: nisi quod Ghislerius animo advertit hoc quæri posse, & Paraphrasin sic instituit; *Video Virgam absque ullo vel florum, vel foliorum decore: imò ità atram & asperam, ut gravem illam appellem baculum nuceum, ad percussionem paratum: quam & ità celerem suâ ipsa denunciat vibratione, ut & amygdali illam dicam.* Sed hâc ratione non vidit ille baculum nuceum, aut amygdali; verùm talem, quem ipse utroque nomine appellavit, cùm ex neutro esset ligno.

15. Esto tamen, viderit aliquid baculo sivè nuceo, sivè amygdalino simile, potueritq; tàm accuratè cognoscere, cujus ligni essent? Quoniam modò verò vidit vel *vigilantem*, vel *festinantem*? Hugo Cardinalis, *Virgam vigiliarum aut Vigilantium* intelligit *Uncinum Latronum, quo de nocte Vigilantes dormientium bona per fenestras extrahunt: ut Judææ exspoliatio significetur:* quod refellit Lyra. Maldonatus notat, *non potuisse quosdam intelligere, quomodò Virgæ vigilare conveniat?* Quare ipse expli-

plicat; *Virgam visam Vigilantis DEI*: aut *Vigilantem*, id est, *nimis manè surgentem, nimis festinè germinantem.* At hoc est nodum nodo solvere. Recurrit enim quæstio: Quomodò vidit ille Virgam nimis manè surgentem? aut undè cognovit, esse de ligno nimis festinanter germinante?

16. Viegas apud Cornel. à Lap. h. l. *Vigilantem* exponit *oculatam*, *vel oculos apertos & vigiles habentem.* Sic ajunt Ægyptiorum Hieroglyphico Deus significabatur *baculo* aut sceptro, *cui insculptus, aut impositus esset oculus*: quod & Castrius adfert. Eleganter, si modò Propheta assentiretur. At quid ab ejus verbis remotius? Ergò Ghislerius putabat, *visam hanc Virgam in manu Dei, meritoque dictam Vigilantem*, *quod extensa visa esset*, & *Vibrans*, aut ut vertit Vatablus, *imminens.* Neque aliter tandem Cornel. à Lap. qui refert ex Theodoreto, Simeoni Stelitæ similiter in visione conspectas duas Virgas, Cœlo delapsas; quarum altera in Orientem, altera in occidentem lata, Persarum Scytharumque impressionem in Imperium Romanum præsignaverint. Mitto ejus generis alia, quæ operosè refutare velle, otio abutentis esset, & operâ. Placet quod concludit Cornelius: *Hæc ergò Virga vigilans ostensa Jeremiæ, fuit similis ostento, vel portento Cometæ, qui specie Virgæ aut gladii apparens, pestem, bellum, & vastitatem, quasi indè ex iræ Dei portendit hominibus.* Ego tamen non similem, sed omninò Cometam fuisse.

17. *Probo 2.* per καζοκευὴν: Neque nunc utar conjecturis, ex historiis de Cometarum ortu & eventu petitis: quod ante Regnorum, in præci-

piti

piti stantium, ruinam, novorumque exortum, sæpè visi fuerint Cometæ, quibus indè agnomen datum, ut dicti fuerint - *mutantes regna.* Hanc antiquissimam fuisse Sapientum persuasionem Bileam Magus testari videtur, dùm prædicit: *exorituram Stellam ex Jacob, & Sceptrum ex Israële*, Num. 24. vers. 17. Sanè Messiam, Stellam illam Matutinam, præcessit Stella, Lux & Dux Magorum, natum mundo Regem significans, qui omnia hostilium Regum imperia sibi subjecturus esset. Verùm de his posteà.

18. Nunc uno utar hoc argumento; quod hæc Sententia, per se non absurda, imò probabilis, ità comparata sit, ut optimè Verbis Prophetiæ consentiat, & omnes Versiones conjungat & conciliat, *Explico* igitur & applico.

Jeremias à Deo *sanctificatus*, excitatus, & ad Sacrum hoc ministerium segregatus, jussus edicere, quid oculis videret suis, in cœlesti regione objectum ad contemplandum? cùm oculos per Cœli plagas circumduxisset, ab Aquilonari parte conspexit exorientem Cometam, primò caudam suam supra Horizontem terris ostendentem, motuque celerrimo tendentem versus Hierosolymam: Paullò post iterùm, jussu Dei, ad hoc prodigium conversus, ipsum crinitum ignibus corpus, jam in cœlum provectum, supra Horizontem spectavit.

Figura caudæ similibus visa fuit *Baculo*, & quidem *amygdalino*, sivè quod LXX. habent *nuceo*: nam & Amygdali pomum nux est, & sunt arbores cognati generis. Ideò autem *amygdalino*,

quod

quod ejusmodi baculi *insigne* essent, quod gestare solebant in Judæâ *Principes Tribuum*, & *Populi Judices*. Probatum dedi in Arboreto cap. 31. & colligitur ex Num. 17. v. 6. 8. ubi Cyrillus in Catenâ Zephyrini: *Quod è Virgâ Aaronis eruperint amygdala, multò magis congruum fuit, quàm si nuces alias, aliosve fœtus Virga tulisset. Erant enim omnes Virgæ amygdalinæ, de more ejus gentis. Ex eâ enim arbore potissimùm scipionibus utebantur, quæ Symbolum gerit Vigilantiæ*, quod ex h. l. Jeremiæ confirmat. Similis mos alibi gentium fuit, ut magistratus gestarent baculos, ut in Arboreto dixi. Sic *Centurionum in manu vitis, quæ etiam in delictis pœnam honor abat*, Plinius l. 14. c. 1. quod Romanos cives non alio fuste fas esset cædere. - *Latiæq; superbum Vitis adornabat dextrâ decus*. Silius 12. vide Alex. Neapol. l. 6. Genial. cap. 18. & ibi Tiraquell. contrà *baculo castigati servi*, ut apud Frontin. 1. Stratagem. c. 1. n. 3. &c. Undè apparet, cur Propheta dixerit, se videre *baculum amygdali*, gestamen notum Judicum, eumque & festinum & imminentem, ac q. in pœnam Vigilantem, maturè germinantem, & ad feriendum expergefactum? At *corpus Cometæ* cavum, cavum, rotundum, undiq; ignibus circumdatum, potuitne aptiùs comparari ulli rei, quàm *ollæ ferventi abeneæ?* ostendam pluribus, cùm de Cometis ipsis agendū erit.

19. Quid obstare possit, equidem nondùm video. *Nova* videbitur hæc sententia: sed non est; placuit & aliis, displicuit nemini. Veteres de sensu allegorico, aut tropologico solliciti, de historico parum dixerunt, nec nostro contradixerunt.

Pro

Pro nobis tamen facit, quod ajunt, hæc ideò per visionem exposita fuisse, quod τῶν πραγμάτων ἡ ὄψις τῶν λόγων ἐναργεστέρα *rerum ipsarum intuitus evidentior sit quàm* Verba, *magisque mentem percellat*, ut Theodoretus h. l. & Olympiodorus in Catenâ. Vidisse ergò oportuit, non Prophetam solum, nec tantùm per imaginem in animo expressam; sed etiam Populum, quem unicè verbis factisq; percelli conveniebat. Vidit ergò hic quoque ostentum: quodnam? si non Cometam? Nam quod fortè dicat aliquis, *distinctas res visas Prophetæ, & non unam*; Virgam puta, & deindè ollam: & sic à Pictoribus visionem hanc depingi: frustrà est; nàm & cauda atque Cometæ corpus distinctę res sunt; neque enim illa hujus vera pars est: & utramque eodem loco ac tempore, distinctè tantùm, intuitus est Propheta; quod cauda prior exorta esset, corpore adhuc latente: Tùm nec illa verè baculus aut Virga, neque hoc olla fuit; sed ex impositione Prophetæ propter similitudinem sic dicebantur.

Denique -- *pictoribus atque Poëtis*
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

20. Quæ cum ità se habeant, possumus ex hac visione contemplari

SACRAM de Cometis Physiologiam.

Equidèm cum Tertulliano *adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat & facta,* **adv. Hermogen. c. 22. soleoque non rarò & nostra**

ſtræ iraſci ignaviæ aut negligentiæ, & deteſtari quorundam impietatem: nam neque opera Dei ex ipſius ore inveſtigamus, & ſunt, qui in iis quæ naturæ ſunt, Deum ipſum teſtem refutent. Ariſtoteles fortaſſis meliùs novit, quæ DEI ſunt, quàm Deus ipſe. *Natura Magiſtra eſt, anima diſcipula: quicquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, à DEO traditum eſt, Magiſtro ſcilicet ipſius Magiſtros,* Tertull. de Teſtimon. Animæ. Audiamus igitur hanc, ſed & iſtum ipſum. Non poſſunt diſcordare: quod altera non poterit edocere, docebit alter: & quod hic reticebit, illa fortè expromet, ſed non ſine iſto.

21. De COMETIS, præter ea, quæ oculis ducibus indagavimus, pauca naturâ monſtrante aſſequuti ſumus, Cauſſarum, propriarum & proximarum, in profundo Democriti puteo abdita latet veritas. Neque ſatis Deus adhuc ſcire voluit, ut ignorantiæ noſtræ conſcii, caveremus ſcrutari ſuper cœleſtia, quibus nec huc quidem usque pervenira conceſſum ſit. *Furor eſt, profectò furor, egredi ex hoc mundo, & tanquàm interna ejus cuncta planè jam ſint nota, ità ſcrutari extera*, ut piè dixit homo non valdè pius, Plin. l. 2. c. 1. Quia tamen hoc quoq; opus ſuum, non minimum ſpectaculorum cœleſtium, adſpicere & noſſe nos voluit Deus; quod Natura vel negavit, vel occuluit, quantum ſatis erat, & noſtrâ ſcire intererat, Verbo tuo manifeſtavit.

22. Ac *de cauſſis* quidem Cometarum nihil ſtatui poteſt, niſi *de loco ortus* priùs conſtiterit. Illud autem tandem ferè definitum eſt: alios eſſe *aërios*

& ſu-

& ſublunares; alios *æthereos*, & Lunâ ſuperiores. Nam *Ariſtoteles* quidem omnes in ſupremâ regione aëris locavit: *Aſtronomi* verò, ſecuti veteres quosdam ante Ariſtotelem, quos ipſe refutare nititur, 1. Meteorolog. c. 6. in ipſo æthere, & quidem *Tycho Brachæus* omnes, ut apud Voſſium 3. de Idololatr. c. 9. Sic *Cardanus* apud Scaligerum Exercit. 79. *In cœlo eſſe neceſſariò.* Experientia docuit ut ubique generari poſſe, ut docet Voſſius l. cit. Mitto argumenta & teſtimonia plura; non enim hoc ago. In aëre natos exempla docent, quæ affert *Fromondus* & repetit *Senguerdus*: In Cœlo ipſo, & quidem aplane, inter ſtellas Fixas produci poſſe Novas ſtellas, argumento eſt, quæ in Caſſiopeâ ferè biennio viſa fuit, An. 1572. & concedunt *miraculo productam* Connimbricenſes.

23. Quid S. Literæ? hoc invenio; argumenta, quæ Ariſtotelici proferunt, *cur nulli Cometæ, nulla novæ ſtellæ in Cœlo generari poſſint?* diſſolviſſe. *Primum eſt*, quod Cœlum ſit adeò *æternum*, ut tales transmutationes ſubire nequeat: nihil ergò illic generari per naturam, nihil corrumpi poſſe: *alterum*; quod nova iſta ſidera generari nequeant, niſi partes Cœli aliæ rareſcant, aliæ condenſentur: hoc per naturam non eſſe poſſibile; eò quod Cœlum *non ſit naturæ fluidæ*, ſed conſiſtentis & ſolidæ; ità Connimbr. 1. de Cœlo cap. 3. pag. 47. m. Utrumque Scriptura negat, quæ nobis & liquidos deſcribit Cœlos, & corruptioni obnoxios, quod argumentum *Cornel. à Lap.* tractat in Eſai. cap. 34. v. 4. & in 2. Petr. 3. v. 10. ubi rectè: *Ariſtoteles ſequi potiùs S. ſcripturam debet, quàm*

 præire:

præire: operosè idem probat *Caramuel* in Philosophiâ l. 3. pag. 188. & deinceps, inprimis ex consensu omnium ferè, præter Aristotelem, Sapientum. Couclusio est: *Sit igitur ratum & certum, Cœlos esse pervios & corruptibiles*: & tandem; *viderit igitur sincerus lector, utri debeat opinioni subscribere? an illi quam propugnant Ecclesiæ Romanæ* (imò universæ) *Patres, doctores veteres, & utriusq; ævi Theologi; quam Philosophi suadent, demonstrant Mathematici, & Sapientiæ floridioris Professores exornant? an illi, quam Veteres sugillant, juniores notant, & rationes robustissimæ expugnant?* Neque pluribus hîc opus est.

24. Jam *aërios* ex Elementari, materiâ constare, vereque ardere igne elementari, sed subtiliore, plerique concedunt. De iis qui *in ipso æthere* apparent, lis est fortè nunquàm componenda: *an oriri possint ex vaporibus elementaribus eousque elevatis?* Quæ sanè Stoicorum & aliorum opinio fuit; *ex cœlo & terrâ omnibus etiam stellis alimenta dividi*, ut dixit Seneca: de quâ multa Lipsius Physiolog. Stoicor. l. 2. Differt. 14. *An ex aurâ ipsâ cœlesti condensatâ? aut ex iis nebulis, quas ipsa corpora cœlestia evaporant?* quod quidam ex diversis Lunæ in deliquiis apparentibus coloribus, ex Solis maculis, ex nubilo quod in orbem Jovis planetā circuitu suo cingit, & aliis confirmāt. Quanquàm istæ opiniones non adeò videantur pugnare, ut conciliari nequeant. Nota est sententia, *omnia elementa ex se invicem generari*, per rarefactionem & condensationem: ità ut venustè Ancreon;

Et Terra nigra potat,
Potantq; Ligna terram, *Potat-*

Potatque Pontus auras,
Sol potat ipse Pontum,
Ipsumq; Luna Solem:

Terra igitur, rarefacta alit aquam; hæc aërem; ille ignem; id est æthera: æther corpora stellarum: & viciſſim hæc vapores aliquos exhalant, qui condenſati deſcendunt, augentq; aërem ut hic aquam, & hæc terram. Mirâ & ſuavi divinæ Providentiæ ratione? -- *alterius ſic*

Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Atque hæc eſt illa *Catena Homerica*, aut potiùs Prophetica, indicata Hoſeæ c. 2. v. 21. 22. Nec adeò abſurdi vetuſtiſſimi ſapientes Ægyptiorum, qui teſte Lucano l. 10.

-- *Oceano paſci Phœbumque Polumque*

crediderunt. Credidit etiam Ambroſius, 2. Hexaëm. c. 3. ideoq; Solem *frequenter madidum & rorantem* adſpici; hancque eſſe cauſam, quod mare falſum ſit: *quia quod purum & leve eſt ſibi, rapiat, quod verò grave atq; terrenum relinquat.* Sanè Phyſici, qui ſalſedinem mari à Creatore inditam ſtatuunt, non negant eam augeri & conſervari à Sole, quod tenuiores & dulciores vapores educat: itaq; æſtate & ſub Zonâ torridâ ſalſius eſſe. Sed hoc agamus.

25. Noſter Cometes in quam Claſſem referendus ſit? neſcio anquis divinando queat aſſequi. Si Soli Judææ minacibus flammis imminebat, quod innuit Propheta, *elementaris* fuit. Quod ſi cæteris quoque per Aſiam, & Africam regnis, cladem & ruinam eam, quam à Babylonicâ Monarchiâ debebant exſpectare, præſignificavit, al-

tiùs evectus fuerit oportet, ut & illis imminerer, & supra vertices illucesceret. Atque hæc *de materiâ* satis; quæ & S. Scripturæ, & rectæ rationi benè conveniunt.

26. *De causâ Efficiente* Ratio sibi relicta nihil certi exsculpere potest. Etenim quamvis concedatur Cometas ex Vaporibus vel aëriis, vel æthereis coalescere, vel quod idem est, *ex igniculorum atomis* in unum corpus coire & condensari; tamen *quæ causa sit condensationis*, quæque *formam multiplicem, coloresq; varios effingat, locum designet, motum cieat, tempus determinet*, ratio ex principiis naturalibus firmiter vix unquàm demonstrabit. Quotquot hoc aggressi, tandem intellexerunt, se in Labyrinthum inexplicabilem ingressos, undè vestigia relegere nequirent: Itàque fatentur tandem, multa hîc naturæ arcana adhuc latere, neque peplum ejus à quopiam retectum esse. Quare, ut in Cœli siderumque motu, *ad Intelligentias*, DEI ministras, & DEUM ipsum Primum Motorem, recurrendum fuit, de quibus D. Jacob. Martini l. 2. Exerc. Metaph. 3. pag. 580. & seqq.

27. S. Scriptura innumeris locis, etsi naturales causas non negat; DEUM tamen hæc talia, ut fulgura & fulmina, ventos & turbines, nubes & pluvias, *ex abditis suis thesauris, ex armamentariis* suis, producere affirmat; quod peculiari quâdam ratione tàm in efficiendo, quàm in gubernando concurrat, his maximè rebus majestatem & gloriam suam manifestans. Quâ de causâ etiam Cleanthes, *inter quatuor causas, quibus dixit in animis* *homi-*

hominum informatas esse DEI Notiones, *hanc posuit, quæ terreret animos fulminibus, tempestatibus*, &c. *tùm facibus visis cœlestibus, & stellis iis, quas Græci Cometas, nostri crinitas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænunciæ*, ità Cicero 2. de Nat. DEor.

28. Quare, quanquam naturæ vi Cometas, maximè elementares, citra miraculum, existere posse, concedamus; tamen ad eorum figuram, motumque planè extraordinarium, ipsumque tempus generationis ac durationis, divinam virtutem effectricem, ac motricem concurrere, exemplis docet S. Scriptura, & experientia confirmat, Christianique Philosophi agnoscunt, ac prædicant. Quicquid fuit, *quod Jeremias vidit, ab Angelis*, divinâ voluntate, *effectum, motumque fuisse*, negari nequit. Sed & *stella illa quæ Magis ad Christum præluxit*, quam ex naturalibus principiis productam nulla vetat ratio, non potuit istum in modum moveri, & quiescere, nisi *Angeli ministerio. Si nescis veram hujus pueri Deitatem; attende stellam in cœlo fulgentem, Magos præcedentem, & iter ignorantibus ostendentem. Hæc stella nunquàm antè apparuit; quia nunc eam Puer iste creavit, & Magis ad se venientibus præviam deputavit*, ut ait Fulgentius in serm. de Epiphan. ubi, *in Cœlo*, intellige, in aëre: *non enim illa in Cœlo sydereas vias tenuit, sed hominibus quærentibus ad Christum viam, usque ad locum in quo natus fuerat demonstravit*, August. de Temp. serm. 34. Idem affirmandum de Cometâ, qui antè excidium, urbi sanctæ integro anno superimpendisse perhibetur à Jo-

Sepho, *supra urbem ait stetisse sydus gladio simile, totoque anno perseverâsse Cometam*: præmiserat autem Judæos sprevisse prodigia, & *velut attonitos, qui nec oculos haberent, neque mentes, DEI edicta insuper habuisse*, l. 7. de B. Jud. cap. 12. Sed de his posteà, cùm de significatione, ipsoq; fine Cometarum, dicemus.

29. *Species* hujus Meteori, *ex situ*, duæ sunt: alii enim Cometæ ut dictum aërii, alii ætherei sunt: *ex figurâ*, triplices vulgò, criniti, barbati, caudati: si *motum* spectes, plerique moventur quidem; sed & aliquandò sunt immobiles. Sed & *coloribus* differunt, candidi, rubri, cruenti, flammei, &c. Noster Prophetæ videtur fuisse *aërius: Caudatus*, sed corpore ipso non exactè rotundo, *in modum aheni*, aut ollæ: nàm nec sydere omnia orbes sunt; nec falsus *Cleanthes*, qui quædam κωνοειδῆ esse statuit, apud Stobæum in Eclog. *Cavum* quoque instar vasis dicti, & pellucidum fuisse, qui radios Solis accipere & in caudam transmittere posset, nihil prohibet. Nam *cauda* non est pars corporis, sed fulgoris appendix. *Cometarum corpus corrotundatur, splendor autem longior, quàm cæterorum syderum apparet*, Seneca 7. Q. Nat. cap. 26. Qui tamen non tàm ab ipso, quàm à Sole, radios suos q. per vitrum trajiciente: quod hoc argumento constare ajunt, quod *semper caudam projicere soleat à Sole aversam*; post occasum Solis, versùm orientem, ante ortum in occidentem: uti quem nuper conspeximus. Habere tamen *proprium ignem & lumen* disputant, contra Scaligeri Exerc. 79. neque toto corpore transmittere radios Solis,

lis, sed soloq. capite, aut cerebro: undè tanta *caudæ varietas*, ut modò clarior, modò obscurior, modò recta, modò obliqua, nunc simplex, nunc bifida aut trifida appareat.

30. *De Figurâ* testatur Propheta *flammeum* sibi visum instar *ollæ exsufflatæ*: quo ipso indicat *flammam non* visam sibi *sinceram; nec tenuem, sed multum circa se volventem fumidi ardoris*, ut de simili Seneca l. cit. cap. 17. *Caudam* verò habuisse *baculo similem*, albo, decorticato, rectam & simplicem; quales sunt, quos Græci vocârunt *Acontias, qui jaculi modo ocyssimè vibrantur*, Plinius l. 2. cap. 25. *Motus Terminus à quo*, plaga Aquilonaris, respectu Hierosolymæ; quæ quodammodò ab ortu habebat mare mortuum Orientale dictum; ab occidente, Mediterraneum; à meridie desertum Pharan. & Ægyptum; à Septentrione Chaldæam & Babylonem, juxta descriptionem Sacrorum Auctorum: *Terminus ad quem*, Judæa, ejusque caput & Regina urbs Sancta dicta: ferebatur ergò à parte Boreali, quæ inter Ortum & Septentrionem est, Nordosten; in partem Meridionalem, quâ ad occidentem vergit, Sudwesten: Et quia caudam huc porrigebat, à Sole sequenti aversam, ante lucem summo mane conspectum fuisse consequens est, ex dictis. Videtur autem Propheta non tantùm spectavisse *motum communem*, quo mundus ab ortu in occasum volutus cœlestia secum rapit; sed etiam *proprium celerrimum*, à Septentrione in Meridiem. Nam prior æqualis est, & statâ celeritate absolvitur; hoc verò prodigium festinâsse dicitur. Ratio

 hujus

hujus festinationis nulla certa ex naturâ adferri potest. Nam quod *igneum modò alimentum suum sequutus* hic Cometa, quæ quorundam opinatio est, *fortè dicatur*; nihil est: stare potiùs debuerat, ubi natus erat, *in Septentrione, ubi plurimum est aëris pigri*, crebrioraque meteora ignea: vide Senecam l. cit. cap. 21. & quod *de impulsu syderis alicujus dominantis* dicitur, quo Cometæ moveantur, gratis dicitur. Rectè ergò Vossius de Idoolat. 3. cap. cit. 9. *Hujus motus quia rationem ignoramus, [nam valdè infirmæ sunt causæ, quas adferunt viri eruditi,] confugiamus sanè, dùm certiora se offerant, ad extremam anchoram, ut Angelico ductu ferri credamus.*

31. *De Tempore generationis* dictum est suprà num. 8. Ortum visumque anno Regis Josiæ XIII, & quidem, ut modò, *ante Solis ortum* summo diluculo: Si mensem, diem & horam nossemus, possemus quoque scire, sub quo signo Zodiaci. *De Durationis* morâ, & ubi extinctus fuerit ac quandò? nihil reperimus. Si vera esset observatio Astrologica, quam Cometa belli Germanici, Anno 1618. prænuncius, suggessit, durare & lucere has faces tot diebus, quot annis secuturus eventus; Diebus fortè LXX. visus fuisset: tot enim annis vasta jacuit Judæa post excidium Babylonicum, Jerem. 25. v. 10. 11. Aliâs *brevissimum, quo cernerentur, spatium septem dierum annotatum est; longissimum* (Centum &) *octoginta*, Plinius 2. cap. 25. Seneca 7. Q. Nat. cap. 21. Verùm nec hoc certò exploratum est; & causa latet. Nam quod ajunt, *diutiùs durare qui copiosiorem*

rem pinguioremque habent materiam, ignemq; minùs avide depascentem; de Elementaribus fortè an credi posset; ubi & materia talis,& ignis pascens: *an & in aurâ illâ æthereâ*? Difficile creditu. Nisi Cometas cœlestes putemus similes, cùm nascuntur, stupæ; quæ cùm primùm inflammatur gravitate suâ deorsùm, mox incensa ignis levitate sursùm fertur, cumque conflagravit, solos remittit cineres. Qui *Solem & sydera ignea* dixerunt, *nec sine pastu aliquo posse permanere*; non eo tamen igne constare senserunt, *qui confector est & consumptor omnium*: Sed *illi similem, qui corporibus animantium continetur*, vitalisque est, ut Stoici apud Ciceronem 2. de Nat. DEor. Quod si Cometarum apparens ignis materiam incendio absumeret, in cœlo, ut fortè in aëre, hæcque causa esset motus irregularis, *quâ vena pabuli duceret*, ut apud Senecam c. 21. l. cit. quod tamen ipse improbat; quomodo non totum Cœlum consumeretur? illud enim totum ignis cœlestis *atomis* constare, aut plenum esse, ratio suadet; quibus ut astra sic Cometæ quoq; astrici pascantur. Quare ad DEI iterum Providentiam refugiendum est; quæ & im̃ortales & mortales stellas creat,& has, quousque visum est, conservat.

32. Atque hæc *de Naturâ Cometarum*, & ejus quem vidit Jeremias: quæ quamvis manifestas olim causas habere possint; nàm ut *Eleusis servat, quod ostendat revisentibus*; ità *Rorum Natura Sacra sua non simùl tradit: ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit, adspiciet*; Seneca cap. 31. Tamen tàm mirum *rarumque Mundi spectaculum*, ut

b 5 idem

idem Cometas appellat, sine peculiari curâ & nutu Numinis, nec exsistere, nec moveri, nec durare, nec deficere, certissimum esse debet. Restat ut agamus.

De SECUNDO: Quæ significatio fuerit visionis?

Hîc differendum erit, 1. *An Cometæ aliquid significent?* 2. *Quid illud, Bonumne an Malum?* 3. *An id & undè cognosci possit?*

33. De I. Quæstione; *An Cometæ sint signa rerum futurarum?* ità loquuntur quidam, ut in totum videantur *negare*: Alii ita, ut in *affirmando* excedât regulam veritatis, misceantq; urnas superstitiones: Medii *distinguunt* inter Cometas, & signa. De singulis aliqua audire Testimonia operæ est pretium.

Ac *Epicurus* quidem, secutus in Physicis, ut habet Cicero, Democritum, *totam hanc de Meteoris doctrinam docet unicè spectare ad* ἀταραξίαν, *ut animus vacet perturbationibus: neque enim vitam nostram opus habere aut stultitiâ aut vanâ gloriâ,* ἀλλὰ τοῦ ἀθορύβως ἡμᾶς ζῆν, *sed ut tranquillè vivamus.* Itaque Μανικὸν *insanum* ait *esse, quod Astrologi vani causas talium frustrà reddant, nec Divinam naturam isto absolvant ministerio*, in Epist. ad Pythoclem. Itaque docuit mortales, *religionem pedibus subjectam obterere*, ut laudat Lucretius l. 1.

Quæ caput à cœli regionibus ostendebat,
Horribili super adspectu mortalibus instans.

Sic

Sic Seneca 6. Q. Nat. c. 3. *illud*, inquit, *proderit, præsumere animo nihil horum DEOS facere: nec irâ Numinum aut Cœlum concuti, aut terram: suas ista causas habent*, &c. Hoc erat solatium quærere, & an[illegible] is *demere relligiones*, sivè vanos metus.

34. Hanc Epicuri causam egit nuper *Petrus Gassendus*: *Hoc*, inquit, *loco, quid potiùs usurpem, quàm illud Epicureum*, μῦθος ἀπίστω; *Fabula absit!* Argumenta profert 1. *quod seu præfuerint Cometæ, seu absfuerint, fames, bella, cæteræque calamitates, omnia pari modo eveniant*: 2. Quia *Cometæ non consistant, aut unisivè domui, sivè urbi, sivè regioni impendant*: 3. Quia *superiora illa corpora non optimates potiùs quàm plebejos respiciant*: 4. Quia *mista densantur Principum & subditorum funera*. 5. Quia *quicquid calamitatem affert uni, præstat alii emolumentum; unius clades, alterius est victoria*, &c. Hinc concludit, Cometas non prædicere talia: *Ec quid ergò diros, lethales, timendos dicimus Cometas potiùs, quàm benignos, salutares, amabiles? Terrifici sunt sed dementiâ nostrâ, quæ Panicos sibi terrores objicit* &c. Eadem ferè dixit *Tycho de Brahe*, de Novâ stellâ aut Cometâ Anni 1577. addidit argumentum ab experientiâ, *quod multos Cometas nihil ejusmodi subsecutum sit*: Vide D. Takii *Cœli Anomalon*, Giessæ editum Anno 1653. p. 31. & seqq. Sed & Scaliger Exerc. 79. Sect. 2. *Quod quæritur; Cometæ signare sint, an Causæ? neutrum censeo. Etenim existimare à Cometâ Regem interfici, ridicule dementiæ est*, &c. Intelliget Lector, è quâ pharetrâ tela sua depromserit, qui nuper questus est, vulgò *nos in Cometas, tanquàm malorum omnium causas invehi*,

invehi, eosq; q. funebres faces, & infausta sydera horrere: qui tamen non negat tandem *aliquos eorum esse effectus ad terram pertingentes*, de quo plura quæstione sequenti. Qui sic sentiunt, videntur peccare *in defectu.*

35. Alii *in excessu:* Sic Poëtæ *nunquam Cœlo spectatum impunè Cometam: - non illum navita tutò,* ut canit Claudian. 1. Raptus.

Non impunè vident populi, sed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.

Et Manilius, cum de causis naturalibus & speciebus eleganter egisset, tandem ad super naturalem deflexit:

Seu DEUS, instantis fati miseratus, in Orbem
Signa, per affectus Cœlique incendia, mittit: -
Nunquàm futilibus excanduit ignibus æther!

Quæ tamen nescio an quis, nisi planè Epicureus, damnare possit? Cœtera deinceps. Neque *Plinius* malè videtur dixisse; *Terrificum magnâ ex parte sidus esse:* at quæ sequuntur, de significatione, & undè ej⁹ ratio sumenda, superstitiosa sunt, suo mox loco examinanda. Apud Silium l. 8. - *crine corusco*

Regnorum eversor rubuit lethale Cometes.

Sic ait - *tantâ miseris, jamque impendente ruinâ,* non cessârunt *superi vicinas prodere clades.* Sic Lucanus l. 1. - *addita fati*

Pejoris manifesta fides, superique minaces
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.

Inter quæ refert - *faces crinemque timendi*
Syderis, & terris mutantem regna Cometam.

Quo pertinet Senarius ille:

οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Non

Non est Cometa, qui malum non afferat. In *Poëtis* tamen laudo, quod totum hoc *ad DEUM* referunt. Idq; ex verâ Philosophiâ petitum esse, & jam ostendi, & mox repetendum erit. Quod *Astrologi* divinant, vanis nititur hypothesibus, de quibus etiam deinceps.

36. Qui *mediam viam* tenent, 1. advertunt, *Signa* alia esse primò *Necessaria*, quæ Τεκμήρια dicuntur, & cum re signatâ habent necessariam connexionem, ut causa cum effecto, nisi quid impediat, effectus cum causâ, proprium cum suo subjecto; ità ignis significat incendium, fumus ignem, risus hominem: alia *contingentia*, quæ εἰκότα vocantur, ut cum dico; pallet, ergò aut studet, aut amat: Deindè alia esse *Naturalia*, quæ naturalem habent respectum ad id quod signant ut quæ modò attuli: alia *arbitraria*, quæ ad signandum ordinantur sivè à *DEO*, ut Sacramenta, sivè *ab hominibus*, ut hedera vini vendibilis; sivè *aliquam* habent *naturalem relationem* pro fundamento, ut iris ad DEI fœdus de non immittendo diluvio, nam serenitatis index est: sivè *nullam*, ut pileus libertatis, annulus nobilitatis, sceptrum regni. 2. Notant aliter pronunciandum esse de Cometis *sublunaribus*, aliter de *sydereis*.

37. His præmissis rectè *affirmant*; Omnes Cometas aliquo modo occultorum aut manifestorum, præsentium vel futurorum esse signa. Quod nescio, an quisquam negare possit? Nam sivè hos ignes ad manifestas causas referemus, sivè ad occultas, & ex parte tantùm cognitas, sivè ad Deum; semper *effectus signabit causam.*

Si-

Sivè igitur ratio præbentis semina terræ,
Involvens ignes, potuit generare Cometas;

quæ Aristoteles sententia fuit, fieri per ἀναθυμίασιν:

Sivè illas natura faces sub juncta creavit
Sydera, per tenueis Cœlo lucentia flammas;

quæ Anaxagoræ & Ægyptiorum, Cometen esse Σύναψιν Planetarum, aut σύνοδον duarum vel plurium stellarum: nisi fortè in conjunctione Planetarum creari censuit ex atomis cœlestibus, ut suprà dixerat: Esse *cunctis permixtos partibus ignes:*

Seu trahit ad semet rapido Titanius æstu
Involvitque suo flammantes igne Cometas,
Ac modò dimittit - deniq; - *Seu DEUS mittit:*

Quorum illud Pythagoræis placuit, & Senecæ probatum fuit, esse æterna sydera, sed modò sub Sole abscondi, modò Heliacè q. oriri; hoc verò communis opinio tenuit: semper aliquid significant Cometæ docentq; homines; *esse DEUM*; quod hinc Cleanthes communi notione cognitum dixit:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cœlo
Fulmina cum caderent, &c.

Item, *posse aliquid in cœlo nasci, & interire*: non ergò æternum esse: metuendam esse mundi ἐκπύρωσιν - *affore tempus*

Quo mare, quo tellus, quoque arduus ardeat æther, & sic deinceps. Cùm ergò extra dubium esse appareat, *Cometas esse Signa*;

38. *Primò*, quia extraordinaria Mundi spectacula sunt, à DEO producta, cujus sapientia nihil facit frustrà: *Deindè* quia omnia cœlestia corpora Si-

a Signa sunt & ab ipsomet DEO dicuntur: *Adhæc* quia tàm insolita opera; tàm stupendæ manitudinis, quorum substantiam, & accidentia, guram inprimis tàm variam, motumq; planè ingularem, mirari liceat, non rimari; absurdum st cogitare, nullâ causâ efficiente, nullo fine, ullo effectu existere: *Prætereà* quia multorum eculorum experientiâ, talia non frustrà extitisse, confirmatur: *Insuper*, quia attentio & formido, uę spectantur, à rectâ ratione, à naturali quâdâ πρόληψει, ab ipso Deo, animis omnium hominum ndita: *Deniq;* quia conspirant omnes ab omni etrò ævo Sapientes, etiam qui contradicere videntur: Sanè nuperus auctor, citatus suprà n. 4. sub fin. Sic tandem quæstionem concludit: *Equidem existimo, has stellas non sine causâ lucere, cùm DEUS & Natura nihil faciant frustrà: existimo deinde, earum aliquos effectus ad terram pertingere, ob consensionem & sympathiam, quam habent mundi partes inter se; quemadmodùm laborante pede, aut alio membro toti Microcosmo est malè. Ignoro tamen, quales in specie effectus causent, malosne an bonos?* Sed & Tycho Brahæus hoc tantùm negat; *ea quæ statim post Cometarum apparationem in hoc inferiori mundo subsequuntur, ideò à Cometis SEMPER præsignificari, aut effici:* *hoc qui statuant*, ait *sæpenumerò causam pro non causâ assumere*: Videtur ergò omninò largiri, *aliquandò* præsignificare, & causas adeò quoque esse. Sic Gassendus; *fieri hoc posse, ut divinitùs ad aliquid nobis significandum usurpantur*, concedit; hoc tantùm *negare* vult, ut apparet, *sciri à nobis posse quid significent*: quæ alia Quæstio est, in lo-

cum

cum *Tertium* à nobis sepofita, suprà num. 32. extr

39. Par est, nos progredi ad QUÆSTIONEM SECUNDAM; ac inquirere II. *Quid significent Cometæ* nàm sivè boni quid sivè mali sit, necesse est signa esse eventuum quorundam. Hîc ut pede inoffenso procedam, præmittam necesse est EXEMPLA Cometarũ, TESTIMONIA Sapientum. Si Fromondus ad manum esset, aut Kekermanni Disputatio Extraordin. de Cometis, aut alii, qui fortè talia ex ipsis fontibus auctorum, maximè Veterum, depromserunt, poteram laboris facere compendium. Dabo quæ collegi ipse, quantum satis erit addent alii aliundè quantum volent.

EXEMPLA COMETARUM.

40. Rectè Seneca dixit, hoc ostentum accuratiùs contemplaturo, necessarium esse, *veteres ortus Cometarum habere collectos.* Sed mox addit: *Nova hæc Cœlestium observatio est, & nuper in Græciam invecta:* Eudoxus, qui Platoni ætate suppar, circa Olympiadem 103. *primus ab Ægypto hos syderum motus in Græciam transtulit, de Cometis nihil dicit* Sed & Conon posteà, *diligens & ipse inquisitor, nullam eorum mentionem fecit.* Undè *apparet*, ut ait Seneca, *ne apud Ægyptios quidem, quibus major, Cœli cura fuit, hanc partem fuisse elaboratam*, l. 7. Q. Nat cap. 3.

41. Antiquissimus observatus creditur in Græciâ *Anaxagoræ*, quem Alstedius primum recenset in Chro

in Chronolog. Cometar. Anno 2. Olymp. 78. (ante Christum 465.) quo flagrante, *in Thraciâ ad Ægos flumen, lapis, magnitudine vehis, ex aëre decidit,* ἀπὸ πνεύματ© ἀρθεὶς *à flatu vehementi sufflatus*, ut ait Aristoteles 1. Meteor. c. 7. quanquàm è sole lapsum credidit Anaxagoras; Plinius 2. c. 58. *Charimander, qui de Cometis scripsit, grande insolitumq; lumen fuisse*, ait, *magnitudine amplæ trabis, & id per multos dies fulsisse*, Seneca. l. cit. c. 5. Siccam tùm hyemem fuisse, magnosq; fluctus, ventis Boreâ & Austro, inter se confligentibus, Aristot. l. cit. Eodem anno *Hieronem* Syracusis, & bienniò post *Xerxen*, Græciæ terrorem, obiisse, observat Petavius ex Diodoro & Justino. His ergò *funebris* fuisse videatur; *lætus* verò Syracusanis, qui Thrasybulo Hieronis fratre pulso recuperatâq; libertate, deinceps annos 60. in summâ tranquillitate vixerunt: Sed & Judæis salutaris, sub benigno Rege Artaxerxe Longimano, Esdræ c. 7. & Nehem. 2. &c. *Damachus de Religione duràsse* scribit *diebus LXXV. agitatumq; fuisse variis & q. fractis motibus*, ex quâ jactatione varia, hinc indè avulsa à se invicem, fragmenta, *stellarum saltantium speciem retulerint*: dubitat de ejus fide Plutarchus in Lysandro: hoc tamen ostento *cladem Atheniensium*, urbisq; expugnationem & murorum demolitionem, præsignificata innuit. Accidit annis post Cometam, præter propter, 64. cùm jàm eo exoriente, bellorum incendia gliscerent.

42. Post hunc famosus est, *qui ante pugnam Leuctricam biennio* fulgit. Fuisse *effigiem ignis longi*, Callisthenes tradit, *in quo multa digna notatu, maximè*

ximè illud, quod ſimùl ac fulſit, ſtatim, ſuper Burin & Helicen, urbes Achajæ in ſinu Corinthio, *mare fuit*; nam terræ motu & fluctibus abſorptæ ſunt: quarum in alto veſtigia apparent, Plin. 2. cap. 92. Seneca l. c. cap. 5. Strabo l. 8. In Leuctricâ pugnâ cecidit *Cleombrotus* Spartanorum R. ſeptenniò poſt in Mantineenſi, Dux Thebanorum, victor *Epaminondas*. Sequuta varia bella, Græciæ exitioſa: *Sociale* inprimis & *Sacrum*, donec in Macedonum dominationem incidit. Meminit hujus Cometæ Pauſanias, in Achaicis, ſivè l. 7. *Ignes longo flammarum tractu per Cœlum diſcurrêre: Siderum etiam non antè conſpectæ formæ magnum hominibus pavorem incuſsêre. Talibus enim miraculis, & prodigiis, terræ motum divinitùs indicatum, ſicq; DEUM velle homines præmonere*. Ephorus apud Senecam refert l. c. cap. 19. hunc *Cometam in duas ſtellas diſceſiſſe*: negat hic, auctoritatem detrahit: *Sæpè*, inquit, *decipitur, ſæpè decipit*. Viſus hic Cometes ante Chriſtum Anno 371.

43. *Poſt mortem Demetrii Syriæ Regis, cujus Demetrius & Antiochus liberi fuère*, (qui obiit ferè Anno M. 3798.) *paullò ante Achaicum Bellum*, quod cœpit A. M. 3804. *Cometes effulſit non minor Sole; primo igneus ac rubicundus orbis fuit, clarumq; Lumen emittens, quanto vinceret noctem: Deindè paullatim magnitudo ejus diſtricta eſt, & evanuit claritas*, &c. Seneca l. cit. cap. 15. *Exitialis* hic fuit fortè *Carthagini & Corintho*: quæ uno eodemq; anno citato 3804. everſæ à Romanis: quibus his victoriis viam muniebat Fatum & Monarchiam, novumq; Solem parturiebat mundo. Addit eo-

dem

dem loco Seneca: *Attalo regnante, initio Cometes apparuit modicus; deindè sustulit se diffuditq́;, & usque in æquinoctialem circulum venit: ità ut illam plagam Cœli, cui Lactea nomen est, in immensum extentus æquaret.* Regnârunt autem Pergami tres Attalidæ Reges, ex parvis initiis in maximas opes provecti; quorum primus annis XLIII. alter XLIX. præfuerunt: ultimus Philometor cognomine Populum Romanum hæredem scripsit, Strabo l. 13.

44. E Romanâ historiâ *Julius Obsequens*, ejusq; restitutor Lycosthenes, *de prodigiis*, plures Cometas, & cœlo ardentes faces commemorant. A. Urbis Cond. 607. antè Christum circiter 145. *Stella arsit per dies XXXII. mox Carthago diruta.* Hic aut idem fuit, de quo modò num. 43. aut biennio præcessit.

Sic A. U. C. 710. ante Christum 42. postquàm (Octavius Cæsar Romam intrâsset) *Ludis Veneris Genitricis, horâ undecimâ, stella crinita, sub septentrionis sidere exorta, convertit omnium oculos.* Mox: *arbores radicitùs, & pleraque tecta eversa, Fax cœlo ad occidentem visa ferri. Stella per dies septem insignis arsit. Soles tres fulserunt, tandèm sole in unum circulum redacto, multis mensibus languida Lux fuit.* Inter Cæsarem & Antonium bella civilia exorta. Triumvirorum potestas, & in Octavium tandèm delata Monarchia, aliaque horum temporum nota sunt, &c. de quibus illa:

Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno,
Fulgura, nec diri toties arsêre Cometæ:

Ergò inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterùm vidêre Philippi,
Virgilii 1. Georg. Et Manilii 1. extr. de Cometis:
Civiles etiàm motus, cognataque bella
Significant: nec plura aliâs incendia mundus
Suſtinuit, quàm quùm Ducibus jurata cruentis
Arma Philippéos implerunt agmine campos.

45. Pertinet huc *Julium* illud *ſidus*, omnibus ejus ætatis Poëtis celebratum: de quo Virgilius, *ſalutiferum* ſed adulatoriè prædicans:
Ecce Dionæi procedit Cæſaris aſtrum;
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, &c.
Ecl. 9. Suetonius de Julio Cæſ. c. 88. *In DEorum numerum relatus eſt,* &c. *Siquidem Ludis, quos ei primò conſecratos hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem continuos dies fulſit, exoriens circa horam undecimam: creditumque eſt animam eſſe Cæſaris Cœlo recepti, & hac de causâ ſimulacro ejus in vertice additur ſtella.* Hæc eſt de quâ modò dicebam ex Obſequente. Itàque *Cometes in uno totius orbis loco colitur Romæ in Templo; admodùm fauſtus Divo Auguſto judicatus ab ipſo: interiore gaudio, ſibi illum natum ſeq; in eo naſci interpretatus eſt: & ſi verum fatemur, ſalutare id terris fuit,* ità Plinius l. 2. cap. 25. ubi plura. Rectè uterque, & ſapientiùs quàm vulgus, quod animam Julii in aſtrum hoc tranſiiſſe opinabatur. Natum fuit Auguſto, ſalutare Terris; tùm propter conditum Imperium Rom. cùm propter mundo mox natum Salvatorem. Sed & non paucis mortiferum, Caſſio, Bruto, Antonio, Lepido, Pompejo, quiquique eorum partes ſecuti.

46. Obi-

46. Obiter hîc nota, novam Cometarum significationem, ἀποθεώσεως: Magnorum Virorum à morte animas in astra recipi, & in Cometas converti: scil. ut paullò post evanescerent cum ipsis, & bis morerentur. Ità superstitio quos colit violat. Hæc enim stultitia animis detrahit Heroum, quam maximè optabant, immortalitatem. Bodinum in Theatro Naturæ l. 2. *tàm stultè sapuisse, ut putaret; Illustrium virorum Mentes esse Cometas; tandemque obituras, ut omnia orta, extremos hoc modo triumphos agere, ac propterea sequi famem, pestem, bella*, &c. miratur Vossius l. cit. 3. c. 9. Et sunt in ejus Physicis multa ejus generis, non tàm miranda, quàm Christianis abominanda. Hoc tamen non ipse putat, sed *Theorum* opinantem inducit; Cui ipse *Mystagogus* satis frigidè regerit: *de rebus tàm arduis nil temerè esse affirmandum*, p. 222. Vulgata aliâs opinio fuit, *mentes hominum esse ex ignibus illis cœlestibus immortalibus*, aut ut Epicharmus Ennii, *ignem de Sole sumptum*, apud Varon. de Ling. Lat. l. 4. Ergò solutas vinculis corporeis redire undè illud apud Aristophanem de Pace; *Verumne sit, quod vulgò perhibent, quod mortui evadant astra?* At magnis viris præcipuum in Cœlo locum, & magna sidera assignavit adulatio, ut apud Poëtas, Virgil. 1. Georg. Valer. Flacc. & Lucan. aliosq;. Sed redeamus.

47. Sub Augusto quòque apparuit *stella Nati Salvatoris*: ejus meminisse Chalcidius in Timæum Platonis, *quod non morbos mortemque, sed descensum DEI ad homines*, &c. *nunciavit*, &c. fertur. Sed de eâ Theologi copiosè: vide Spanhemi Dub.

Evang. *Stellam elementarem*, *sed motus supernaturalis compotem*, Deique ad Magos extraordinarium nuncium, fuisse, scire hîc sufficit. De eâ accipi posset, quod habet Plinius l. cit. *Fit & candidus Cometes, argenteo crine, ità refulgens, ut vix contueri liceat, specieq; humanâ DEI effigiem in se ostendens.* Et sanè eadem ferè de hac nostrâ veterum quidam; apparuisse in illâ effigiem pueri crucem gestantis, qui Magos & docuerit & in Judæam duxerit: sic Auctor Imperf. in Matth. Fabulæ auctores *Sethiani* antiquissimi hæretici: nec dubium ferè, tale aliquid Plinium, ut erat librorum helluo, alicubi legisse. Quo tempore orti fuerint Sethiani non liquet: Nicolaitarum progeniem fuisse veteres testantur, & potuit hoc commentum ipsis fuisse antiquius.

48. Sub exitum Claudii, veneno boletis infuso, hic *DEorum cibus* indè dictus, perempti, & dominante Nerone *assiduum propè ac sævum* hoc terrificum sidus: *Inter præsagia mortis Claudii referebatur*, Sueton. & sub Nerone vulgi opinio erat; *mutationem Regis portendere*: igitur *quisnam*, depulso invisissimo Tyranno, *deligeretur*, nec tacitè *inquirebant*, Tacit. XIV. qui lib. seq. ait; *hoc sidus semper sanguine illustri Neroni expiatum.* Quomodò? Narrat Suetonius; *Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat: anxius eâ re, ut ex Babilo Astrologo didicit; solere Reges talia ostenta cæde aliquâ illustri expiare, atque à semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit.* Ità diri & cruenti hi Cometæ multis, ipsisq; tan-

dem

dem Neroni; sed & Reip. Romanæ, meliore tamen exitu: & Judææ exitiosus inter hos, ille qui quasi immobilis Metropoli superstabat anno integro, de quo dixi ex Josepho: nec minus Laodiceæ, Hierapoli, Colossis Asiæ urbibns, quæ post semestrem Cometam terræ motu conciderunt. Mirandum igitur quomodò affirmârit Seneca; Cometam sub Nerone Cæsare apparuisse, qui *Cometis infamiam detraxerit*, l. cit. cap. 17. nisi quod & ille adulari didicisset. Idem cap. 28. *Fecit Cometes, qui Paterculo & Vepisco Coss. apparuit, quæ ab Aristotele & Theophrasto sunt prædicta. Fuerunt enim maximæ & continuæ tempestates ubiq;. At in Achajâ Macedoniâq; urbes terrarum motibus sunt prorutæ.*

49. Multos omitto sciens; addam alios per saturam: nam neq; me, nec Lectorem detinere possum; magis tamē tantùm memorabiles. Ammianus Marcellin. l. 25. ante Joviani obitum, *per continuos dies*, inquit, *velut offenso Numine, multa visebantur & dira: quorum eventus fore luctificos, gnari rerum prodigialium præcinebant.* Inter alia, *visa sunt interdiu* (quod & aliâs contigit) *sidera Cometarum.* Aristoteles tradit & *simùl plures cerni*: nemini compertū alteri, quod equidem sciam, ait Plinius 2. c. 25. Sic tamen A. D. 729. mense Januario *duo circa solem visi*, unus Orientem præcedens, alter vespere Occidentem secutus: caudam in Aquilonē porrigebant. Duratio fuit duarum septimanarum. Pestis secuta in Oriente, quæ Constantinopoli 300000. homines absumpsisse dicitur: In Occidente Saraceni Gallias vastabant, Luitpran-

dus Rex Romam obſidebat &c. Cent. Magd. VIII. c. 13. & alii.

50. Rejicit Seneca auctoritatem Ephori, quod ſcripſerit; Cometam *in duas Stellas* diſceſſiſſe: *Quis enim*, inquit, *poſſet obſervare illud monumentum, quo Cometes ſolutus, & in duas partes redactus eſt?* l. 7. Q. Nat. c. 16. At enim Dion. l. 54. antè mortem Agrippæ ea refert ſigna eveniſſe, *quæ maximas calamitates præcurrere ſolent*; Nam ut cætera non repetam; *Cometa*, inquit, *quùm multos dies urbi imminens conſpectus eſſet, in faces abiit*. Negant certo loco ſic impendere, poſſe, ut cui minetur indicet: at quo tempore, ſub Arcadio Imp. Gainas Gothorum Dux Conſtantinopolin cogitabat evertere, *Cometa apparuit, has inſidias portendens, qui ſuper Civitatem maximus apparebat, ad ipſam usque terram ferè pertinens, cui ſimilem nunquàm viſum affirmabant*, Sozomenus. lib. 8. c. 4. &Socrates l. 6. c. 6.

51. Quàm minus ille, *Britannico* de quo Sigebertus A. D. 457. *Sexto Imp. Martiani*: *cujus radio gladius igneus Draconi ſimilis adhærebat: ex ore hujus duo procedebant radii, alter versùs Galliam, alter verſus Hiberniam: & hic in ſeptem minores radios terminabatur.* Circa ea tempora Romani in Britanniâ à Scotis preſſi, cùm fruſtrà opem è Galliâ flagitâſſent, ad externa Anglo-Saxonum auxilia confugerunt; Hi occupatâ Inſulâ ſeptē in ea regna condiderunt, Beda &c. Sed non minus mirus quem Nicetas Choniates, ſub Alexio Comneno, depingit: *Diebus*, inquit, *illis Cometa in cœlo conſpectus eſt, qui graviſſimus clades, quæ ſecutæ ſunt, portendit, ipſumque adeò Andronicum*, auctorem

rem

rem scilicet, *expressit. Nam serpentem sinuosum repræsentãs, nunc porrigebatur, nunc in spiras se colligebat, nunc cum horrore spectantium, quasi inferiores devoraturus, humani sanguinis avidus, vastum dictum aperiebat. Sed cùm non ultra diei illius reliquum, & secutam noctem durâsset, evanuit.*

52. Anno Heralii XXIII. *Terræ motus* factus est in Palæstinâ, & apparuit signum, quod appellatur Δοκίτης *Docites* Cometa trabalis, *contra meridiem, Arabum potentatum prænuncians*: erat verò ξιφοειδής, *ensiformis, & duravit diebus Triginta*. Proximo anno mortuus Abubeker, Muhammedis successor, in suum locum abiit, eique Omar successit, Theophanes & Paul. Diacon.

Anno Justiniani V. *Lampadias Cometes, quod radios sursùm facis instar erigeret dictus*, visus Constantinopoli, seditionem, cædesq́; nam ad XL. millia è populo cæsi, urbisq́; incendium significavit, Zonoras Annal. Tom. 3. Qui & non multò antè sub Justino *Pogoniam*, sivè *Barbatum, radiis deorsum vergentibus* conspectam refert. Tùm Anazarba urbs *terræ motu* collapsa; *Pompejopolis*, mediâ parte, hiatu absorpta; *Edessa*, Scirto fluvio, qui eam perfluit, exundante submersa. Verùm ἄλις δρυὸς, & satur jam sum historiarum. Alia exempla fortè deinceps miscebo. Ex hac inductione colligunt plerique; Cometas potissimùm iræ & vindictæ esse nuncios, raro aliquos salutares, nec sine mixturâ malorum magnorum ullum. Idque confirmant afferendo

Sapientum TESTIMONIA.

53. Ac 1. quidem hanc vulgò communem, & ab omnibus ferè Gentibus, non barbaris, receptam fuisse opinionem, sæpiùs audivimus jam. Quæ *Historicorum* sententia fuerit dictum. *Mortem* inprimis *regnantium*, ac Principum significâsse innumeris locis testati sunt, ut Augusti, *Eutropius*; Claudii, aliorumque, *Xiphilinus*; Vespasianus, ut erat facetus, conspectum, ad Regem Parthorum pertinere, qui capillatus esset, jocatus; mortis nuncium esse mox sensit, *Sueton. Xiphilin.* de Macrino, *Dio*: cui successit pestis Imperii Heliogabalus. A. D. 218. De Constantino M. Anno D. 337. *Eutropius* l. 10. *Denunciata mors ejus per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquamdiu fulsit*: de Joviano, *Amm. Marcell.* ut & Valentiniano, l. 30. *nam diebus antè paucissimis, ruinas fortunarum indicantia celsarum, arsêre crinita sidera Cometarum.* Biennio ante obitum Ludovici Pii Imp. A. D. 837. *ut Calvis. ex Aymon 3.* April. *Cometæ sidus, Dirum semper ac triste portentum, in signo virginis apparuit, intra penulam ejus & caudam serpentis*, Hydræ, *corvumque*; (eo ferè loco, ubi nuperus conspectus primùm,) *qui cùm per XXV. dies, Leonis, Cancri, Geminorumque signa pertransiisset, in capite Tauri tandem defecit.* Imperator tùm piè; dicenti ex Prophetâ, *non esse metuendum à signis Cœli*, Jerem. 10. v. 2. *Non alium*, inquit, *timere debemus præter illum qui nostri, hujusque sideris Creator est*; *sed ejus clementiam non satis mirari & laudare possumus, qui nostram inertiam, cùm simus peccatores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergò & me &*

omnes

omnes communiter, hoc ostentum tangit, omnes pro posse & sapere, ad meliora festinemus: ne fortè, misericordiam illo prorogante, & nostrâ impœnitudine impediente, nos illâ inveniamur indigni, refert scriptor qui præsens adfuit, & repetit Vossius l. cit. Rege digna sententia, Pio nomine & re, & cùm omnibus, tùm Regibus inprimis, auscultanda, lege totam historiam. Neque plura in hac classe addo; nàm & qui recentiora tempora attigerunt historici, eandem opinionem tenuerunt.

54. Jam 2, *Poëtarum* Testimonia multa audivimus. Homerus, ut apparet, hanc stellam crinitam, 4. Iliad,

ἢ ναύτῃσι τέρας, ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν

Vel nautis portentum, vel exercitui lato populorum appellavit. Imitatus manifestè Claudianus 1. Rapt. Proserp. *non illum navita tutò, non impunè vident Populi.* Virgil. l. 1. Georg. *Dirum sidus* dixit. Silius 1. *Lethiferum micantem*, & *crine flammifero terrentem FERA Regna Cometen.* Virgilio item 10. Æn. *Cometæ sanguinei lugubre rubent*, Lucanus l. 1. *crinemq; timendi sideris, & terris mutantem regna Cometam.* Silius l. 4. *Regnorum eversor rubuit lethale Cometes.* Petrus Apollonius Collatius (de cujus ætate Scaliger in Hypecrit. Margarinus tamen annis abhinc ferè mille scripsisse putat) lib. 1. Excidii. Hierosolym. inter alia *cœli minacis monstra, Igneum gladium* descripsit, *sanguineis sparsum maculis, crinesq; timendi syderis*: Præfatus ista pia-*pia curà Tonantis*

Scilicet in magnis semper fuit ista ruinis,
Humanum monuisse genus: nec publica mundo

Pœna

Pœna venit, cui non facies prænuncia cœli
Efficiat diversa fidem, &c.

Huc inprimis faciunt Sibyllina Oracula, quorum apud eos, qui talia contemnere docent, aliâs magna est auctoritas, l. 3. ubi de Cometâ;

Stella relucebit, gladii mortalibus index
Et famis, & mortis, præclarorumque Virorum,
Atque Ducum interitus, &c.

Quod & Connimbr. allegant.

55. At 3. *de Philosophis* supervacaneum est dicere: præter Epicurum cæteri ferè omnes veteres consentiunt, varia partim naturaliter, partim divinitùs, mala portendere. De Aristotele & ejus asseclis notius est, quàm ut prolixè agendum sit, tædetque omnibus obvia exscribere. Quare 4. ad *Christianos Doctores* veniamus, quos Patres salutamus. Hos inter Synesius de Calvitio totum hoc argumentum, secutus Aristotelem, absolvit..... Ille hos ψευδωνύμους ἀστέρας ait significare, *publicas calamitates, populorum* ἀνδραποδισμοὺς, *Urbium eversiones, Regum interitus: nihil parvum, nihil mediocre.* Sic Iscanius, vulgò Cornelius Nepos, de Bello Trojano l. 2. - *regna Cometæ dispensant.* Damascenus de Orth. Fide l. 2. cap. 7. vocat σημεῖα τινὰ θάνατον δηλοῦντα βασιλέων *signa quædam mortis Regum nuncia*; ac verè ait *Divino imperio suo tempore existere, & dissolvi, nec esse stellas.* Id visum fuisse quibusdam dictum est; Aristoteli & Manilio, &c. *Electram,* unam Plejadum, quidam crediderunt, raro conspicuam.

Diffusamque comas cornis, crinisque soluti
Monstrari effigie; diros hos fama Cometas.

Com-

Commemorat, &c. Avienus in Phænom.
Sic Honorius sentisse videtur de Imag. Mundi c. 137. *Cometæ sunt stellæ crinitæ flammis, in Lacteâ Zonâ versus Aquilonem apparentes, regni mutationem, aut pestilentiam, aut bella, ventos, æstus, vel siccitatem portendentes.*

56. Eusebius 3. Histor. Eccl. de prodigiis ante excidium Hierosol. *Mollire*, inquit, *mentes eorum duritiam nitebatur divina majestas, signis & prodigiis cœlitùs datis, terroresque & minacem dexteram ostentando potiùs quàm inferendo.* Sequitur narratio de Cometâ &c. Sic Egesippus, quisquis fuit, l. 5. cap. 44. *Si voluissent credere, evidentia imminentis signa excidii habebant: quibus veluti claris vocibus admonebantur, finem sibi affore. Nam per annum fermè, supra Templum ipsum Cometes, passim ignis & gladii quandam præferens similitudinem, denunciabat quoque ferro, & igni, gentis & regni, urbisq; ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladii, nisi bellum? Quid ignis nisi incendium denunciaret?* Putes ad id Manilii allusum l. 1. extr.

Quùm fera Ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum sanguine campos;
Arserunt toto passim minitantia Mundo
Lumina, & ipsa tulit Bellum natura per ignes,
Opposuitque suas Vires finemque minata est.

57. Sanè Basilius, ubi negat *Stellam Magorum fuisse Cometam, qui Regum mutationes & nova Imperia portendere videatur*; hoc non negat, homil. de Hum. Christi Generet. Origenas, quem Eusebius, Augustinus, aliique communiter secuti, *Signa cœlestia nihil quidem in fatis efficere, significare tamen*

tamen nonnihil affirmant, ex ejus hom. 2. in Genef. Cometæ prodigiis jure annumerantur, quæ quodammodò *contra naturam* fiunt: undè autem *prodigia, nisi quod porrò dicant, id est, futura prædicant*: Auguſtin. de Civ. DEI.l. 21. cap. 8. Eorum motum *regi ab Angelis*, exemplo Stellæ Magorum, ex eodem de Mirabil. S. Scr. vel quicunque Auctor eſt, ut & in Serm. de Temp. & Theophylacto in cap. 2. Matth. & aliis, confirmari poteſt. Quâ de causâ? niſi quia DEI q. ad homines Linguæ cœleſtes ſunt? Illud omninò certum eſt, quod Johann. Saresber. l. 2. Nug. Curial. cap. 13. habet: *Hoc divinæ miſerationis eſt, quod ſignorum ſuorum indicio, ignorantiam noſtram quandoque præmunit. Cometâ ſiquidem apparente*, inquit, *creduntur imminere Comitia* (alii legunt *tonitrua*, rectiùs *exitia*) *An ignoras - terris mutantem regna Cometem?* Neque, puto, quisquam Eccleſiaſticorum Doctorum, ante hos ex Epicuri Ludo, unquàm negavit. Ipſe Philoſtorgius l. 10. ſect. 8. cùm deſcripſiſſet, *inſolitum in cœlo Lumen κώνȣ σχῆμα præferens, quod plusquam IV. menſibus duravit*, ſub Theodoſio Juniore, etſi proptèr figuram inuſitàtam negârit fuiſſe Cometam; tamen teſtatus eſt *fuiſſe* σημεῖον πολέμων μεγάλων, καὶ φθορᾶς ἀνθρώπων ἐ ῥητῆς σύμβολον, *ſignum gravium bellorum*, & *indicium incredibilis hominum interitus*. Glycas Annal. p. 1. cùm præfatus eſſet, *id omnium confeſſione conſtare; nos de ſignis quibusdam, id quod futurum eſt, quamvis obſcuriùs, prævidere & conjectare poſſe; Quid*, inquit, *multis opus eſt? qui conſpiciuntur in aëre Cometæ*,

natu-

naturali quidem ratione oriuntur; sed interim vel Regum, vel aliarum illustrium personarum interitus denunciant, quemadmodùm Magnus ille, Cœlestiumque rerum interpres Basilius, docet. Interdùm æstus, vel ventos subsecuturos indicant. Idq; *miseratione divinâ* ait evenire, *ut signa nobis subministret, de quibus futura prospicientes, hoc pacto securitati nostræ consulamus.* Quod ità communis hominum sensus confirmat, ut ex paganis plerique crediderint, teste Manilio suprà num. 35. Quamobrem, ut hanc *alteram Quæstionem* concludamus, audire decet

SACRÆ Scripturæ Oracula:

58. Quod vulgò dicitur;

Prodigia sunt mali imminentis nuncia:

id S. Literæ passim confirmant, cùm testimoniis quibus talia prædicuntur, tùm exemplis quibus evenisse referuntur. Nam quod de Ægyptiis habet Herodotus: *Plura ab eis prodigia comperta sunt, quàm à cæteris omnibus hominibus: nam cùm prodigium extitit, scribunt id, observantes quomodò evenerit: & si quandò postmodum hujus simile extiterit, exemplo prioris putant eventurum:* hoc de Sacris Scriptoribus, Populoq; DEI, manifestum est affirmari posse. Quæ in Ægypto, ante Populi liberationem, edita sint, celebrat David Psalm. 78. v. 12. 43. & 105. v. 27. Quæ antè Chaldaicam & Romanam Hierosolymo eversionem; prædixit olim Joël, cap. 2. v. 10. & 30. neque pluribus nunc opus est. Ipse nos Dominus, si talia fiant, oculos aperire, diligenter attēdere, & quæ prædicta sunt

accu-

accurato studio expendere jussit, Matth. 24. v. 15. Luc. 21. v. 28. &c. Neque abs re est, quod talia dicantur אתות *Othot*, à *veniendo*, quod aliquid venturum significent; sivè quod *Literæ* q. sint, in Tabulis cœli depictæ, ex quibus futura legi queant: & מופתים *Mophtim* monstra, vel signa *evidenter* aliquid *demonstrantia*: & apud Chaldæos זמנין *Zimnin* q. d. *citationes*, quibus vel Creaturæ ad pugnam cientur, vel homines ad DEI tribunal vocantur. Optandum erat, ut aliquis hanc materiam *de Prodigiis & Signis* ex S. Literis, debitâ industriâ elaboratam, nobis explicaret.

59. Inter hæc sæpissimè IGNIS memoratur, & alia quæ ad hunc locum propriè spectant, μετέωρα. Et quamvis Cometarum nulla nomine tenus fiat expressa mentio; neque illi ullum proprium habere nomen videantur in S. Literis; (Chaldaicè & Thalmudicè dicitur hoc sidus, זיקין *Zikin*, à *Zakan* barbâ, q. *barbatum*) tamen sub nomine *Ignis* prodigiosi, & *stellarum* illos describi nil vetat, Judic. 5. v. 20. de Sisarâ dicitur: *De cœlo dimicatum est, contra eos: Stellæ, manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Quonam modo? *DEUS*, inquit philo Biblicus, *præcepit astris; Descendite, inquit, & incendite inimicos meos, ut sciant virtutem meam: & descenderunt astra, & expugnaverunt castra eorum.* Si ut sonant verba accipias, fabula erit. *Sidera in stationibus suis*, velut exercitus in acie, steterunt: Sed, ministerio Angelorum *Cometas* & fulgura

fulgura, ventorumque procellas excitatas, ejaculari visa sunt; Indè *Danicus Terror*, & clades hostium, sic Abulentis & pòst alii Commun. sic Theodosio

-- *Militat æther, & conjurati veniunt ad classica venti.*

Neque incredibile est; noctu, quâ pugnatum fuit, repentè terrificum Cometam, qui gladium igneum, ex aëre in terram usque, demitteret, conspectum, quem procellæ & terræ motus comitarentur, itâ in seder olam, *omnia quæ in cœlo & terris sunt contra Sisaram pugnavisse*, dicitur.

60. De Chaldæorum exercitu Joël 2. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma*: Quomodò ante? De igni qui Chaldæis in argenteis altaribus ante exercitum præferri solebat, non ineleganter interpretatur sanctius, vide Comment. meum in Joëlem; primitias meorum scriptorum, Annò 1640. Spiræ editum. At simpliciùs *de Cometâ* intelligemus, qui tùm quoque visus fuerit, cùm hæc Propheta nunciaret, ut ante ultimum Urbis excidium. Et hic potuit *siccitatis æstusque* ejus causa fuisse, quam cap. præced. v. 19. 20. deploravit. Sic posteà cap. cit. 2. vers. 30. inter Prodigia ultimæ eversionis recensetur *Ignis & Vapor fumi*. Nam ignis quo Judææ urbes, ipsaque Regina Hierosolyma, à Romanis incensæ conflagrârunt; & cætera mala, non prodigia venientis ruinæ, sed ipsa fuerunt. Præcessit igitur in terrâ *Sanguis* per varias seditiones largiter effusus: in aëre *Ignea meteora, & fumi*, in cœlo horrenda *Solis*

& *Lunæ deliquia.* Quæ omnia à tempore Passionis Dominicæ, usque ad Urbis & Templi Halósin evenerunt. Sed veniamus ad ejus prodigii significationem, quod hoc loco, quem sub manibus habemus, describit *Jeremias.*

61. Quid ergò *Virga vigilans*, cauda Cometæ? celerem imminere DEI vindictam. *Quia*, inquit *Dominus, ego vigilabo super verbo meo*, festinabo, *ut faciam illud.* Quid *olla succensa*, corpus Cometæ ollæ ardenti simile? modum vindictæ & instrumeutum, locumque undè ventura erat; scilicet *ab Aquilone*, à Chaldæis. *Nam ab Aquilone pandetur malum*, exitium per hanc ollam flammas undique spargentem ostensum, *super omnes habitatores Terræ hujus.* Ipse *Eventus* posteà per ὑποτύπωσιν ita ob oculos ponitur, ut & *causa* puniens *Principalis*, DEus; & *ministerialis*, populi Regnorum Aquilonis; & *Objectum* pœnæ, Hierosolyma, ceteræque urbes Judææ; & *causa promerens*, justitiam divinam provocans; apostasia à DEO & idololatria; & denique *finis*, gloria Divinæ Justitiæ, disertis Verbis exponantur. *Primò itaque DEUS pœnam minatur: deindè τὸν τρόπον modum indicat*, ut habet Chrysostomus. *Virga DEI vigilat, cuncta Populi peccata considerans, ut percutiat & corripiat delinquentes. Ad hoc enim Dominus corripit ut emendet, Quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur, ut paullatim veniant ad salutem. Qui noluerint percutiente Virgâ emendari, mittuntur in ollam æneam atque succensam. Sancti autem non sunt habitatores*

erræ,

terræ, sed advenæ & peregrini hæc ex Hieronymo. *Hæc enim maxima DEI medicina est, servare ægrotantem terrere, ad sanam mentem inducere, per visionem ipsam, per ocularem intuitum, reducere, & abstrahere, locumque ac tempus dare ad pœnitentiam. Quâ de causâ aliquantis per adhuc monatur, idque molitur, ut fidem adhibeant διὰ τῆς ὄψεως, mentem ipsum concutiens, vivamque & spirantem orationem exhibens,* Chrysostomus.

62. Ex his tandem omnibus conficitur

Conclusio 1. *Cometas non tantùm esse signa Physica,* Mundi q. ægrotantis, & ut sic dicam febri ardenti, quam πυρετὸν S. scriptura, Medici καύσωνα appellant, laborantis: cujus *symptomata* sint, quæ Cometis accidunt & eos sequi solent; venti, tempestates, æstus, siccitas, terræ sterilitas, aëris intemperies, morbique & mortes, de quibus Connimbr. ex Arist. Ex quibus πρόγνωσις de ipsâ Mundi q. ægritudine & caussis institui possit: nàm juxta Aratum,

Crinitæ existunt multæ squallentibus annis.

In Phænom. Ità inter alia Manilius l. 1. circa finẽ:

Funera cum facibus veniunt, terrisque minantur
Ardentes sine fine rogos, quàm Mundus & ipsa
Ægrotet natura, novum sortita sepulchrum.

Ubi tamen nota 1. Talia sequi inprimis Cometas aërios, qui quò nos propiùs tangunt, eò magis feriunt: æthereos verò, *per Consensum & Sympathiam mundi superioris, cum inferiore,* ut rectè statuebat. Nuperus Auctor Viennensis, non minùs afficere terrena corpora, sed occultiùs & subtiliùs: 2. Non sequi autem semper, nisi & causæ

particulares ac propiores concurrant. 3. Sæpè effectum itàque suspendi, vel ab his, vel à primâ causâ. 4. Tandem tamen *Mundo esse salutares*; ut ex morbis debellatis oritur constantior sanitas. Sic enim *Deus magna hæc corpora curat, ut inæqualitatem revocet ad coæquationem*, &c. *Per omnem enim naturam commeat, rumpendo, concinnando, solvendo, jungendo, fundendo: Aridum liquefacit & solvit, guttas evaporat, laxatum aërem condensat, continenter superna submovet, & inferiora stabilit: Hæc est Mundi ægrotantis curatio!* ut piè vereque Heraclitus in Epist. ad Amphidamantem: verùm etiam, quæ est.

63. Conclusio 2. esse *frequenter Signa Hyperphysica*, à DEO creata & assumpta, ad significandas eas calamitates, quas homines suo sibi q. jumento, suâque culpâ, accersunt. Hac ratione *Imperiorum* portendunt *Mutationes*, eaque quæ vel præcedunt eas, vel sequuntur: qualia sunt; Regnantium mortes, bella, eversiones urbium, vastitas regionum, & id genus. Sic ergò multis *funereæ* faces sunt, aliis tamen *salutares*; DEI electis semper: his enim fiunt signa Theologica, & ἔμψυχοι λόγοι, ut dicam cum Chrysostomo, *vivæ commonitiones*, de Mundo, de Angelis, de Microcosmo, inprimis de Temperamento Misericordiæ & Justitiæ Divinæ. Quæ omnia ex dictis adeò sunt manifesta, ut neque qui Epicurum defendunt, audeant negare. Hoc scilicet *Animæ Testimonium est. Neque DEUS, neque natura mentitur: ut & naturæ & DEO credas,*

crede

crede Animæ, ait Tertullian. de Testim. Animæ cap. ult.

64. Sit itàque immotum, Cometas *Iræ Divinæ* nuncios esse, sed & *Clementiæ*: Timendos iis, qui non timent DEUM- *Quia non metuendi*

Causa, Timere DEUM: quem quisquis non timet unum,

Omnia jure timet, ut S. Paulinus cecinit.

Quod non semper eveniant, quæ minantur; indè est, quia *minæ* plerumque sunt eventuum, *non causæ*. Arbitraria signa sunt DEI, terrere sæpiùs volentis, quàm ferire, Jerem. 18. v. 7. 8. 9. Amos. 9. v. 8. 9. 10. Quod ajunt, *non consistere, neque uni loco impendére*; utrumque aliter esse docuimus: nàm & quidam immobiles sunt, & super certa loca fixi: cùm verò altiùs evehuntur, supra plurium Populorum vertices, pluribus meritò metuendi. Denique *Optimates magis respiciunt, quàm plebejos*: quia major de illis cura est DEO. Et quamvis *unius corruptio, sit alterius generatio*; tamen vicissim unius generatio, alterius est corruptio. *Clades Turcarum sunt nostræ victoriæ*: sed Turcarum victoriæ sunt nostræ clades. *Neutra pars*, inquis, *habet, quod cœlitùs illas magis metuat, quàm has speret*: Verùm rectissimè subnectis: *si humana omnia sint paria*: ubi igitur non sunt, habet altera quod magis metuat, quàm quod speret. Et uti

Iliacos intra muros peccatur, & extra;

Sic intra Ecclesiam & extra: graviùs tamen intra, quàm extra: sæpiusque irascitur DEUS suis quàm extraneis: *Quia magna ira est: quandò pec-*

cantibus non irascitur DEUS, Hieronym. ad Castrænsium: *tunc enim magis irascitur DEUS, cùm non irascitur*, Bernhardus serm. 42. in Cant, vide Amos. 3. v. 2. Luc. 12. v. 47. &c. Quamobrem superest, ut expediamus.

65. QUÆSTIONEM TERTIAM: *An & undè cognosci possit, quid Cometæ & quibus indicent?* Vehemens hîc *Gassendus*, & acutus; verùm vehementia sine causâ est; fluctus movet in simpulo: *acumen nimis tenue*, quod de Chrysippeo dixit Seneca, *retunditur, & in se replicatur: pungit, non perforat. Dices*, inquit; *Cometas divinitùs ad aliquid nobis significandum usurpari: Ac sanè id fieri posse non inficior.* Benè habet: & fieri & adeò posse fieri, verò & argumentis vicimus. Quid ergò? *sed interim*, pergit, *undénam constat id reipsâ fieri? an aliundè, quàm ex Vanitate, quâ miseri turgescimus, dum digni nobis ipsis videmur, propter quos hæc ostenta fiant? Primùm* si *ostenta* sunt, quomodò nihil ostendunt? & cui, si non nobis? an potiùs brutis, in ventrem pronis? an Angelis, qui consilii divini conscii & administri, talia nostri causâ efficiunt ac moderantur? *Deindè* an *indigni nos*, propter quos fiant? propter quos omnia & fiunt & facta sunt, quosq; DEUS in hoc q. Theatro posuit, *ut spectatores simus rerum supernarum & cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud animantium genus pertinet*, ut Cicero rectè judicavit: denique quorum causâ ipse Mundus, & ut dicam quod maximum est, ipse DEus Verbum Homo factus est. Quis unquàm de Homine tàm abjectè, quis æquè in DEUM ingratè sentit; nisi Epicu-

Epicurus, quem loquentem hîc mihi omninò videor audire. *Undenàm*, inquit, *constat?* diximus, undè: ex testimonio Naturæ, Experientiæ, Animæ, & DEI ipsius *Magistri magistrorum*, ut loquar cum Tertulliano. His immorari nimis longum est. Pergamus, & audiamus cætera.

66. *Quid enim? declaravitne Ter Maximus Deus fore, ut si quandò Cometa in occasum tendat, caveamus ab externis; sin in ortum, à domesticis: An Principes admonuit, ut caveant ab iis Cometis, qui matutinum occupant signum, factum ipsis horoscopum, aliasque consimiles nugas?* Rectè; nugas nugonibus istis maximis relinquamus; DEUS non nugatur: alia seria & cavenda declaravit, & admonuit, quæ mox dicentur: nàm indignos nos dignatus est alloqui & erudire: ut *scias hominem non esse tumultuarium opus*, neque temerè *ex limo* Epicuri *calefacto, uterisque nescio quibus, quos radicibus terræ cohærentes primùm ajebat increvisse, membratos provenisse*, apud Censorin. de Die Nat. cap. 4.

67. Quid porrò? *Qui patienter*, inquit, *istos feramus, qui sic speciatim omnia definiunt, sic bellè sibi sapiunt, quasi, quod ille ajebat, Jupiter Opt. Max. admiserit ipsos in concilium Deorum.* At enim verò nos neutros patienter feremus, nec ariolos istos curiosos, nec Epicurum contra Providentiam grunnientem. Quid tùm? annon obsequio patienti audiemus & feremus, qui, quantum opus nobis est, & sufficit, talia ex Verbo DEI, & rectâ ratione definiunt, nec sibi sapiunt, sed DEO? Nam quid *Jupiter ille*, nec bonus, nec magnus,

nedùm Opt. Max. *Junìnoni suæ in aurē dixerit*, nauci facimus, ut & ipsum, cùm toto concilio DEorum suorum. Quid multa? *Nemo scilicet*, inquit, *satis attendit; quia neque sibi cum Seneca satis id objicit: Ergò tu in tantis erroribus es, uti existimes, Deos mortium signa præmittere, & quicquam in terris esse tàm magnum, quod perire mundus sciat.* Obsecro Te. Christiane Lector!

Ut nemo in sese tentat descendere! nemo!

Et tu, ô bone, in tantis erroribus es, uti neges Deum mortium signa præmittere, aut mortales variis modis suæ admonere fragilitatis? Mundus nihil scit; DEUS omnia; etiam capillos capitis nostri, quos in numeroso habet. Poteſtne magis esse error abominabilis, quàm negare hoc? ac statuere, DEO nesciente perire, non dico Principem, sed vel unicum ex infimâ plebe, hominem? quo nihil majus habet mundus? Verbum non amplius addo.

68. Hîc si dixero & demonstravero; *Undè cognoscere possimus, quid & quibus Cometæ portendant?* Causa perorata est. Faciam id breviter; nàm in calce sumus. *In manibus terræ.*

Undenam igitur? *Tria* invenio *cognoscendi principia*: 1. *Sophisticum* falsum & fallax: 2. *Topicum*, conjecturale & probabile; 3. *Apodicticum*, demonstrativum, & infallibile. De singulis pauca; nam totum hoc exhaurire, nec hujus loci est, nec meæ professionis.

69. SOPHISTICA Principia sunt, qualia vulgò Astrologi, ex vanis & superstitiosis paganorum lacunis, afferunt. Talia sunt quæ Plinius recitat l. 2.

c. 25

c. 25. *Referre*, inquit, *arbitrantur, in quas partes sese jaculetur*; de quo posteà: *aut cujus stella vires accipiat*; quod æquè in abdito est: *quasq; similitudines reddat*, & *quibus in locis emicet*: V. gr. *Tibiarum specie? Musicæ arti portendere: obscænis autem moribus, in verendis partibus signorum: ingenuis & eruditioni, si triquetram figuram, quod ratamve, paribus angulis, ad aliquos perennium stellarum situs edat: Venena fundere in capite Septentrionalis Austrinæve serpentis.* Horum quædam adeò sunt germanæ gerræ, ut vel Crasso risum queant extorquere: ut si quis dicat, *acontiam* minari sagittariis, *Pogoniam* barbatis, *Xiphiam* gladiatoribus, *Ceratiam* cornutis, *Hippeum* equitibus, *Pithiten* vel doliariis vel crassis ventribus: sed pergo. *Solet enim stultitiæ notam incurrere, quisquis laborat stultissimè dicta refellere*, ut quidam dixit.

70. Ad hanc classem refero, quæ ex Ptolomæi quadripartito opere & Centiloquio promuntur: *Si Cometæ, undecim signis à sole distantes, in cardinibus apparuerint, Rex aut Princeps morietur: Sin in loco succedente, benè habebunt se ejus thesauri, sed gubernatorem mutabit: at si in declinante, repentinæ mortes erunt: Si ab occasu moveatur in ortum externus hostis veniet; si contrà, domesticus. Martiales & Mercuriales*, quos ex coloribus volunt agnosci, illos flammeos & rubicundos; hos albos &c. *bella, exilia, mortes portendunt*: Mars enim discordias & cædes; Mercurus dolos & fraudes significat. *Loca, in quibus futura contingent, ex locis signorum Zodiaci, & ex iis, quæ sunt in directo stellæ caudatæ, cognoscuntur; Species eventuum, ex formâ accedentis:*

duratio, tempus indicat: cùm manè apparebit, mox eveniat; cùm vesperi, tardius. Suunt alia ejus generia plurima, quæ doctissimi quiq; ut incertis, imò falsis, hypothesibus nixa, ridenda propinant. Neq; nunc in Astrologos conjectores disserendi locus est, & materiam hanc Summi Sanctissimiq; viri dudùm occupârunt. *Artes has,* quas Ægyptii & Chaldæi, sed serò, ut ex Senecâ didicimus, pepererunt; Arabes intermortuas pænè ex Orco reduxerunt, Christiani quidam, si tamen, ornare studuerunt; damnatas DEI Verbo, & Ecclesiæ Catholicæ consensu, sæpè è Rebuspubl. proscriptas; has, inquam, *omnes artes, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis; ex quâdam pestiferâ societate hominum & Dæmonum, quasi pactu infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitùs repudiandas & fugiendas Christiano* esse, rectè censuit S. Augustinus, quâ de re vide *Alex. de Angelis in Astrolog. Conjector.* lib. 5. & alibi passim.

71. Topica, quæ experientiâ & ratione probabili, cum S. Literis non pugnante, nituntur, opinionem efficiunt, cui tamen aliquandò falsum subesse potest. Talia sunt, quæ nobis *Propheta noster* suggerit, sumta 1. *à colore, & figurâ*: igneus ille, quem vidit, similis, quoad caudam, Virgæ, seu baculo, qualem Judices populi gestare solebant; quoad corpus, ollæ succensæ, vindictam DEI judicis, & ignem, id est Halósin, minabatur. Sic *candidum* salutarem ad propagandam fidem; *Sanguinum & ruffum* bella; *nigrantem & obscurum*, famen; *pallidum*, mortes prænunciare, ex Apoc. cap. 6. vers. 2. & seqq. conjicere licebit. De

variis

variis figuris & eventis exempla suprà attulimus.

72. Deindè, 2, *à Motu*. Nàm celeritas proprii motus, celerem pœnam nuntiabat: eaque mox post *Josiæ* Regis secuta est *mortem*, meritò justis threnis deploratam, 2, Paralipom. cap. 35, v. 25. Sic enim Divina Providentia Regna mutatura, è medio tollit Principes, quorum incolumitate stat Salus publica, quique pietate ac justitiâ suâ properantem vindictam possint remorari. Horum igitur obitum etiam à Cometis significari, nihil puto vetat: is enim plerunque calamitatum intentatarum principium est; Quod ad publicas preces nobis esse debet incitamentum, Jerem. 29. v. 7. Baruch. 1. v. 11. 12. 1. Tim. 2. v. 1. 2. 3. Adulator est Firmicus cùm scribit: *Solus Imperator stellarum non subjacet cursibus, & solus est in cujus fato stellæ non habent decernendi potestatem: Cùm enim sit totius orbis Dominus, fatum ejus DEI summi judicio gubernatur: & quia totius orbis terreni spatium Imperatoris subjacet potestatibus etiàm ipse in eorum DEorum numero constitutus est, quem ad facienda & conservanda omnia divinitas statuit Principalis*, l. 2, cap. ult. Nàm ut *de Fato* stellarumque potestate impiè proposuit; *in Manibus Domini omnes sunt sortes nostræ!* ità optimè *de Providentiâ speciali*, in summos rerum arbitros, subjunxit: Verùm contrarium potiùs inferre debuit: Quæ contra aut supra naturam in cœlo spectantur, tantò magis metuenda sunt summatibus, quàm infimatibus; quantò major de illis cura est Numinis, majorque

ex

ex eorum interitu calamitas. *His stantibus omnia florent*! Sic judicavit suprà num. 53. Ludovicus Imperator Anno 837. verè Pius. Illud verò quod præfatus erat Firmicus; *Non oportet, nec licet, ut de statu Reip. aliquid nefariâ curiositate dicamus; sed & sceleratus atque omni animadversione dignus est, si quis interrogatus de Fato dixerit Imperatoris*: hoc inquam, in pagano Astrologo tantò magis laudandum est, quantò minùs ferenda nostrorum Calendariographorum temeritas, piis omnibus execrabilis.

73. Adhæc 3. *è terminis motus*: Nàm *ab Aquilone* veniens noster Propheta, tendensque *Hierosolymam*, undè & quo ventura esset pœna designabat. Sic qui certæ regioni, aut urbi impendent, quorum exempla vidimus, quibus minaces sint, ipsi demonstrant. Ità non abs re est, quod nostrum, (quem *in Hydrâ* primùm conspeximus, signo aqueo; ex quâ *ad Tropicum Capricorni* delatus, reversusque *in Eridano & Ceto* apparuit, undè *in Arietem* provectus nobis propiùs illuxit;) docti quidam conjectant, *Aquaticis & Marinis populis minari, à quibus bellum in Europâ conflatum, ad Indos fortassis profecturum, indè in Europam reversurum, non sine fundamento*, metuendum videatur.

74. His addi potest 1. *duratio*, moram malorum; & 2. *frequentia* talium, certitudinem ut sigillis obsignatam, innuens. Quid frequentes Cometæ sub Nerone, & qui ante ac post Ludovici Pii obitum visi, denotârint, ex historiis manifestum est. Qui ejus obitum præcessit, nostro

ſtro huic nupero, valdè ſimilis apparuit. Si de ſimilibus ſimile ferri debeat judicium; conferamus tempora, ejusque Potentiæ, quæ ſub Pio iſto Imperatore cœpit, longisque Eccleſiaſticorum ac Politicorum colliſionibus aucta, per octingentos annos huc usque progreſſa eſt, Periodum conſideremus.

65. *An ex aſterismis*, intra & extra Zodiacum, *ſignificatio peti poſſit?* minùs certum eſt. Celebres tamen Aſtrologi ferè conveniunt hodiè; *Loca illa Imaginum Symbolica, eò quod Intelligentia Cometæ Rectrix non ignorârit, elegeritque præ aliis ad curſum Cometæ conficiendum, non vane aſſumpta fuiſſe*; idq; ajunt, *Symbolorum Interpres ſibi aliisq; haud dubie perſuadebit*: Verba ſunt Aſtrophili cujusdam, ex Judicio ejus de Cometâ Anni 1652. Coloniæ impreſſo. Certum eſt, hos aſterismos nullas ad efficiendum vires habere. Si quæras quid ſignificant? Reſpondebo interim, illud vetus: *Non liquet.* Quàm antiquì ſint iſti aſterismi; qui primi Cœlum hieroglyphicis imaginibus inſcripſerint? quo fine? quid ſingulæ ſignent? negotium majoris curæ & altioris eſt indaginis. Nos ad exitum properamus; *vide Alex. de Angelis l.4. cap.23.*

76. Hactenùs *Topica* & conjecturalia: ſuperſunt Apodictica & demonſtrativa, quæ *ex Revelatione divinâ* pendent; non quidem nunc *immediatâ*; quam poſt *S.* literas nuſpiàm exſpectandam ſcimus, & ſi vel alicui obtingeret, an verè ſit; neſciremus: quod alibi demonſtratum

ſatis

ſatis eſt.in judicio *de Novis Prophetis*, quod *Apocalyptico Indici*, contra Anonymi *Clavem reſeratam*, præfixum extat: Ergò ex eâ quæ per S. Scripturam Communis eſt omnibus fidelibus.

Scimus autem 1. *Magnis peccatis magna deberi ſupplicia:* 2. Quid DEUS hoc ipſo loco Jeremiæ, *apoſtatis & idololatris*: non tàm craſſis illis extra Eccleſiam, quàm & ſubtilioribus intra eam, comminatus ſit? 3. *Graviùs punire DEUM Populum ſuum*, quàm hoſtes, dùm in terris verſamur, ut converſæ Electorum reliquiæ olim ſalventur in Cœlis. 4. *Horrendas calamitates, horrendis à DEO indicari prodigiis:* 5. Nos propè jà fine Mundi abeſſe, *tempusque* in quod incidimus, *ultimæ iræ*, & DEI, & permiſſu ejus Diaboli, *eſſe*. Denique 6. quas pœnas, & quibus, ante noviſſimum Diem-*quem nobis Vatum prædicta priorum Terribili monitu horrificant*, Daniel inprimis, & S. Johannes in Apocalypſi, omnium ferè Chriſtianorum Interpretum conſenſu, prædixerint. Quæ ſi ſingula explicare cuperem, nova & longa mihi exordienda eſſet tela.

Anno Dom. 1106. *inſolita ſtella in Auſtrum & Occidentem lucere viſa eſt: & per 25. dies eâdem ſemper horâ circa veſperum ſplenduit. Non multò poſt Cometes longos & flammeos crines manè ducens apparuit.* Elmerus Monachus Malmasburienſis, hoc conſpecto, exclamâſſe dicitur apud Schedelium, citante Wolffio Cent. 12. pag. 346.

346. *Venisti tandem, venisti multis matribus lugendum malum! dudùm est, quod te vidi: sed nunc multo terribiliorem te intueor, Patriæ hujus,* Angliæ, *excilium supremum minantem!* Nos & timeamus; nam justus semper timidus est; sed & speremus: parati ad quidvis ferendum dicamus:

Salve flagellum DEI!
suspiremus;

VENI DOMINE JESU, VENI!
Amen.

